$2.50 –

(muy raro. Bib. Larrañ; Sierra; P. Furlong

H/2


IDOLOLATRIA ET FERITAS
DEO ET REGI DOMITÆ
IESU DUCE
ET AUSPICE REGE
RIO DE LA PLATA
URUAI TAPE
Pa-rana
Paraguai Itati
IHS
IHS
Chile
GUA IRA
PLUS ULTRA
Tropicus Cancri
Aequinoctialis
Guinea
Tropicus Capricorni
Peru
Brasilia
Paraguay
Chile
Terra Australis
Fretum
Circulus Antarcticus

DECADES
VIRORUM ILLUSTRIUM
PARAQUARIÆ
SOCIETATIS JESU
Ex Hiſtoria ejuſdem Provinciæ,
& aliunde depromptæ.

AUTHORE

R. P. NICOLAO DEL TECHO
EJUSDEM SOCIETATIS
GALLO BELGA INSULENSI.

CUM SYNOPSI CHRONOLOGICA
HISTORIÆ PARAQUARIÆ.

PARS PRIMA.

TYRNAVIÆ,

TYPIS ACADEMICIS SOCIETATIS JESU,
ANNO MDCCLIX.

DIVO
FRANCISCO XAVERIO
INDIARUM APOSTOLO!

VItæ Illuſtrium Virorum Paraquariæ provinciæ, TUIS ſub Auſpiciis in publicam lucem emittuntur BEATISSIME PATER! qui primus e noſtra Societate per vaſtiſſimi Oceani aquas in Americam ſolviſti; primus Sociorum operam, induſtriamque excitaſti, ultimum petendi orbem animarum cauſa; primus denique veſtigiis TUIS Apoſtolicis ſignaſti barbaras regiones, quo poſteri pro viribus ſuis eadem inſiſterent alacrius.

TUIS Auſpiciis, TUO quodammodo ductu, pulcherrimoque exemplo, per varia terræ diſcrimina, per inſidioſa vada, ſyrtesque Oceani, atque adeo per intentos terra & mari mucrones, per præſentiſſima vitæ pericula, quocunque animarum lucrum vocabat, intrepidi atque alacres penetrare non dubitabant JESU Socii. Ferebant Illuſtres iſti Heroes in oculis, in animis aureas illas epiſtolas, quas TU BEATISSIME PATER! e media America ad Socios Europæos dediſti, eum utique in finem, ut animarum ſitim accenderes in iis, cupiditatem exacueres Evangelicam ſementem ſpargendi apud ulti-

mas nationes, ad quas læti ſalutis nuntii, nullo unquam tempore allati fuere.

Iis verborum facibus ſuccenſi, in diverſum, vel potius adverſum terrarum orbem provolarunt, non modo ut primordia renaſcentis veluti Eccleſiæ TUIS Apoſtolicis ſudoribus cœpta, prodigiisque TUIS firmata recognoſcerent, verum etiam ampliſſimum Americanum ingreſſi agrum, Evangelicæ veritatis ſemen, barbarorum animis concrederent, lætiſſimam, uberrimamque meſſem daturum. Sic TE hortante etiam BEATISSIME PATER! Illuſtres Viri in Paraquaricam Societatem tranſcripti, deſerto natali ſolo, ſpretis honorum ſpebus, quos Europa conferre poterat, ventorum & maris inclementiæ ſeſe permiſere, ut felicibus TUIS cœptis incrementa adderent, & horreum Cœleſtis Patrisfamilias nova meſſe ditarent. Et vero procedentibus annis

Meſſis multa fuit, ſed adhuc ſeges altera reſtat.

TU BEATISSIME PATER! patrocinio TUO tuere in eodem agro etiamnum occupatos Operarios, eorum Apoſtolicos labores provehe, ut omnis ager Americanus fructum ſuaviſſimi odoris reddat, quem boni omnes ex animo optant.

PRÆ-

PRÆMONITIO
AD BENEVOLUM LECTOREM.

ANni complures evoluti ſunt, ex quo Hiſtoria Provinciæ Paraquariæ Societatis Jeſu a me Latine ſcripta, ex America in Belgium miſſa, typis Leodienſibus prodiit. In quo opere, quia Sociorum id temporis adhuc ſuperſtitum acta prorſus Apoſtolica prætermiſeram, & vita functos parce admodum ex compendioſæ Hiſtoriæ legibus laudaveram; promiſi altero volumine utrorumque res præclare geſtas liberaliore calamo me complexurum. Quod ut ocyus facerem, Goſſvinus Nikel, & Joannes Paulus Oliva Societatis Jeſu Præpoſiti Generales, & Andreas Preumonteaux Gallobelgicæ Provinciæ Præſes, aliique præſtantes viri non unis literis me ſtimularunt; verum munera impoſita, locorum mutatio, ſcriptorum meorum in naufragio deformatio, animum per intervalla eo ſe referentem retardavere: quoad tandem ætas ſeptuagenario major, ſenilibus afflicta morbis, me publico ſubtraxit, locumque dedit opus relictum, intermiſſumque reviſendi. Non me latet ſcriptionem hanc omnem inutilem videri poſſe; quod ſelectiora Sociorum Paraquarienſium facinora, Hiſtoria, quæ jam publici juris facta eſt, exhibeat. Et verendum, ne in me jactent illud:

Et male quisquilias recoquit quater olla recoctas.

Verum hi reputent, ad id me exemplis fuiſſe inductum. Quis equidem poſt Livii annales, Romanamque Hiſtoriam, Plutarchi, Svetoniique opus ſupervacaneum exiſtimabit? damnabitque illos, qui ex Baronii non minus fæcundo, quam omni ornatu inſtructiſſimo horto Sanctorum flores; ex Orlandini, Sachinique Hiſtoricis areolis, Illuſtrium Virorum Societatis noſtræ odoriferos ramuſculos decerpſerint? Faciam itaque in hoc volumine, quod rerum Japoniæ, Æthiopiæ, Braſiliæ, Mexici, Chinæ, & aliarum Provinciarum ſcriptores, per ſe, vel per alios factitarunt; qui præter res geſtas, in annales redactas, Virorum Illuſtrium vitas ſeparatim ſcripſerunt. Quod ſi quis in hoc opere haud approbet, multa iisdem verbis, quibus in hiſtoria generali uſus ſum, a me enarrari, velim intelligat: me jure meo uti, ſi ex hortulo meo fruges carpſero. Nam paſſim videmus externos, domeſticosque Virorum Illuſtrium ſcriptores, multa nec mutata loquendi methodo ad verbum, ex aliorum ſcriptis in ſua volumina transferre; cur, quod illis licet in peregrino fundo, in meo id mihi non liceat? His impulſus, hoc novum opus in publicam lucem emitto. Id Lectorem moneo, non abs re facturum; cum Hiſtoriam meam Paraquarienſem ad manum non habuerit, ſi Synopſim Chronologicam percurrat; quam idcirco huic volumini adjunxi, ut planius iter ſit ad cognoſcendas virorum Illuſtrium, de quibus ſcribimus, Vitas.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA
HISTORIÆ PARAQUARIÆ
PROVINCIÆ SOCIETATIS JESU.

UTrum America, certe quidem ejus pars Auſtralis, de qua diſſero, priſcis ſeculis nota fuerit, incertum mihi omnino eſt. Nam quamvis Cicero in ſomnio Scipionis, globum mundi duas in partes habitabiles dividens, alteram ſub axe ad ſeptem ſtellas, alteram Auſtralem, quam Antictona, a Græcis ab oppoſito axe appellat, conſtituat; & Pomponius Mela veteri mundo obverſam terram Antictona, & ejus habitatores Antictones nominet; & Avitus apud Senecam, nec non Clemens Sancti Petri Diſcipulus, ultra Oceanum rurſum alia littora, & alios terrarum orbes naſci putent; Indeque confici velint nonnulli, partem hanc orbis, auditione acceptam, & viſu ipſo olim fuiſſe uſurpatam, tamen eorum dicta inter conjecturas potius, quam oracula reponenda eſſe cenſeo. Idem eſto de opinione aliorum, qui Americanos, progeniem Sinarum, mare Pacificum olim navigantium, aut Judæorum ſub Rege Oſea, ab Salmanaſaro in has terras tranſportatorum affirmant. Quorum dicta nec infirmo, nec probo; nam quæ ſine ratione aſſeruntur, falſo plerumque contermina ſunt, & perinde odioſum eſt ſine ratione negare, quam fidei noxium temere affirmare.

ANNUS CHRISTI.

Scio diluvii memoriam apud hos populos remanſiſſe; utrum vero memoria illa ad totius mundi Cataclismum referenda ſit, an ad particulare quarumdam Regionum diluvium ſpectet inſtar

A. C. Ogigii diluvii, quo Achaja; aut Deucalionis, quo Theſſalia operta eſt? in medio relinquo. Itaque Platonis Atlantidem, diluvii rationes, Salomonicam Ophir, transmigrationem animalium, & id genus ſexcenta prætermitto, atque lubens a conjecturis abſtineo, cum non deſint vera, quæ afferam. Igitur ab exploratis ordior.

Sub finem anni milleſimi quadringenteſimi, novum hunc orbem (quem nonnulli Atlanticam inſulam ex Thymæo Platonis arbitrati ſunt) nauta quiſpiam tempeſtatum vi in Oceanum abreptus detexit, qui in Materiam inſulam redux, fortuitæ navigationis delineationem moriens Chriſtophoro Columbo, ingentis animi viro, diſciplinæ aſtronomicæ, reique nauticæ peritiſſimo legavit.

1492. Chriſtophorus Columbus Ligur, novum hunc orbem pro Catholicis Regibus primus adiit. Eo ſcilicet anno, quo in Hiſpaniæ Regno Maurorum dominatio deſiit, capto Granatæ Regno, & Judæorum octoginta millibus expulſis. DEO in præmium ſacri belli, Catholicos Reges novi orbis dominio ornare volente.

1493. Secundum Chriſtophori Columbi in Hiſpaniam reditum, Catholici Reges ab Alexandro VI. ſummo Pontifice petierunt, ut Inſulas, ac Regiones, quas ipſi Occidentem verſus detegerent, ſui juris facere liceret. Annuit Papa, initiumque fieri voluit a primo Meridiano, qui a Promontorio viridi, aut ab Azoribus non niſi centum leucis abeſt.

1494. At enim hoc anno Orientalis Indiæ, & Oræ Æthiopicæ quæſita poſſeſſio, hanc Alexandri VI. delineationem interturbavit. Namque Luſitani, diploma vetus Eugenii IV. obtenderant, ut ne Africæ Oram Hiſpanus attingeret. Quapropter non invitis amicis Regibus, Alexander VI. novum diploma edidit, quo Luſitanis hunc terrarum terminum longius extendit.

Inſequentibus annis ad annum usque ſecularem, Hiſpani continentem novi orbis detexerunt, novis coloniis identidem eo deductis.

1500. Alvarus Capralis cum tredecim navium claſſe, in Orientalem Indiam ſolvens, adverſa tempeſtate abreptus, Braſiliam reperit, cujus littora paulo poſt Veſputius Americus exploravit, a quo novus hic orbis Americæ nomen accepit.

Criſtophorus Columbus nobiliſſima ſtirpe ortus, moritur, detectione Indiarum, & navigatione usque ad fretum Magellanicum (ut inquit Mariana) famoſus; huic debet Hiſpania novi orbis Imperium.

1512. Luſitani penetrant ad Mamalucas Inſulas; quam ob rem lites obortæ ſunt Hiſpanos inter, & Luſitanos.

Fer-

Ferdinandus Magellanes nobilis Luſitanus, auſpiciis Caroli A. C.
quinti Cæſaris, via compendiaria ad eaſdem Mamalucas Inſulas 1519.
navigans, fretum Magellanicum aperit.

Hoc & ſequentibus annis Braſilia novis coloniis ab Luſitanis 1520.
augetur.

Martini Soſæ, qui in parte Braſiliæ Prætorem egit, juſſu, 1528.
Alexius Garcia cum tribus Luſitanis, popularibus ſuis, ac Filio, terreſtri itinere ad Peruviæ fines penetrans, magnam argenti facti, infectique vim corraſit. Inde redux, a Paranenſibus, & Paraquarienſibus, quorum duo millia in comitatu habuit, ad Paraquariæ littus fæde trucidatur.

Non longe poſt Georgius Sedenius, ex eadem Braſilia Au- 1529.
ſtrali, ejus veſtigia relegens, ab Paranenſibus vindictæ metu, cum Luſitanorum cohorte doloſe ſubmergitur.

Sebaſtianus Gavotus pro Carolo Cæſare flumen Paranam, 1530.
cum tribus navibus, & ter centum militibus adit; inde ad Paraquarium profectus, cum multa ex argento ſigna in barbarorum tesquis reperiſſet, neque de Alexii Garciæ in Peruviam itinere, ac cæde quidquam comperiſſet; exiſtimans eas eſſe Paraquarii Fluminis nativas opes, raptim quæ potuit, a barbaris redemit, & Caſtrum Sancti Spiritus ad Paranæ ripam conſtituit.

Idem Gavotus munito Sancti Spiritus Caſtro, relictoque ad 1531.
præſidium Nunio Lara, & Hiſpanorum cohorte, cum reliquis nautis, & militibus Europæis in Hiſpaniam vela vertit.

Poſt Gavoti diſceſſum, Timbuſii barbari occiſo Nunio Lara 1532.
cum plerisque præſidiariis, Caſtrum Sancti Spiritus evertunt. Quadraginta ſuperſtites Hiſpani, Mosquera Duce ad proxima Braſiliæ loca enavigant. Caſtellum e fundamentis excitant ſub ea cœli poſitione, ubi polus antarcticus ſupra horizontem, non niſi gradibus viginti quinque eminet. Atque hic primum pro limitibus certatum eſt ab Hiſpanis, & Luſitanis, ſuperioribus illis.

Sebaſtianus Gavotus in Hiſpaniam redux cum mira ſparſiſſet 1533.
de rebus abs ſe inventis, Parana ob allatum inde per eum argentum, fluvius Argenteus vulgo *Rio dela plata* ſpecioſo magis, quam vero nomine eſt appellatus.

Audito Gavoto, Caroli quinti imperio, ſenatus-conſultum eſt habitum, decretumque, ut numeroſa Colonia ad Argenteum fluvium duceretur.

Delectu habito, duo millia hominum, ſupra ducentos, præ- 1535.
ter nauticam turbam, duce Petro Mendoza, Cæſaris Dapifero ſunt recenſita; hos inter triginta duo erant Illuſtrium Familiarum primi hæredes, quos Hiſpani *Majorasgos* vocant.

A. C. Poſt varios caſus Petrus Mendoza in Braſiliam primum pervenit, nec longe poſt, flumen Argenteum pro Carolo quinto occupat, ac caſtrum Boni aëris fundat.

Didacus Mendoza, Prætoris germanus, a barbaris, cum ducentis Hiſpanis trucidatur, reliqui coloni peſte ſæviente, magna ſui parte minuuntur.

1536. Petrus Mendoza, non reperto, quod quærebat, argento, ſpe ſua fruſtratus, Joannem Ojolam Pro-Prætorem creat, & in Hiſpaniam renavigans, fame urgente, ex fætæ canis eſu, cum multis vectoribus rebus humanis eripitur.

1537. Joannes Ojola Pro-Prætor dum terras, Peruviam verſus, & auri, argentique fodinas explorat; cum omni ſuo comitatu ab Pajaguis dirum in modum trucidatur.

Abſente Ojola Gonſalvus Mendoza in Paraquarii ripa arcem, Virgini Aſſumptæ Sacram conſtruit, & ſub idem tempus, vi Cæſarei diplomatis, quo novis colonis poteſtas fiebat eligendi Prætorem, ſi Prætor nullo nominato ex hac vita deceſſiſſet, Dominicus Irala plurium ſuffragiis Argentei fluminis, & Paraquarii præfecturam adipiſcitur.

Dominicus Irala cenſum ſuorum iniit, & quod mirere, ex omni numero, tantillo tempore, vix ſexcenta virorum capita ſupereſſe reperit.

Sub idem tempus navis Genuenſis, necquiquam tentato Magellanico freto, ad arcem Boni aeris acceſſit, maluitque in Argentei fluminis colonorum album referri, quam ſe denuo incogniti maris periculis committere. Quamobrem navigantes, ac nautæ omnes ad Paraquarium conſedere; unde factum, ut in hanc Americæ partem Trochorum, Aquinatium, Rizorumque Familiæ propagarentur.

1538. Cenſu inito arx Boni aëris, ob paucitatem colonorum evertitur, & arx Aſſumptæ Virginis, nomine commutato in urbem Provinciæ caput condi cœpta eſt, jacet ſub vigeſimo quinto gradu elevationis Auſtralis, a mari ducentis quadraginta leucis, ab Paraquarii oſtio quadrageſimo lapide. Urbs hæc etiamnum dominatur.

1539. Alvarus Nunius, cui gentile nomen a capite vaccæ, præfecturam Paraquarienſem ab Carolo V. ob ingentia majorum merita obtinuit, & quadringentis Hiſpanis ex Europa advectis numerum civium urbis Aſſumptionis auxit. At enim ea Provincia prope fatalis viro fuit; namque malis artibus Regiorum Quæſtorum in ſuſpicionem adductus, veluti inconſulte & indulgenter Rempublicam adminiſtraret, a tumultuantibus civibus vinculis oneratur, & cum accuſatoribus in Hiſpaniam deportatur.

Alva-

Alvarus Nunius ab Carolo V. non modo abſolvitur, verum A. C.
præterea duobus aureorum millibus annuatim donatus, in Hiſpalenſi Senatu, integra fama, conſenuit. Accuſatorum ſors funeſta fuit; namque eorum alter in carcere repentino metu correptus, ſubito extinctus eſt, alter in amentiam prolapſus; ſupremo Judice Cæſaris judicium comprobante. 1540.

Retento in Hiſpania Alvaro Nunio, Cæſar Joannem Sanabriam Paraquariæ Prætorem creat. Itineri accinctum mors occupavit. Filius dignitate Patris potitus, cum quadringentorum Hiſpanorum præſidio in Provinciam proficiſci jubetur. Qui dum in Hiſpania variis ſe negotiis implicat, ac moras nectit, Cæſaris voluntate Paraquariæ Prætura rurſum in Dominicum Iralam transfertur, qui rempublicam ordinavit, terrasque oppidis fundandis idoneas veſtigavit.

Abſente Irala, Franciſcus Mendoza ambitæ præter ordinem præfecturæ reus, cum in ferali pegmate, jamjam ſecuri percutiendus eſſet, palam prodidit, abs ſe olim in Hiſpania Sacerdotem domeſticum, conjugemque ſuam, ob leves ſuſpiciones peremptos fuiſſe, eodem plane menſe, ac die, quo nunc ad pœnas depoſcitur.

Iralæ poſt multos annos ſucceſſere: Franciſcus Vergara, & 1572.
Joannes Ortiſius Sarate, qui anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, quingentos Hiſpanos in Paraquariam invexit. Quorum Prætorum præcipue auſpiciis, facta jam ſobole; Paraquaria Provincia, multis coloniis aucta eſt. Earum ego ſitum, quantum ad inſtituti mei rationes pertinuerit, non ſervato fundationum ordine, breviter deſcribam; idem facturus de Chileno Regno, & Tucumania, quo facto, Chronologicam Synopſim proſequar.

Paraquaria Provincia, a Paraquario flumine nomen mutuata, antequam in duas Præfecturas ſcinderetur, ſemota Tucumania, id totum terrarum complectebatur, quod Braſiliam inter, & Peruviam interjacens, ultra fluminis Argentei oſtium, ad mare Atlanticum, immenſa prope vaſtitate, excurrit. Magnitudinem ex eo conjicies, quod Paraquarius, & Parana, antequam ſuas aquas miſceant, trecentis ferme uterque leucis, innumeris aucti fluminibus, per vaſtas utrinque Regiones æquali Majeſtate, ac fama ſpatientur. At ubi ducentis a mari leucis ſe junxerint; fluvium Argenteum conficiant, qui per octoginta leucarum oſtium in Oceanum præcipitat.

Quinquaginta a tanto oſtio leucis, urbs Boni aëris ibi condita eſt, ubi arcem ejuſdem nominis a Petro Mendoza fundatam diximus. Octogeſimo ferme inde lapide, urbs Sanctæ Fidei

poſita

A. C. poſita eſt, & pari iterum intervallo, in concurſu Paranæ, & Paraquarii, Urbecula (Corrientes vulgo appellant) viſitur. Inde adverſo Parana centum, & amplius leucas nitentibus, ſuperato immenſo præcipitio; Gvairania, Braſiliæ obverſa Regio occurrit, duobus Hiſpanorum oppidulis olim conſpicua. Ad ſuperiorem vero Paraquarii partem, Xereſium, & Villarica, modica Hiſpanorum oppida eo fine conſtructa ſunt, ut Paraquaria per eam partem interioribus populis committeretur. Denique urbs Conceptionis ad Fluminis rubri paludes poſita, retundendæ ferociſſimarum Nationum audaciæ diu opportuna fuit. Cæterum de Aſſumptionis Paraquariæ Metropoli, & recenſitarum urbium coloniis ſic velim exiſtimes, eas eſſe generoſiſſimarum ſtirpium ſemina, & adhuc oſtentare præcipuas Hiſpanicæ nobilitatis familias. Verum tantam Nobilitatem magna ex parte deformavit conditio loci, nullas opes conſervandæ majorum dignitati ſubminiſtrantis. Nam Paraquaria, aurum gemmas, & argentum penitus ignorat, & hactenus Hiſpani in ea viventes, formas pecuniarum vix agnoſcunt, permutatione rerum, antiquæ ſimplicitatis æmuli, adhuc utentes. Hæc de Paraquariæ, & Fluminis argentei coloniarum initiis pro inſtituto ſatis.

Chilenum vero Regnum, continuato littore Peruviæ conterminum, inter mare Pacificum monteſque ei perpetuo parallelos, a vigeſimo octavo, usque ad quadrageſimum quartum circiter altitudinis Auſtralis gradum, exigua triginta leucarum, & ſubinde minori latitudine interjacet. In hoc Regnum primus, quod ſciam, Didacus Almagrus cum quadringentis Hiſpanis, & Ingæ Regis obtruncati Filio ingentem turbam ſecum trahente majori ſpe, quam ſucceſſu, anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto penetravit. Non diu poſt Petrus Valdivia, totum quantum eſt, Chilenum Regnum, in poteſtatem Regum Catholicorum receptum, Coloniis occupavit. Regni Metropolim Divi Jacobi nomine inſignitam, vigintiquinque a mari leucis, trigeſimo quarto latitudinis Auſtralis gradu conſtruxit. Urbem Imperialem ibi poſuit, ubi Polus antarcticus triginta ferme, & octo gradibus ſupra Horizontem elevatur. Gradu vero quadrageſimo, Valdiviam ſibi cognominem Urbem, in ſolo auri probatiſſimi feraciſſimo, non procul a mari, & Villaricam in mediterraneis ædificavit. Ejuſdem auſpiciis in Coquimbenſi valle, Coquimbo, ſive Serena oppidum, & Angol inter Imperialem, & novam Conceptionis urbem erecta ſunt.

Chilenum porro regnum hoc modo in poteſtatem venit: Araucanæ, & Purenæ vallis indigenæ, nimias auri foſſiones pertæſi; cum nihil remitteret aſſiduus labor, Caupolicano Duce con-

conjurantes, Petrum Valdiviam, & Hiſpanos quam plurimos miſerum in modum, infuſo etiam in os Valdiviæ auro liquefacto, ſuſtulerunt. Franciſcus Villagra, Valdiviæ Succeſſor, popularium vindex; multa bella feliciter confecit, donec ejus etiam copiæ a barbaris opprimerentur. Villagræ infortunium ſecuta aliquot novarum Coloniarum depopulatio, diſperſis barbaris, quod ſervitutem ferre non poſſent. Poſt Villagram Garzia Hurtadus Mendoza, Marchionis Canietæ Peruviæ Proregis Filius, multas Hiſpanorum cohortes, & machinas bellicas, in Chilenſe regnum invehens, barbaros tanto terrore affecit, ut pleroſque proniſſimos habuerit ad amicitiam. Araucanos, & Tucapelanos, imperium detrectantes, occiſo Caupolicano Valdiviæ parricida, juſto prælio devicit. Urbes: Valdiviam, & Imperialem a rebellibus fœde habitas, reſtituit. Oſornum oppidum incolendum dedit Hiſpanis, comitibus ſuis. In Cujoenſi Provincia Mendozam urbem duorum oppidorum poſtea caput, per legatum de ſuo nomine poſuit. A. C.

Quiroga, ejus Succeſſor variante fortuna inter continuos pæne tumultus, Regnum adminiſtravit, ac demum Ildefonſo Sotto-Majori, anno præteriti ſeculi ſeptuageſimo ſecundo tradidit. Is caſtro, in Araucana valle condito, Araucanos, qui fere cum luberet, rebellarunt, nonnihil repreſſit; ut adeo Martinus Lojola, ejus Succeſſor, pacatum regnum, urbibus Hiſpanorum duodecim conſpicuum, regendum per manus acceperit, quanquam & ipſe Lojola a barbaris trucidatus ſit.

Porro ut hoc addam: nihil Chilenſi Regione tota, ſive ad amænitatem delicioſius, ſive ad ſuavioris vitæ uſum fingi poteſt, accommodatius. Omni fructuum genere abundat, oſtentatque gratis collibus, fluviorum rippis, vallium pratis, fontium marginibus pleraque, quæ America, & Europa ſparſim parturit. Toto anno tonitrua nulla; nullum terra venenoſum animal, aut feras nocivas parit. America tota nullum fere aurum ita probatur ut Chilenum; in quo eruendo, ſi rite, & moderate primis illis temporibus rem geſſiſſent Hiſpani, diu felices eſſe poterant. Hæc de Chileni Regni primordiis ſatis eſſe arbitror ad rerum dicendarum notitiam. Nunc de Tucumania.

Tucumania inter Paraquariam, & Chilenum Regnum media, tota Hiſpania, ſi longitudinem ſpectes, mole major. Ab Oriente partim ipſi Paraquario, partim Argenteo flumini adjacentes terras reſpicit. Ab Occidente Peruviæ montibus terminatur Auſtrum verſus: planitie camporum ad fretum Magellanicum exporrecta. Qua ſeptemtrioni obvertitur; ferociſſimis nationibus intercipitur. Inter temperatam Zonam jacet, præter-

A. C. quam, quod extrema ſui parte in torridam aliquantum excurrat. Indigenæ, qua Peruviæ contermini erant, Ingæ Regi parebant. Cæteri in partes ſciſſi Caſiquiis ſuis adhærebant, non tam moribus, quam varietate linguarum inter ſe diſſimiles. Raro duarum, triumve factionum populi, ad propulſandos hoſtes conjurabant. Nec aliud Hiſpanis olim fuit utilius, ad debellandos hos populos, quam quod in commune non conſulerent.

Primus, quod ſciam, Tucumaniam detexit Cæſar aliquis Sebaſtiani Gavoti miles, qui anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo cum tribus ſociis ex fluvio Argenteo, iter exploraturus, in Peruviam delatus eſt; ultro progreſſus, omnem Tucumaniam peragravit. Quinquennio poſt, dum Petrus Mendoza ad fluminis Argentei ripas Caſtrum Boni aeris molitur, rurſum duo milites memorabili audacia per ipſam Tucumaniam in Peruviam penetrarunt. Anno 1540. Joannes Rocas, ex Peruvia cum ducentis Hiſpanis Tucumaniam armis aggreſſus, in aditu fere Provinciæ, commiſſo prælio venenata ſagitta interficitur. Anno 1549. Joannes Nunius Pradus conducta in ſpem magnam, Nobilium Hiſpanorum centuria, Tucumaniæ interiora pervadens, ad Eſcavam flumen Sancti Michaelis Urbem condere cœpit; quæ ad Calchaquinam vallem primum, deinde alio translata, paulo poſt everſa eſt. Is cum Franciſco Villagra, qui e Peruvia per Tucumaniam in Chilenum Regnum ibat, ac ſubſidiarias copias ductabat, de dominatione contendens, facto prælio capitur; a quo libertatem, dignitatemque ea lege recepit, ut Tucumania Chilenſis Regni Prætori acceptis ab eo deinceps Præfectis ſubderetur. Anno igitur milleſimo, quingenteſimo quinquageſimo octavo, Garcia Hurtadus Mendoza, Marchionis Canietæ Peruviæ Proregis Filius, Chilenſis Regni Prætor, Joannem Gomezium Zuritam Tucumaniæ præpoſuit, qui Londino Urbe conſtructa, Calchaquinos, & adjacentes barbaros Hiſpanis infeſtos repreſſit. Sancti Michaelis Urbem reſtituit. Per Julianum Sedenium ædificata Cordubenſi arce; Calchaquinos domuit, & octoginta Indorum millia in una Sancti Jacobi ditione in cenſum relata, Regi Catholico vectigalia fecit. Denique rem contra barbaros ita feliciter geſſit, ut Peruviæ Prorex in præmium, Tucumaniam ab Chilenſis Regni jurisdictione exemptam ei ſubjecerit. Sub variis deinde ſibi ſuccedentibus Præfectis, per totam Tucumaniam multæ Hiſpanorum Coloniæ aut reſtitutæ, aut de integro conditæ ſunt. Ex quibus, cæteris bello, aut locorum injuria deletis, adhuc ſuperſunt præter Sancti Jacobi metropolim: Corduba, Sancti Michaelis Civitas, Salta, Cuicuiſenſis Urbs, Rioca, Eſtecum, Londinum, & paucula militum præſidia, quibus ſubſunt multarum

rum nationum populi, Hiſpanorum auſpiciis, & fortitudine ad Catholici Regis obſequium non ſine ſanguine, magna ex parte translati. A. C.

Porro ut rem meam agam, de Sacrorum in eas regiones introductione hæc pauca accipe. Carolus V. Cæſar eodem fere anno, quo Paraquariæ Metropolis condita erat, aliquot Sacerdotes, & anno præteriti ſeculi quinquageſimo tertio, primum Paraquariæ Epiſcopum, cum ampliſſimis, & Cæſareis donis ad Sacrorum procurationem ſubmiſit. In Chilenſi Regno, in Tucumania, & portu Boni aëris Regum Catholicorum authoritate, & ſumptu, Epiſcopales ſedes erectæ, Canonicorum Collegia inſtituta, & Seminaria conſtructa ſunt; præterea in ampliſſimis his regionibus, eorundem munificentia Sacerdotes aliti, Religioſorum domus fundatæ, & frequentibus literis, Proreges, Urbium Præfecti, Senatus ampliſſimi, in mandatis habuere, ut Indorum vexatione cohibita, præcipuam curam in novæ gentis æternam ſalutem intenderent. Qua in re, quid Jeſu Societas tantorum Regum auſpiciis per Tucumaniam, Paraquariam, & Chilenſe regnum, antequam in unam Societatis Provinciam coaleſcerent, præſtiterit; continuata Chronologica Synopſi breviter explicabo.

In his rerum primordiis miſera plane novarum Provinciarum facies erat: nam præter pauculos Sacerdotes Indicarum linguarum plane ignaros, Epiſcopi nullos ferme habebant idoneos adjutores. Pleraque Hiſpanorum oppida Sacramentorum uſu deſtituta, in ſumma libertate, impunitateque vitiis ſcatebant. Indorum vero ſalus ob eandem cauſam domi, foriſque in deſperato erat. Quocirca, etſi Epiſcopi pro inſigni virtute cuperent noſtræ Religionis proferre fines, & vitia profligare, tamen in tanta immenſitate terrarum, & barbararum nationum, infinito prope numero, profligatis præſertim Hiſpanorum moribus, ſufficere haud quaquam poterant, donec Tucumanenſi Epiſcopo Domino Franciſco Victoria, e Dominicana familia anno milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo Infula donato, cœlitus injecta mens eſt, ut vellet Societatem in ſubſidium e Braſilia in Tucumaniam vocare.

Primi e Peruvia; Joannis Atienſæ Provincialis authoritate 1586.
miſſi ſunt; Franciſcus Angulus, & Alphonſus Barſena Sacerdotes, nec non Joannes Villegas laicus; qui ſuperatis montibus Peruviam a Tucumania ſcindentibus, Saltam, & Eſtecum nuper conditas urbes, ab omni Chriſtiano paſtore ſejunctas, Apoſtolice omnino curavere, non ſine admirabili Hiſpanorum, & Indigenarum fructu; idemque præſtitere in Sancti Jacobi urbe.

A. C. Quot porro millia barbarorum his initiis ſacris undis ab ipſis reſperſa fuerint, non ſatis liquet: nam primi illi Provinciæ noſtræ Heroes, non æque ſua ſcribere, ac multa pro Chriſto facere amabant. Nec mihi ſincere res ſcribenti libitum eſt, incerta pro certis poſteritati transmittere.

Secundum id, Alphonſus Barſena, cum Joanne Villegas Eſtecenſem urbem, Epiſcopo volente repetiit; in cujus ditione, ſex millia barbarorum ſupra ſexcentos cœleſti lavacro purgavit, multisque parium millibus matrimonium ineuntibus legitime adfuit.

Ex ea expeditione redux cum Franciſco Angulo, Cordubenſem Provinciam eadem ratione procuravit. Porro domi, foriſque exiguo plane tempore ſeptingentos ab utroque fuiſſe ſacro lavacro ablutos, ipſi ſuas in tabulas retulerunt.

1587. Acceptis Tucumaniæ Epiſcopi literis, Braſiliæ Provincialis, Socios quinque: Leonardum Arminium Italum cæteris præpoſitum, Joannem Salonium, Valentiæ in Hiſpania natum, Thomam Fildium Hibernum, Emmanuelem Ortegam, & Graum Luſitanos, in ſubſidium miſit; qui in oſtio fluminis Argentei ab Anglis hæreticis capti, & vexati, tandem portum Boni aëris ingreſſi ſunt. Ortega Salonius, & Fildius lubenter ſe Hiſpanis Patribus adjunxere. Arminius, & Graus Braſiliam repetiere.

Alphonſus Barſena, & Emmanuel Ortega in Cordubenſi tractu bis mille, & quingentos probe inſtitutos baptismo admovent, mille, & quingenta paria pellicatu implicita legitimo vinculo conjungunt peſte graſſante. Præter hæc; Barſena quater mille capita ad recipiendum baptismum feliciter adduxit.

Barſena, Ortega, & Fildius Salſi fluminis accolas excultum eunt, ingenti plane fructu, traductis ad Chriſtiana Sacra non paucis illius regionis barbaris.

1588. Salonius, Ortega, & Fildius, omnium e Societate primi, in Aſſumptionis urbe domicilium figunt; qui curata Civitate, ad ſuburbanos pagos, & villas excurrentes, adhibitis Baptismi, Matrimonii, Catecheſeos, & Exomologeſeos adminiculis grandem animarum meſſem collegerunt.

Joanne Salonio in urbe remanente, Ortega, & Fildius in Gvairaniam Braſiliæ obverſam regionem, multis paganorum millibus infeſſam penetrant. In centum, & quinquaginta leucarum itinere, quam plurimos Chriſto lucrifaciunt. In uno pago trecentos, & quinquaginta ethnicos e ſilvis protractos Chriſtianæ militiæ adſcribunt. Civitatem Regalem Sacerdote deſtitutam (in cujus vicinia Melgarecus ejus fundator, quadraginta millia barbarorum in album retulerat) ingreſſi, menſem integrum, in baptismo Indorum, & Hiſpanorum conſcientiis curandis poſuere.

Sub-

Subinde octoginta leucarum itinere, Villaricam alteram Gvairaniæ urbem petentes, obvios paſſim barbarorum pagos baptismo, & confeſſione expiavere. In urbe, quadrimeſtri ſpatio, Hiſpanorum omnium conſcientiæ purgatæ ſunt, & ingens barbarorum numerus ad partes Chriſti traductus. Explorata regione: repe-rere ducenta ethnicorum millia, in Gvairania ad ſinceram Chriſti religionem adduci poſſe. Igitur ad Aſſumptionis urbem regreſſi, de his Salonium, qui tum noſtris præerat, edocuerunt. In reditu multos mortalium ſalutaribus undis aſperſerunt. A. C.

Salonius, Ortega, & Fildius in Aſſumptionis urbem graſſante ſævum in modum peſtilentia, non integro anno quindecies millies pœnitentibus aures præbuere, & mille, quingentos ethnicos baptizavere. Extra urbem vero decies mille morientium expiationes fecere, totidem cadaverum millia ſuis plerumque manibus ſepelivere, & quatuor ethnicorum millia Sacro fonte abluere. 1589.

Ortega, & Fildius Gvairaniam repetentes, in Civitate Regali, Sacerdote eatenus carente, omnes a peccatis abſolvere, & mille capita per baptismum Chriſtiana fecere. His rebus patratis, Emmanuel Ortega, Thomam Fildium Villaricam, Sacerdote pariter deſtitutam præmiſit, ipſe in itinere bis mille, & quadringentos Sacro latice perfudit, ducentos, & quinquaginta ſupra mille matrimonio alligavit, ſacrarum confeſſionum, & ſepultorum cadaverum numerus iniri non potuit. In pago uno triginta vetulas centenariis majores, & earum conjuges ferme omnes ariolandi arte infames, ab impia ſuperſtitione ad Chriſti fidem traduxit.

Villaricæ peſte omnia vaſtante; Ortega, & Fildius ſexies mille, ſupra ſexcentos ethnicos baptizavere, bis mille, & octingentis matrimonium ineuntibus adfuere. Quater mille, ſupra centum, & ſexaginta ſuis manibus ſepelivere. Extra urbem vero variis in pagis ter mille, & centum barbaros jugo dæmonis per baptismum eripuere. Bis mille, & quingentos matrimonio ligavere, & alibi ter mille, & quadringentos, non ſine præſenti vitæ periculo.

Eodem anno Societatis ſedes Villaricæ ponitur, & Salonius in Aſſumptionis urbe ſolus pluribus par, parvulis prima fidei principia, adultis accuratam methodum vitam vivendi Chriſtianam, e ſuperiore loco indefeſſo ſtudio explanavit. Octoginta Gvaicuræos proditionis convictos, antequam funeſtis ab arboribus ſuſpenderentur, ſalutaribus aquis tinxit.

In Tucumania Calchaquinos rebellantes Alphonſus Barſena ad pacem revocavit, & in ſpem convertendæ ad Chriſtum gen-

A. C. tis, multos eorum infantes ſacris undis abluit. In Sancti Jacobi montanis ſexcentos ethnicos Chriſto adjunxit; ex Lullis ſupra bis mille primis Chriſtianorum Sacris initiat, & magna utilitate Tucumaniam omnem Apoſtolice luſtrat.

1590. Joannes Fontius, & Petrus Agnaſcus e Peruvia miſſi, in Tucumaniam perveniunt. Fontius reliquis ſociis præeſſe juſſus, ad Frontones profectus; quamplurimis eorum infantibus in ſpem convertendæ gentis baptiſmum confert, qui fere omnes graſſante lue extincti ſunt. Inde ad Calchaquinos penetrans, mille infantes Chriſtiano ritu abluit.

Alphonſus Barſena, & Petrus Agnaſcus Mataranos ad Flumen Rubrum rudimentis fidei imbuunt; & Chriſti partibus adjiciunt ſeptem eorum millibus per baptiſmum, & alia Sacramenta curatis.

1592. Ambo inſatiabili animarum lucro flagrantes, partim in Tucumania, partim apud Mataranos novem diverſa Indorum idiomata communicatis inter ſe ſtudiis didicere. Alii ſocii in Gvairania, Paraquaria, & Tucumania copioſam animarum meſſem fecere, baptiſmi, & aliorum Sacramentorum uſu introducto. Eminentibus ſemper Barſena, & Agnaſco, qui in Sancti Joannis ad Paranam ditione, Hiſpanos ad meliorem frugem reduxerunt, magnamque Indorum multitudinem per baptiſmum, & exomologeſim ſedulo procuraverunt.

1593. Joannes Atienſa Peruviæ Provincialis, literis Philippi ſecundi Catholici Regis acceptis, quibus jubebat Societatem Jeſu in Chilenum Regnum induci, eo deſtinavit Ludovicum Valdiviam, Joannem Olivares, Ludovicum Stellam, Gabrielem Vegam Sacerdotes, nec non Fabianum Martines; & Michaelem Telenam, laicos; & qui omnibus præeſſet, Balthazarem Piniam, grandibus per Europam, & Americam factis illuſtrem. Hi ad Chileni Regni metropolim terra, marique delati, Æthiopes, Indos, & Hiſpanos Apoſtolicis artibus excoluere. Deinde in varias partes diſtracti, inſignia vulnera ſuperſtitioni Sacramentorum armis intulere.

Eodem tempore e Peruvia in Tucumaniæ ſubſidium miſſi ſunt: Joannes Romerus, Gaſpar Monrojus, Joannes Viana, & Marcellus Lorenzana Sacerdotes, atque Joannes Aquila laicus. Et quoniam Joannes Romerus ſociis per Tucumaniam, & Paraquariam ſparſis, præeſſe juſſus fuerat; eos pro poteſtate hunc in modum diſperſit: Alphonſum Barſenam, & Joannem Aquilam, Paraquariæ metropolim inſidere, Emmanuelem Ortegam, & Thomam Fildium in Gvairania figere ſtationem, Petrum Agnaſcum, atque Gaſparem Monrojum, Omaguacis Chriſto lucrandis in-

inſiſtere. Franciſcum Angulum, & Joannem Vianam in Tucumaniæ metropoli rem Chriſtianam curare juſſit. Ipſe, more Ducis, nullo loco fixus, ubique aderat, exiguis copiis, & ſeipſo vaſtas disjectasque regiones occupans. Hi omnes, hoc & inſequentibus annis inſignia a dæmonibus ſpolia retulere; præſertim Salonius, & Lorenzana, adverſo Paraquario plusquam centenis leucis profecti. A. C.

In Gvairania duo oppida Emmanuel Ortega, & Fildius ex reductione barbarorum fundant. 1594.

Gaſpar Monrojus cum Joanne Toletano laico, Omaguacarum fines prætergreſſus, in primo aditu eorum ſexcentos ritu Chriſtiano lavit; & Piltipicone gentis Primore ſibi conciliato, vallem integram Hiſpanis alias infenſam, amicam reddidit. 1595.

Petrus Agnaſcus, & Gaſpar Monrojus Piltipicone ad Chriſti partes adducto, Omaguacarum quamplurimos ſacro fonte abluunt. 1596.

Petrus Agnaſcus, & Antonius Vivar, Tucumaniæ Prætoris poſtulatu, Sancti Jacobi ditionem omnem innumeris Indis tum frequentem, circuire, Gaſpar Monrojus, & Joannes Viana metropolim inſidere, Franciſcus Angulus Inquiſitionis Commiſſarius, integritati fidei inter Hiſpanos ubique conſervandæ invigilare juſſi ſunt. Ipſe autem Romerus ſaltenſes, & Cucuiſenſes comite Eugenio Baltodano coadjutore curandos ſuſcepit. Sociis interim aliis, per Paraquariam, & Gvairaniam infeſta dæmoni arma circumferentibus. 1597.

Honeſtiſſimus vir, centum millia aureorum Societati addixit, ſi Arauci ſedem ponere vellet, quam ſummam Joannes Sebaſtianus Purricius non admiſit, cœlitus edoctus, brevi regionem omnem ingenti tumultu miſcendam; quocirca Socios Arauco quamprimum excedere voluit. Orto Chilenſi bello, & occiſo Martino Lojola Prætore; multæ urbes evertuntur, & miſſiones Sociorum turbantur. 1598.

Alphonſus Barſena ex hac vita decedit.

Joannes Salonius præclara morte defungitur.

Emmanuel Ortega in Gvairania, in ſtupenda eluvione magnum barbarorum numerum beneficio baptiſmi cœlo tranſcribit, & cum Fildio ad Aſſumptionis urbem redit, expletis in Gvairania octo miſſionis annis, grandi animarum lucro reportato. 1599.

Anno ſeculari e Peruvia in Tucumaniæ, & Paraquariæ ſubſidium veniunt: Joannes Darius Italus, Ferdinandus Monrojus, & Joannes Arcos, Sacerdotes, ac Joannes Rodrigues Sacerdotii expers. Poſt quorum adventum, Joannes Romerus ſubditos ſibi ſocios diviſit: Gaſpari Monrojo, & Socio ejusdem laico Saltenſis tractus, Omaguacis oppoſitus, obtigit. Joanni Viana, & 1600.

alteri

A. C. alteri laico Sancti Michaelis ditio ; Petro Agnaſco , & Joanni Arcos , Eſterenſis regio. Reliqui Socii Paraquariam , & Gvairaniam Apoſtolicis ſuis laboribus curabant. Franciſcum Angulum in diverſas partes diſtrahebat Inquiſitionis Fidei munus. Ipſe Romerus aſſumptis in Socios: Joanne Dario , & Joanne Rodrigues , Cordubam ſibi delegit. Singulorum res bene geſtas ſingillatim non perſequar , ſatisfacturum me ratus , ſi aſſeruero , ab Apoſtolicis Viris , biennali excurſione nihil prætermiſſum , quod inter Hiſpanos , & barbaros prodeſſe poſſe ad Divinam gloriam augendam exiſtimarent.

Hoc itidem anno Cordubæ Societatis domicilium eſt poſitum , cui Joannes Darius præpoſitus , domi , foriſque utilem operam navavit.

1601. Joannes Romerus , & Gaſpar Monrojus Diaguitarum fines ingreſſi , primis ipſis diebus octoginta ejus gentis Chriſto aggregarunt. Ultra progreſſi quadringentos baptizarunt , multoſque ordine pagos ad veri Numinis cultum ſollicitando, oppidorum quinque incolas omnes ſalutaribus aquis aſperſerunt. Dum hæc fierent , ſæpe præſentiſſima vitæ pericula Patres adierunt.

Lulli , ferocitate inſignes populi ; opera Ferdinandi Monroji , & Joannis Vianæ ita exculti ſunt , ut ne unus quidem ex omni gente ſupereſſet idolorum cultui addictus.

1602. Socii e Paraquaria ab Stephano Paëz Viſitatore revo-
1603. cantur in Tucumaniam, ubi hoc , & tribus ſequentibus annis
1604. multa præſtitere cum reliquis Sociis , Apoſtolicis Viris di-
1605. gniſſima.

Ludovicus Valdivia Chilenos Chriſto , & Regi conciliare plurimo ſtudio nititur. Multi ab ea baptiſmum flagitant. Tucapelanos ad ſeditionem reſpectantes componit. Ad amovendas Neophytorum vexationes , in Peruviam, & Hiſpaniam navigat.

Societas Aſſumptionis urbi reſtituitur , & late Socii excurrunt non ſine fructu.

1606. Socii more ſuo per omnem Tucumaniam facem Evangelicam circumferunt. Darius Cordubenſes , Romerus Rupices, Gaſpar Monrojus alios; Ferdinandus Monrojus , & Joannes Viana (linguis Lullana , Kakana , & Quichoana uſi) apud Omaguacas , Lullos , Saltenſes , alios primis fidei rudimentis imbuunt , alios deficientes , ac nutantes confirmant. Dum hæc per Patres fierent , tanta rerum omnium inopia laborabant , ut bene ſecum agi exiſtimarent , cum rete penſile pro cubili , vile goſipium pro veſte , turcicum triticum pura aqua decoctum pro culina ſuppeteret.

Verum

Verum enimvero, quamvis tantorum Virorum (quorum facta aliqua narravimus) labore, & induſtria, Tucumaniæ, Paraquariæ, & Chileni regni Apoſtolicæ miſſiones, mirum in modum inclareſcerent, tamen luculentum erat, infinita prope terrarum ſpatia, per pauculos Socios in tot regiones diſtractos, ut maxime vellent, & undique conniterentur; excoli non poſſe. Eapropter de nova Societatis Provincia in his Auſtralibus regionibus fundanda, quam Paraquarienſem ab nobiliſſimo flumine Paraquario nuncupant, agi cœptum eſt. A. C. 1607.

Quod felix itaque, fauſtum, fortunatumque ſit, Anno 1607. Paraquariam, Tucumaniam, & Chilenſe regnum, ampliſſimas ad Auſtrum regiones, utroque mari concluſas, octingentis, & quinquaginta leucis in longum, latitudine varia protenſas, ſub nomine Paraquariæ Provinciæ, eo fine præcipue complexa Societas eſt, ut quidquid barbarorum in antris, in nemoribus, in paludibus, & alibi diliteſceret, perſcutaretur, ad humanitatem, Chriſtique fidem, nec non ad Regis Catholici imperium traduceret. Quod ut fieret, Didacus Torres, primus Provincialis futurus, a Peruano Provinciæ Præſide (Societatis Generali annuente) quindecim Socios accepit, inter quos eminuere: Franciſcus Vasquius, Magni Gabrielis Nepos, Joannes Paſtor, & Joannes Baptiſta Ferrufinus, Provinciales quondam mei. Antonius vero Ruiſius, & Melchior Vanegas in India nati, fama ſanctitatis clari. Horatius Bechius Senenſis, Petrus Romerus, Martyrii lauream inter barbaros adepti. Mediam partem, Didacus Torres Didaco Gonſalvo Holguino Socio ſuo, mari in Chilenum regnum ducendos tradidit; ipſe terreſtri ſeptingentarum leucarum itinere cum reliquis progreſſus, menſe Decembri Tucumaniæ metropolim, & paulo poſt Cordubam tenuit.

Cordubenſem ſedem, pro novorum Sociorum tyrocinio deſignavit Provincialis, & cum veteranis ad Chilenum regnum profectus comitia in Sancti Jacobi urbe indixit, in quibus, plurimorum ſuffragiis Joannes Romerus Procurator eligitur, qui ab Rege Catholico & Claudio Aquaviva ſubſidiarios Socios petitum iret. 1608.

Eodem ferme tempore octo Socii ex Hiſpania Regis Catholici impenſis Boni aëris portum ſubierunt. In quo portu ſedes Societatis locata, permagnam utilitatem Æthiopibus, & indigenis attulit.

In Araucana arce, domo Societatis ſtabilita, Martinus Aranda & Horatius Bechius, grandem dæmoni plagam intulere, reductis ad fidem barbaris; & Hiſpanis præſidariis ad meliorem frugem revocatis.

A. C. Iidem ad Sanctæ Mariæ inſulam navigio devecti, non paucos inſulanos Chriſtiano ritu abluere.

Melchior Vanegas & Joannes Baptiſta Ferrufinus ad Chiloë inſulam quinquaginta leucas longam, periculoſa navigatione delati, Caſtrenſe Hiſpanorum præſidium & indigenas a pravis moribus ad meliorem vitam adduxerunt.

Mendoza civitas Societatis domicilio ornatur, & Cujoenſes Indi quamplurimi Chriſtiana Sacra amplectuntur; quorum in Provincia quatuor Sacella ſocii erexere.

Cordubenſis ſedes diuturnis moleſtiis vexatur, propterea quod plebs mancipiorum more ad omne ſervitii genus nulla mercede accepta cogeretur.

Ob eandem cauſam Sancti Jacobi ſtatio ad tempus deſeritur.

In Sancti Michaëlis urbe ſedes Societatis erigitur, Lullis atque aliis Indorum populis futura utilis.

1609. Joannes Darius & Horatius Morelius Itali, vallem Calchaquinam ingreſſi, benevole ab ferociſſimis incolis præter ſpem ſuſcipiuntur. Undecim Sacella in totidem eorum pagis ædificant, quingentos infantes & ducentos adultioris ætatis cum Duce, ſacro baptiſmatis fonte expiant, ter vallem fructuoſe luſtrant. Saltenſem agrum excolunt. Guapachas Hiſpanis conciliant.

Didacus Torres dum in Conceptionis urbe ſementem Chriſtianæ doctrinæ ſpargit, viſa Frontonum multitudine (infideles etiamnum erant) id repente homini in mentem venit, ut Hiſpaniam verſus iter relegeret; Hiſpaniæ atque Italiæ Academias obiret, ac quanta poſſet contentione vocis, literarum Alumnos ad commiſerationem tot populorum permoveret.

In Paraquariam delatus ab Prætore ſollicitatur, ut Gvairaniæ ampliſſimæ provinciæ, nec non Gvaicuræorum & Paraquarienſium curam Societas admittat.

1610. Joſephus Cataldinus, & Simon Mazeta in Gvairaniam deſtinati, quamplurimos per ducentarum leucarum iter baptizavere, & curatis duarum urbecularum incolis, Ignatianum & Lauretanum oppida, e reductis barbaris condiderunt; in quibus Societas ſalutaribus aquis, octodecim circiter capitum millia luſtravit.

Eodem ferme tempore, Marcellus Lorenzana, inter Paranam & Paraquarium, e ſylvarum abditis revocata barbarorum multitudine oppidum fundavit, in quo Socii ſupra dena capitum millia Chriſtianorum cætui per ſacrum baptiſma inſeruerunt.

Gvaicuræi pariter Societati domicilium conceſſere; in qua Rochus Gonſalvius, & Vincentius Griffius Apoſtolice admodum laborarunt.

In

In urbe Sanctæ Fidei itidem ſtationem noſtri fixere, vicinis circum, longiusque ſemotis barbaris plura commoda allaturam. A. C.

Joannes Romerus Provinciæ Procurator, & novemdecim ſubſidiarii ſocii, ex Europa in portum invecti, multiplici gaudio provinciam compleverunt. Quo factum, ut Boni aëris portus perpetua Societatis ſede muniretur, barbari populi cum Æthiopibus, Chriſtianis myſteriis inaugurarentur; quorum numerum ab Sociis baptizatorum ſi ad calculum reducas, laudabis Divini Numinis clementiam, miſerrimæ gentis corpora vexari permittentis, ut quam plurima eorum millia in filiorum ſuorum ſortem admittat.

Xereſienſes Societatis ſedem haud impetrant ob operariorum penuriam.

In Chilenſis regni metropoli ſeminarium nobilium juvenum inſtituitur, totique Regno curæ Apoſtolicæ a Sociis impenſæ. 1611.

Circa inſulam Chiloë quadraginta minoris nominis inſulæ viſuntur, quas Melchior Vanegas & Matthæus Stephanus indefeſſo labore excoluere & ſingulas inſpicientes, octoginta Sacella ad erudiendos incolas conſtruxere, primo aditu quingentis circiter capitibus Chriſtiano ritu ablutis.

Joannes Darius & Didacus Boroa, ad Diagvitas abeunt, ut rebellantes componant. Eſterenſes ex itinere Societati conciliant; Aconguitam vallem luce Evangelica illuſtrant; quingentos ſacro fonte aſpergunt.

Servitium *perſonale* authoritate Regia minuitur.

Gvaicuræorum bis mille & quingenti primis Chriſtianorum myſteriis per Socios initiantur.

Paranenſes primum ab Rocho Gonſalvio ad Fidem capeſſendam fruſtra ſollicitantur, immaturis adhuc eorum animis. 1612.

Gvaicuræi hominum ferociſſimi non nihil cicurantur.

Ludovicus Valdivia ex Hiſpanica legatione redux, Chilenos rebelles pace componit. 1613.

Martinus Aranda, Horatius Bechius Sacerdotes, & Didacus Montaluanus in cauſa fidei ab perduellibus Chilenis contrucidantur.

Ludovicus Valdivia vindictam prohibet.

Rex Catholicus pro quatuor Societatis domiciliis in Chileno regno erigendis, quater mille aureos annuatim attribuit; unde factum, ut Conceptionis urbs, Araucum, Levo, & Bonæ ſpei caſtrum, perpetuas Societatis ſedes admitterent.

Hoc anno Valdivia cum Sociis in Conceptionis urbis confiniis, nongentos e pervicaciſſima gente ab impia ſuperſtitione abduxit; & in aliis locis non minor fuit animarum fructus.

A. C. In Chileno regno Societas privatim publiceque vexatur ; inter quas turbas Ludovicus Valdivia ut Alegambe ſcribit, decem barbarorum millia in libertatem vindicat.

Didacus Torres Tucumaniam Paraquariamque luſtrans, ubique Socios occupatiſſimos in opere Apoſtolico reperit ; auſusque eſt Gvaicuræos adire, quos large donavit.

Petrus Romerus mirabili animi conſtantia ad Gvaicuritios profectus ; ſpem fecit perverſiſſimæ gentis ad veritatem fidei traducendæ.

Martinus Xaverius Urtaſum moritur.

1614. Gvarambaræum oppidum e nongentis familiis partim Chriſtianis, partim ethnicis conflatum, aliaque duo oppida Societati traduntur, & ab Sociis ſibi ſuccedentibus myſteriis Chriſtianæ religionis inſtituuntur. Reliquis interim Patribus per latiſſimas provincias cum maxima utilitate Reipub. ſacræ diſperſis.

Sub finem anni Roma nuncium adfertur de ſucceſſore Didaci Torres, qui provinciam fundare incipiens, cum quatuordecim Religioſos Socios in uno Collegio & tribus ſedibus per Tucumaniam Paraquariæ, & Chilenum regnum ſparſos ſolummodo reperiſſet, ſucceſſori unum ſupra centum in novemdecim ſtationibus reliquit.

1615. Petrus Oniatus Didaco Torres ſucceſſurus, aſſumptis ex Limenſi Sancti Martini ſeminario aliquot adoleſcentibus, & Didaco Gonſalvo Sacerdote, navi vectus, ad Chilenum regnum Februario menſe acceſſit, & paulo poſt Socios per immenſas regiones diſperſos adhortatus monuit, ut primorum Sociorum exempla præ oculis aſſiduo haberent.

Rochus Gonſalvius poſt exploratam Paranæ inferiorem partem, ad Appupem paludem oppidum Sanctæ Annæ ſacrum ex reductione barbarorum condit.

Non longe poſt Itapuanum oppidum reductis barbaris ædificat, Socio Didaco Boroa: in quo oppido Societas hactenus ſupra dena capitum millia ſacro baptiſmate expiavit.

Ab Rocho Gonſalvio Appupenſis oppidi incolæ, Patribus ex ordine Sancti Franciſci traduntur.

In Gvairania mille quadringenti & ſeptemdecim barbari reducuntur ad oppida, & octingenti æternæ ſalutis fonte tinguntur.

Apud Gvaicuræos non idem Religionis Chriſtianæ ſucceſſus, ob pravos eorundem mores.

1616. Apud Paranenſes, Rochus Gonſalvius Jaguapuanum oppidum fundat, ubi quamplurimos in Chriſtianorum album retulit.

Ara-

Arapizanduvius Sancti Ignatii ad Paraquarium Dux cum multis ſuorum jugum excutere molitur, at Sociorum opera rurſus pacis conſilia admittit. A. C.

Mille quadringentos, Gvairaniæ Socii e vaſtis ſolitudinibus proliciunt, ac oppidis includunt. Joſephus Cataldinus Piropoenſium ethnicorum nongentos Lauretanis aggregat, & in Chriſti militiam tranſcribit.

Lue ſæviente Petrus Romerus, & Antonius Moranta, plurimos Gvaicuræos dæmoni beneficio baptismi eripiunt, atque, ut ſpes eſt, cœlo aſſerunt.

Joannes Viana Provinciæ Procurator triginta ſeptem ſubſidiarios Socios in Boni aëris portum invexit, inter quos decurſu temporis eminuere: Joſephus Oregius, Cardinalis Oregii germanus frater, Alphonſus Aragona Neapolitanus, Claudius Rujerius Burgundus, Hieronymus Gratianus Italus, Didacus Alvarus pro defenſione Indorum occiſus, Alphonſus Rodrigues, & Joannes Caſtillius pro fide occiſi, Petrus Comental Italus, Didacus Salazarius, Joannes Vaſæus Gallobelgæ, & Petrus Bosquierus Flandrobelga. 1617.

Ex Mendozina ſede, ad vicina remotaque barbarorum loca procurſum eſt, collecta ubivis uberi animarum meſſe; numerum a Sociis baptizatorum magnum fuiſſe inde colligas, quod nemo alius in Cujoenſi provincia præter noſtros, Sacerdos reperiatur, qui ejus regionis linguam calleat.

Chriſtophorus Torres & Antonius Mazerus Hiſpani, & totidem Itali: Horatius nempe Morellius, & Joannes Bapt. Samſon in Calchaquina valle, gemina oppida moliuntur, quorum unum Divo Carolo, alterum Virgini Mariæ dedicatum eſt. Sub id tempus ea vallis triginta capitum millia cenſere dicebatur.

Rochus Gonſalvius ſuperiorem Paranæ partem percurſans reperit Evangelio adhuc dum immaturam. Ab eodem inferior pars ſæpius cum fructu luſtratur.

Joſephus Cataldinus Tucutienſium nongenta capita ſeptimeſtri labore ad manſuetudinem transfert, & ad vetera oppida, baptismo ſuo tempore initianda, reducit.

Valles Cujoenſes in Chilenſi regno, & Araucani, vicinique populi mira felicitate evangelica lege informantur. Numerus animarum ſervituti dæmonis ereptarum inde colligi poteſt, quod unus e noſtris ad Ludovicum Valdiviam ſcripſerit: ſe defatigatione continuati baptismatis fuiſſe graviter affectum. 1618.

In Gvairania Joannes Vaſæus Alberti Auſtriaci quondam muſicus, Neophytos ad numeros canere, ingenti totius Provinciæ ornamento, docere cœpit.

A. C. Antonius Ruiſius, & Didacus Salazarius in una excurſione ibidem trecentos Chriſto vindicarunt; iidem iſti cum aliis Sociis innumeros Indos metu contagionis dilapſos, rurſum oppidis ſuis reddiderunt, ac peſte correptos omni ope adjuverunt.

Per Tucumaniam, Paraquariam & Paranenſem regionem multa fiunt pro animarum ſalute memoratu digna.

1619. In Chileno regno Ludovicus Valdivia quam plurimos indigenas ab ſervitute liberat, & cum Sociis, quatuor Araucanorum millia baptismo tingit.

In Chiloënſibus inſulis aliquot Sacella Sociorum opera aſſurgunt, inſulanisque melioris vitæ præcepta traduntur.

Chuni & Huilli, ultimi hominum ad Archipelagus Magellanicum, a Melchiore Vanegas & Matthæo Stephano, difficillima navigatione adeuntur; ex his populis duodecim ſupra ducentos ſalutaribus aquis mundantur.

Jagvapuanum oppidum a noſtra Societate ad Paranam conditum, hoc anno Sacerdotem e noſtris accipit, qui rudem populum e tenebris in lucem evangelicam provehat.

Maracanajenſes ad oppidum reducuntur. Paluſtres homines & Paranenſes inſulani, non ſine fructu ad fidem ſuſcipiendam excitantur, eorum plerisque, ad oppida jam conſtituta revocatis.

In Urvaicenſis provinciæ aditu, Rochus Gonſalvius oppidum Conceptionis fundat, multorum aliorum caput futurum.

In eo hactenus Societas quindena & amplius barbarorum millia ſacris undis luſtravit.

1620. Paraquarienſis & fluminis Argentei provincia, quæ hactenus uni Prætori, & Epiſcopo paruerant, in duas præfecturas & Epiſcopatus ſunt ſciſſæ, Parana fluvio jurisdictiones ex æquo ferme dirimente.

In Paraquaria Gvaicuræorum Dux numerum Chriſtianorum auget.

Apud Calchaquinos Chriſtophorus Torres & Joannes Samſon fidei cauſa præſentiſſimum vitæ periculum ſubeunt.

In Gvairania ſexaginta barbari e ſylvarum antris in oppida pellecti, ſuſcepto baptismo contagione mox afflati, ad unum omnes celeri fato ſufferuntur.

Ibidem octingenti & ſexaginta duo ethnici, Chriſti jugo ſemet ſubdidere & mille ſupra trecentos in Neophytorum album relati ſunt. Præter hunc numerum ducentæ ethnicorum familiæ Catechumenorum catalogo inſcribuntur.

Ludovicus Valdivia ob defenſos Indos Chilenos, vitandæ invidiæ ergo in Hiſpaniam renavigat.

Socii

Socii in Chileno regno per Araucanam vallem excurrentes, A. C.
quingentos adultos, pleroſque infantes ſoſpitalibus undis abluunt. Conceptionis vero Collegii Patres ſupra octingentos, & Bonæ ſpei ſedis operarii quam plurimos Chriſtianis addidere.

In omnibus provinciæ Collegiis de baptismorum Angolæ 1621.
Æthiopibus collatorum valore, acriter dimicatum erat. Ideoque plura mortalium millia conditione interpoſita, hoc, & ſequentibus annis non fruſtra repetito baptismate expiantur.

Per omnem provinciam ab Apoſtolicis viris multa de dæmonibus ſpolia, inſigni Religionis Chriſtianæ acceſſione reportantur, præſertim a Chilenis Sociis; conſtatque ab Andrea Agricola & Chriſtophoro Deodato ſubjectas urbi valles, & Montanas regiones peragratas, ac magnam ethnicorum catervam patriæ ſuperſtitioni fuiſſe ereptam. Vincentius Modolellus cum ſocio in Araucana valle, octo pagorum incolas, partim ethnicos, partim Neophytos, Sacramentis expiavit, & in inſula Sanctæ Mariæ quinquaginta capitibus Chriſtianorum numerum auctiorem fecit.

Incaſſum ſuſcipitur Urvaicenſis fluminis exploratio a Rocho 1622.
Gonſalvio maximis animis tentata, ob barbarorum pervicaciam, novique oppidi initia evertuntur.

Apud Injanenſes Paranæ populos Didacus Boroa, & Petrus Romerus oppidi fundamenta jaciunt, cui nomen a corpore Chriſti inditum eſt. Hoc in oppido Societas hactenus circiter ſepties mille ſacro latice tinxit.

In Gvairania Joſephus Cataldinus nullo ſucceſſu Ibitirambetanos, ad novum oppidum revocare conatur, & Pipirius Neophytus Cataldini ſocius, pro veritate fidei ſanguinem profudit.

Franciſcus Vasquius provinciæ Procurator, ex Europa redux, duos & viginti ſubſidiarios Socios in portum Boni aëris feliciter invexit.

Sub finem hujus anni nunciatur Petro Oniato Provinciali in Peruviam revocato, ſucceſſorem haud procul abeſſe, ſub cujus octenni præfectura, quinque Societatis domicilia in Indorum terris poſita ſunt; & totidem ſedes in Hiſpanorum urbibus erectæ, jura Collegiorum accepere, & nuperrime Eſtecenſe Collegium aſſurrexit, ut adeo provincia univerſim undecim Collegia, Tyrocinium unum, & tredecim apud Neophytos minora domicilia, atque in illis centum & nonaginta quatuor Socios cenſeret; famaque fuit multorum approbationibus celebrata, Didacum Torres, provinciam Paraquarienſem fundaſſe, & Petrum Oniatum meliorem in ordinem redegiſſe.

Nicolaus Durandus Maſtrillus Italus, Collegii Limenſis tum 1623.
Rector, ſub initium anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi tertii,

Chi-

A. C. Chilenum regnum, provinciam Paraquarienſem gubernaturus, felici navigatione uſus tenuit, atque ſine mora honores Ignatio & Xaverio in Sanctorum catalogum relatis haberi voluit.

In Chileno regno Rex Catholicus Socios apud Chiloënſes & Araucanos in vinea Domini laborantes, ære ac vitæ ſubſidiis, ut cœperat, juvit.

In Cujoenenſi regione Chriſtophorus Deodatus Socius impiger, pluribus, quibus Mendozæ perſtitit annis, viginti omnino capitum millia, ut Joannes Paſtor ſcribit, Religioni Chriſtianæ inſeruit.

Jaroſii, aliique Urvaicæ littorales populi a Petro Romero per centum omnino leucas explorati, adhuc Evangelio immaturi reperiuntur.

Secundum id, idem Romerus ducentarum leucarum itinere Gvaicuræis redditur; apud quos cum Joſepho Oregio & Alphonſo Rodericio, exiguo ob barbarorum pervicaces mores fructu diverſatur.

Apud Paranenſes præclaræ ad eruendos e ſylvis barbaros excurſiones inſtituuntur.

In Gvairania Antonius Ruiſius, Joſephus Cataldinus, & Didacus Salazarius, ad Ibitirambetanos populos delati, novum oppidum Divo Xaverio ſacrum condidere, ad quod mille & quingentæ ethnicorum familiæ adductæ, Chriſto nomen dederunt.

In Magni Tajaobæ terrarum aditu, ſeptem Neophyti Antonii Rujſii comites, qui ad eos convertendos alacres iverant, pro fide occumbunt.

1624. Riocæ in Tucumania Collegium inchoatur, perutile futurum vicinis, remotisque ethnicis.

Ad Cujoenſes non ſine animarum lucro inviſit Dominicus Gonſales Rector, qui poſt centum & quinquaginta leucarum iter, ad Collegium redux fatis conceſſit.

Didacus Boroa & Claudius Rujerius ad Acarajum Paranæ influentem rivum, novum oppidum inchoant, Nativitati Virginis Mariæ conſecratum.

1625. Jagvapinius & Quaracius Religionis propagandæ obſtacula, reprimuntur.

Apud Tucutienſes in Gvairania a Simone Mazeta novum oppidum conditur, a Divo Joſepho vocitatum; ad quod incolendum ducentæ admodum familiæ confluxere.

Antonius Ruiſius, & Chriſtophorus Mendoza apud Tajatienſes Guairaniæ pariter populos, ſub nomine Incarnationis oppidum fundant, ad quod inhabitandum mille, & quingentæ familiæ conſpirant.

Variis

Variis in locis Gvairaniæ, Socii pericula vitæ adeunt, præcipue Chriſtophorus Mendoza, Franciſcus Diaſtanius & Didacus Salazarius. A. C.

Chilenum regnum a provincia Paraquarienſi mole ſua laborante, atque unius Præſidis vires in adminiſtrando excedente divellitur, Vice-Provinciæ jus accipit; cui Joannes Romerus præficitur. 1626.

Didacus Boroa, & Claudius Ruierius, Iguazuanum oppidum a nomine Mariæ Majoris dictum ad Paranam ſtabiliunt, in quo procedente tempore Societas, circiter duodecim capitum millia ſalutaribus aquis luſtravit.

Rochus Gonſalvius, & Alphonſus Aragona non procul ab Urvaica flumine, Sancti Nicolai oppidum ædificant, ubi ſupra undecim millia, Socii ſibi ſuccedentes ſuaviſſimo Chriſti jugo ſubdiderunt.

Rochus Gonſalvius Urvaicæ inferiorem partem per centum & quadraginta leucas inviſit, & in reditu Japejuienſes, & Jaguaraitienſes ad nova oppida locanda animat.

Nicolaus Durandus Provincialis, primus in Gvairaniam penetrat, a quo urbs Regalis Societatis ſedem petit, nec impetrat. Sed Villarica Joſepho Cataldino Rectore obtinet.

Apud Lapeiuienſes oppidum novum Trium Regum nomine inſignitum, ab Rocho Gonſalvio inſtituitur, & variarum linguarum nationes ad fidem Chriſto dandam ſtimulantur. Innotuit ſubinde, in oppido hoc ſeptem millia fuiſſe per Socios, ſalutaribus undis abluta.

Eodem pariter Rocho metatore, Jagvaraitienſes Uraicæ populi, oppidum Divo Xaverio ſacrum condidere. Verum ætatem non tulit; incolarum quippe plurimi alio tranſlati ſunt, alii fuga dilapſi.

Didacus Torres in Peruviam rediens, ingentem Æthiopum numerum conditione interpoſita, de integro ſacro baptismate reſpergit. 1627.

Rochus Gonſalvius ad Ibicuiti fluminis ripam, qua in Urvaicam ſe exonerat, novi oppidi fundamenta jacit, Virgini Purificatæ conſecrati; at barbari ſurgens jam opus demoliti ſunt, non ſine vitæ periculo Rochi Gonſalvii.

Multo felicius idem Rochus Gonſalvius apud Caſaſapaminienſes, Urvaicenſis provinciæ interiores populos operam collocavit, excitato in eorum finibus nobili oppido, ſub nomine Candelariæ, cui præfectus eſt Petrus Romerus. Hoc in oppido Societas hactenus novem circiter millia ſacro fonte abluit.

A. C. Apud Ingaſuanos centum & quinque ſupra mille Sacramentum baptiſmi ſuſcipiunt.

In Tajaobæ terris, novi oppidi fundamenta ponuntur, in cujus ſtabile fulcrum, ipſe Magnus Tajaoba, cum octo & viginti filiis, ſacris undis abluitur. At vero paulo poſt oppidum bello ingruente labaſcit, non ſine vitæ periculo Antonii Ruiſii.

Amotis divina ope impedimentis, Antonius Ruiſius oppidum reſarcit, & Archangelis dedicat. Oppido huic ſe aggregarunt ſexaginta potentes Caſiquii ſuis cum ſubditis, ex quibus, ad initium quinquaginta baptiſmum recepere, reliquorum votis dilatis, dum principia fidei accuratius condiſcant.

In Gvairania ad Campeſtres Indos, materiam meſſi Evangelicæ uberiorem mox præbituros, inter cumulata vitæ pericula excurritur.

1628. Gaſpar Sobrinus provinciæ Procurator in portum Boni aëris, duos & quadraginta ſubſidiarios Socios feliciter invexit.

Apud Jiviſenſes Urvaicæ populos, Rochus Gonſalvius oppidum Aſſumptæ Virgini dicatum condit, eique præficit Joannem Caſtillium.

Apud Caaroënſes Sanctorum omnium oppidum a Rocho Gonſalvio conſtituitur, ad quod regendum Alphonſus Rodericius deſignatur.

Niezuvius & Potirava aliique barbari, ad Urvaicam, in Sociorum necem conſpirant.

Rochus Gonſalvius & Alphonſus Rodericius apud Caaroënſes pro fide trucidantur. Poſt mortem Rochi Gonſalvii cor ad omnium admirationem loquitur.

Ab iiſdem, Petrus Romerus ad necem quæritur, ſed ab Caaſapaminienſibus forti animo defenditur; quorum opera occiſorum Sociorum corpora recuperantur.

Joannes Caſtillius apud Ijuviſenſes juſſu Niezuvii in odium Chriſtianæ Religionis occiditur.

Parricidæ reprimuntur, qui necem illaturi adverſus Alphonſum Aragonam & Franciſcum Clavicum ſe armaverant, dum in Piratinienſi oppido hi Patres Divini verbi ſementem ſpargerent.

Jiviſenſes & Caaroënſes caſtigantur, & occiſorum cadavera tutiorem in locum reconduntur.

Apud Gualachos Guairaniæ populos, Conceptionis oppidum initium ſumit, metatoribus: Antonio Ruiſio, & Franciſco Diaſtanio; qui paulo ante in Gualachorum regione peſtilentia dominante maximam barbarorum multitudinem ſalutaribus undis emundarunt.

Chi-

Chiquiti Guairaniæ populi, legis Chriſtianæ doctorem ſibi expetunt, at ob paucitatem Sociorum preces ſucceſſu caruere. A. C.

Juſtus Vanſurkius Manſilia, Joannes Auguſtinus Contreras, Silverius Paſtor, & Ignatius Martines, nuper ex Europa adducti Sacerdotes, in Guairaniam Novembri menſe adveniunt; quibus mox & agendi & patiendi materia ubertim affluit.

Secundum eorum adventum, apud Campeſtres Guairaniæ populos, Sancti Michaelis oppidum fundatum eſt ab Chriſtophoro Mendoza, qui ad id incolendum duo barbarorum millia collegit, & paulo poſt Juſti Vanſurkii Manſiliæ curæ commiſit.

Petrus Mola eodem tempore Divi Antonii oppidum ædificavit, & bis mille quingentos incolas ab agreſtibus inſtitutis ſevocavit.

Franciſcus Dias-tanius Sancti Thomæ oppidum conſtructum, octingentis familiis a ſe in numerum Catechumenorum relatis incolendum tradidit.

Sub finem anni nuncius de Nicolai Durandi Maſtrilli, ad Peruviæ provinciæ regimen evocati ſucceſſore adlatus erat.

Sub initium anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi noni Franciſcus Vaſquius Truxillius provinciæ regimen accepit. 1629.

Gaſpar Oſorius ad Chaquenſes ethnicos profectus, a Tobis benevole excipitur, facta ſpe rei bene gerendæ.

Niezuvius, qui Patribus necem intulerat, ad fugam capeſſendam adigitur, & Iguaſuani Neophyti rebelles e fuga retrahuntur.

Apud Caaroenſes, Rochi Gonſalvii & Alphonſi Rodericii occiſores, oppidum reſtaurant, & Joſephus Oregius ei præficitur. Hoc in oppido ad hæc usque tempora ab hominibus noſtræ Societatis, undecim capitum millia ſacro fonte ſunt lota. Porro id oppidum tribus Japoniæ Martyribus ea conditione ſacratum eſt, ut ſi aliquando Sanctorum albo Rochus Gonſalvius cum Socio adſcriberetur, in illorum vicem, tutelamque loci ſuccederent.

Didaco Boroa adnitente, Vasquius Provincialis quadringentas barbarorum familias ad Tabativium fluvium in Urvaicam ſe exonerantem reperiens, novi oppidi fundamenta ponit, quod Divo Xaverio dicatur. Iſthic per Socios octo millia capitum ſalutares aquas receperunt.

Antonii Ruiſii & Simonis Mazetæ opera, in Guairania Jeſu Marianum oppidum aſſurgit; ubi ſtabilem fixere ſedem duo millia ſagittariorum, & imbellis turba triplo numeroſior. 1630.

Mamaluci Braſiliæ prædones, anno hoc infeſta arma circumferre cœperunt, adorti oppida ex barbarorum reductione erecta, incredibili Religionis Chriſtianæ damno.

A.C. Mamaluci oppidum Divo Antonio ſacrum depopulantur, abactis bis mille & quadringentis incolis, non ſine præſentiſſimo Petri Molæ capitis periculo, qui ante funeſtam hanc cladem grandem numerum Chriſto aſſeruit.

Eorundem furore Sancti Michaelis colonia fœde habetur, abactis aut diſperſis civibus, necquicquam eam defendente Juſto Vanſurkio Manſilia.

Dum ſcelerati hi, Jeſu-Marianam coloniam populantur, Simon Mazeta laicus pro Chriſti nomine mortem obeundi avidus, nudatum pectus aperit, ac collum porrigit, ut ſeu punctim, ſeu cæſim luberet mortem inferre, paratiſſimum haberent.

Simon Mazeta & Juſtus Vanſurkius Manſilia grege amiſſo, ut orbitatem ſuam conſolarentur, ſuorumque in exilio luctum; partim terreſtri, partim maritimo itinere in Braſiliam proficiſcuntur.

Inter hos Guairaniæ tumultus vocalia ariolorum oſſa, non ſine Ruiſii, Domeneci, Dias-tanii & Mendozæ periculo, cultui ſubducuntur.

In Gualachorum regione, Joſephus Cataldinus Sancti Petri oppidum erigit, in quorum ſalutem dies, noctesque Socii evigilant, ſexcentis ex pervicaciſſima gente ſacro fonte luſtratis.

1631. Tucumaniæ expeditiones Apoſtolicæ, Calchaquinorum rebellione turbantur. Contra ab Paranenſibus Sociis ad Caaiguas ingenti cum fructu excurritur.

Ad Urvaicam, Acaraguajenſes in oppidum ab ſesqui anno inchoatum, atque Aſſumptæ Virgini dedicatum immittuntur; eisque præeſſe jubetur Chriſtophorus Altamiranus. Hactenus in eo ſex mille circiter incolæ ſalutaribus undis ſunt aſperſi.

Ibapirius rebellans vincitur; victo illo duorum oppidorum fundamenta a Societate jaciuntur.

Simon Mazeta cum Juſto Vanſurkio Manſilia, e Braſilia redit; fruſtra tentata Indorum a Mamalucis abactorum libertate.

Jeſu-Marianum oppidum magna ſui parte inſtauratur.

Sancti Pauli oppidum Mamaluci depopulantur, non ſine præſenti Joannis Suarii, illud curantis, vitæ diſcrimine.

Nova Incarnationis colonia, latronum metu deſeritur, & Socii in Guairania omni vexationis genere exagitantur.

Joannes Cereceda & Antonius Maxerus Quimilpæ rupes, & Catamarearam vallem pererrant, ac ducentos barbaros, de quorum baptismi valore dubium obortum fuit, ſacris undis, interpoſita conditione, rurſum reſpergunt.

Apud Caaſapaguazuenſes ſexcentarum familiarum oppidum conditum, Vincentii Badiæ Socii impigri curæ concreditur.

Eodem

Eodem ferme tempore Petrus Mola in Caapienſium regione A. C.
aliud oppidum ſtatuit, ſexcentis & quinquaginta ethnicorum familiis ſubinde inſeſſum.

Tapenſis provincia a Sociis aditur, atque ſub ipſa principia Apoſtolicorum laborum, ducenti & undecim infantes baptismatis fonte authorantur.

Urvaicenſes Neophytos variis in oppidis lues miſere depaſcebat; dolorem lenivit baptismorum frequentia; namque apud Caaroënſes nongenta & duo capita. Apud Tabativienſes duo & ſeptingenta. Apud Acaraguajenſes quadringenta & quinque, magna pars adultorum, primo Sacramento expiata ſunt. Item in Ibitiraquanorum oppido trecenti & undecim. Ex Piratinenſibus circiter quingenti, & alibi multi a Sociis loti ſunt, præſertim in Gvairania & Paranenſi provincia.

In Gvairania Mamaluci Braſilienſes inſigni ferocitate Sanctorum Xaverii & Joſephi colonias evertunt, abactis omnibus incolis ſi quingentos excipias, quos cura Sociorum in tutum recepit.

Tria oppida Tajaobanæ factionis nequicquam reluctantibus Sociis, ab iisdem prædonibus divexantur, incolis alio migrantibus.

Duæ coloniæ apud Gualachos poſitæ deſeruntur.

Lauretani & Ignatiani Neophyti, deſertis ſuis domibus, cum everſorum Gvairaniæ oppidorum reliquiis, ad Paranam centum & quinquaginta leucarum itinere difficillimo transmigrant.

Cordubæ, in comitiis provincialibus, Joannes Baptiſta Ferrufinus Italus, Procurator Romam iturus eligitur. 1632.

Joannes Cerezeda & Joannes Dias Ocania, per Cordubenſem tractum profecti, multos primis Chriſtianorum ſacris initiarunt.

Franciſcus Hurtadus cum Tucumaniæ Prætore ad bellum profectus; Gvandacoles, Capajanos, & Famentinæ vallis incolas pace mutua componit, atque ad officium poſtliminio reducit.

Qui ex Gvairania commigraverant, centum quinquaginta leucis a ſolo patrio remoti, duo oppida ad Jabebuirium reparant, alterum Lauretanæ Virgini, alterum Divo Ignatio ſacrum, Antonii Ruiſii præcipue & Simonis Mazetæ induſtria.

Poſtquam Socii undecim oppida ſolerti labore per Gvairaniam excitaſſent, & jam quadraginta millia in ea coegiſſent, barbarus furor veluti uno momento ſpem omnem delevit, ut adeo ſolum vertere neceſſe fuerit. Patres ad Tapenſem regionem hactenus intactam, Chriſto aggregandam ſe accingunt. Sita illa eſt Urvaicam inter & mare Athlanticum centum facile leucas exporrecta. Huc cum perveniſſent, ſane non ex vano divinam providentiam

A. C. admirati ſunt, quæ vetera cum novis oppidis, ac ſterile ſolum cum frequentiſſima ab hominibus provincia grandi fænore commutavit.

Joannes Romerus in Tapenſi regione novum oppidum e fundamentis excitat, Divo Michaëli conſecratum; ad quod incolendum ſeptingentæ & quinquaginta familiæ e ſilvis erutæ, in humanam ſocietatem coaluere, accepto Inſtructore Chriſtophoro Mendoza. Hac ex gente, ut Socii commemorant, duodecim circiter capitum millia in numerum filiorum DEI relata ſunt.

Ludovicus Emotius Gallobelga & Emmanuel Bertot, mille, ac ducentas familias conſcripſerunt atque in unum locum collectas, oppidi Sancti Thomæ, quod recens poſitum erat, cives eſſe juſſerunt, ac primis ipſis diebus nongenta capita ſalutari latice reſperſerunt. Apoſtolici hi viri, ac eorum ſucceſſores decurſu temporis ſedecim ethnicorum millia ſuperſtitioni detraxere.

Ab aliis, Ordinis noſtri hominibus, alia tria loca rurſum delecta ſunt, oppidis collocandis opportuna.

In Urvacenſi provincia, novem oppida Societas jam erexerat, in quibus, hoc, de quo ſcribimus, anno ter mille ac trecentis capitibus res Chriſtiana crevit; in Catechumenorum album præterea plures relati.

Philippus Viverus Flandro-belga ſub id tempus, ſilvas & campos pervagatus, diſperſos ac palantes mira dexteritate collegit. Petrus Mola quum animarum cauſa omne onus ſubiret, demum mole laborum ita preſſus eſt, ut prope ſuccumberet. A barbaris intentatam mortem ægre admodum evaſit.

Hoc anno Itatinenſis provincia, a Paraquaria in Peruviam longiſſime excurrens, pro perdita Gvairania ſolatio Sociis fuit. In hac occupanda, id uſuvenit, quod in magnis exercitibus fieri ſolet, Ducum delectus, Nationum varietas. Concurrere igitur: Didacus Ranzonierius origine Burgundus, naſcendi ſorte Flander. Juſtus Vanſurkius Brabantus, Ignatius Martinez Neapolitanus, & Nicolaus Enartius Lotharingus, ſumma omnes virtute viri.

Nicolaus Enartius primis excurſionibus ducentas familias in unum coegit, easque oppido Sancti Joſephi donavit.

Ignatio Martinez fundatore, Inſtructoreque, oppidum Divis Angelis dedicatum aſſurrexit, centum pariter familiis locupletatum.

Juſtus Vanſurkius quingentas familias conſcripſit, ac oppidum genti poſuit ab Incarnato Verbo nuncupatum.

Dida-

Didacus Ranzonierius, Provincialis voluntate Itatinenſi A. C.
miſſioni, poſt Juſtum Vanſurkium præeſſe juſſus; quartum oppidum molitur.

Vixdum quatuor hæc oppida caput extulerant, cum Chriſti de Cruce pendentis imago ſudare viſa eſt; Sociis, quid portenderet præſtolantibus, nunciatur: Mamalucos prædones adventare.

Mamaluci, oppidum Sancti Joſephi evaſtant, deſtinato ad mortem Nicolao Enartio.

Iidem pari furore SS. Angelorum, & DD. Petri ac Pauli oppida invadunt, diſperſis atque abactis incolis. Socios indignis modis divexant. Ferocior aliquis ex Mamalucis inguttur Ignatii Martinez mucronem jam intenderat, ut alte figeret; at enim cum Pater nudato collo ictum invitaret, ac parricidam, ut auderet hortaretur, is fortitudinis admiratione perculſus, manum continuit. Ranzonierius geminabat exemplum; aperuerat quippe pectus, ac ſceleratiſſimos homines obteſtatus eſt, ut in ſe tela conjicerent; modo filiis in Chriſto genitis parcerent.

Saltenſe Collegium eluvione deformatur ac pœne perit. 1633.

In Paraquaria Socii ab Prætore & Epiſcopo vexantur, Neophytorum opera ante tempus uti volentibus; utrorumque impetus opportuno conſilio & ratione retunditur.

Acarajenſes & Igvaſuani Paranæ populi, Mamalucorum metu patrium ſolum vertunt, alioque commigrant. Potiorque eorum pars Chriſtiana ſacra amplectitur.

In oppidis Urvacenſibus, Tapenſibus, & Paranenſibus, nuper erectis, ſex millia ethnicorum ſacro fonte mundantur; longe plures ad catalogum Catechumenorum referuntur.

A Joſepho Cataldino ex Itaquatiano populo, trecentæ & quinquaginta familiæ reducuntur, novum illis oppidum apparatur. Ob regionis commoditatem exiguo tempore octo circiter millia hominum Chriſto adjunguntur.

Eodem ferme tempore Petrus Alvarus apud Aranicanos proſpere rem gerit. Ejus opera novum oppidum ſurgit. Primo anno novella Reſpublica octingentis Catechumenorum familiis locupletatur, atque iis incrementis augetur, ut non multo poſt undecies mille ex ea gente baptiſmum fuerint conſecuti.

Ignatius Martinez in Tapenſi provincia alterum oppidum erigit, octingentis familiis habitatum, decem capitum millia de gente hac variis deinceps temporibus ſunt Chriſto authorata.

Franciſcus Xaverius & Joannes Salas inter Pineta, ad oppidum Sanctæ Thereſiæ conſecratum, octingentas familias ſibi aggregant, grandem de his numerum, fidei myſteriis imbuunt.

Non

A. C. Non longe ab ea colonia Joannes Suarius magnam vim barbarorum colligit, quos (ne diſpergerentur) oppido concludit Sancto Joachimo dedicato.

Petro Molæ, montium Tapenſium ultimus angulus, idoneus oppido viſus eſt. Vix dum illud ſub auſpiciis JESU & MARIÆ molitur, tantus concurſus barbarorum fuit; ut quatuor millia cenſerentur.

In Itatienſi provincia poſt ſuperioris anni ſtragem, Didacus Ranzonerius, Juſtus Vanſurkius, & Nicolaus Enartius, deformata duo oppida ſarciunt, atque inter proſpera & adverſa viginti hominum millia ſacris undis Chriſto initiant.

Sub finem anni, Provincialis Vaſquius, Roma literas accipit, quibus provinciam Didaco Boroa tradere jubetur.

1634. Didacus Boroa magna ſanctitatis fama præfecturam adit, inde orta, quod ſummam vitæ auſteritatem profiteretur, totumque ſe Indorum emolumentis addiceret.

Petrus Martines, & Andreas Valera, ad dulce, ſalſumque flumina, quadrimeſtri labore peculiarem expeditionis ſacræ fructum referunt.

Fertilior ad animarum ſalutem fuit ſacra expeditio Petri Alvares & Ignatii Martines, inter Chiriguanas Peruviæ populos feroſiſſimos; apud quos ſeſquianno commorati ſunt.

Didaco Boroa connitente, in Tapenſi provincia novum oppidum ponitur, Divo Chriſtophoro ſacrum. Iſthic Auguſtinus de Contreras mille ſexcenta capita rite inſtituta Chriſtianæ Religioni aſſeruit.

Memoranda clades orco illa eſt, fundato rurſum alio oppido SS. Coſmæ & Damiani. In quo, ut barbari domicilium figerent, mille omnino familiis Adrianus Tormoſus Neapolitanus perſuaſit. Et procedentibus annis novem millia hominum ſacrum baptiſma accepere.

Annus hic nempe trigeſimus quartus ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſane fertilis fuit a numero baptizatorum, ut luculenter conſtat ex Petri Romeri tabellis, qui de rebus ab Sociis, apud Paranenſes, Urvaicenſes, & Tapenſes geſtis memorat, tredecim admodum millia & octingenta barbarorum capita ſalutari latice fuiſſe abluta: quem numerum longiſſime ſuperant Catechumeni, quibus ſi ethnicos addas, qui mare accolunt, paratam atque infinitam prope meſſem offerunt, ſi Socii ſuppeterent & Mamalucorum furor reſideret.

Petrus Spinoſa laicus impiger, a barbaris trucidatur.

Fran-

Franciſcus Brolia Ceſpedes ab Chemombeo barbaro ad necem quæſitus periculo ſubducitur. A. C. 1635.

In Acaragujanorum, & Tabativienſium oppidis magno numero cætus Chriſtianorum augetur.

Apud Tapenſes in quinque oppidis 4255. ſunt ſacris undis abluti: Quibus ſi adnumeres in Jeſu-Mariano, Thereſiano, & Sancti Chriſtophori oppidis, & ad Urvaicam ac Paranam eidem ſacro fonti admotos, annus hic fertiliſſimus dici poteſt.

Nova indicia ſe produnt, Mamalucos rurſum quidpiam moliri.

Oppidi Viſitationis Beatæ Virginis fundamenta ponuntur.

Franciſcus Ximenius latiſſime excurrit. Caapibarim, Mbocariroim, & Tebiquarim juſtæ magnitudinis fluvios explorat; mille ac quingentis fluviorum accolis perſuadet, ut commigrent ad novum Viſitationis oppidum. Trecentos alios adſcribit Divæ Thereſiæ oppido, procedente tempore Chriſtiano ritu initiandos. Refert idem: multa oppida præterea ad eorum fluminum ripas opportune poni poſſe, ſi modo adeſſent Socii, qui colligerent diſperſam gentem ac procurarent.

Joannes Suarius ad eadem flumina navigans, oppidum Sancti Joachimi ponit, & non contemnendum barbarorum numerum infert.

Chriſtophorus Mendoza audito Mamalucorum rumore, ad Tebiquarim navigat, ethnicos ad Chriſti partes pellecturus. Inde ad Caaguarum regionem Oceano obverſam iter flectit, ab ea gente de Mamalucorum moribus & Chriſtiana lege diſſerens pronis auribus auditur.

Dum ex hac expeditione revertitur, ab Ibjaenſibus pro Religione barbare prorſus trucidatur.

Chriſtophoro Mendoza cruenta morte ſublato, per nova Tapenſis provinciæ oppida diriſſimam ſtragem edunt arioli, multorum hominum præſertim infantum cæde omnia miſcent; tandem a Sociis reprimuntur. Petrus Mola & Antonius Bernal ignibus jamjam concremandi periculo eximuntur.

Tanta peſte amota, cum alio malo certatum eſt, nempe cum Paraquariæ, & Boni aëris Prætoribus; hi Neophytorum ſervitutem præter fas ſibi depoſcebant. Patrum bonis artibus lis omnis compoſita fuit. 1636.

Ac demum omne malum ſublatum Baptiſtæ Ferrufini adventu, qui recens ex Hiſpania ſubſidiarios Societatis homines advexit.

A. C. Itatienſis regionis oppida, civibus Aſſumptionis urbis obnoxia, pariter vexantur ab urbanis; qui ante diem, ac depactos terminos, præſtari ſibi ſervitia volebant.

Mamaluci Tapenſem provinciam invadunt, Jeſu-Mariano oppido potiuntur, cum funeſtiſſima clade ac oppidi vaſtitate. Joannes Cardenas Societatis adjutor, dum locum, civesque tuetur, gemino vulnere ſauciatur. Petrus Mola pariter plagam accepit in capite: Antonio Bernal laico glans plumbea digitum abſtulit, viamque globus inſiſtens in ſacrum numiſma pectori appenſum incidit, nullo illato damno, præterquam quod numus ſui veſtigium cuti inſcriberet. In hoc oppido ſex mille quinquaginta ſeptem barbaros Societatis homines ſacro baptiſmate emundarunt. Candidatos longe plures in album retulerunt.

Non diu poſt Sancti Chriſtophori colonia Mamalucorum furori ceſſit; in hac bis mille & trecentis ſacrum fontem Societas aperuit; reſtabant totidem Catechumeni ac infantes deinceps luſtrandi.

Oppidani ad Sanctæ Annæ, coloniam ſuam Mamalucorum metu deſerunt, Capienſes & Caraoënſes eandem ob cauſam ex Urvaica ad Paranam transmigrant; alibique turbatum eſt, Mamalucis furentibus.

Inter has calamitates ſolatio fuit Patribus frequentiſſimus ad baptiſmum recipiendum concurſus. Ex Thereſianis aderant mille nongenti duodecim præter pueros & minimam ætatem. Ex incolis Sanctorum Coſmæ & Damiani ſexcenti nonaginta novem, demptis parvulis. Ex Araricanis ſexcenti quinquaginta quatuor. Ex Sancto Joſepho quingenti quinquaginta ſeptem. Quibus ſi accenſeas reliquos, qui oppida trans Igaim incolunt, nec non in ſemota Sancti Joachimi colonia, & in Urvaicenſibus, ac Paranenſibus domiciliis, annum hunc Cælitibus gratiſſimum dixeris.

1637. Per Tucumaniam procurſiones Apoſtolicæ fiunt cum multo animarum lucro.

Franciſcus Diaſtanius Comitiis provincialibus in Procuratorem Romanum eligitur; Socium itineris usque in Hiſpaniam accipit Antonium Ruiſium.

Sancti Joachimi oppidum Mamaluci funditus delent; magnam vaſtitatem inferunt numeroſiſſimæ coloniæ a Sancta Thereſia nuncupatæ. Per Tapenſem provinciam omnia perturbant.

Joſe-

Joſephus Cataldinus ægre ſubducitur morti, quam intentarat barbarus, permoleſte ferens, quod interdictum ſibi eſſet, præter unam, altera conjuge. A. C.

Caaroënſes, Caapienſes, & Caaſapagvacuenſes, quod Mamalucorum creberrimas incurſiones perferre non poſſent, neque infeſta tela retundere; ex Urvaicenſi regione ad Paranam ſe, ſuaque transferunt, ac vetera ſua oppida reparant.

Inter has turbas barbari complures Mamalucorum metu ad partes Chriſti accedunt, fitque manifeſtum e domeſticis tabulis: In Piratinienſi oppido ducentos & octodecim. In Sancti Xaverii colonia ducentos, & duos. Apud Ibitiraquanos centum & ſeptuaginta. Apud Mbororeenſes centum & quinque. Apud Igvaſuanos centum & quinquaginta. Ex Caaroënſibus octingentos & viginti octo. In Sancti Michaelis oppido trecentos & octoginta quatuor. In Sancti Joſephi templo trecentos & ſeptuaginta. Ex Thereſianis ſeptingentos & nonaginta. Ex Itapuanis centum & quindecim. Ex Caaſapaminienſibus nonaginta novem. Ex Sanctorum Coſmæ & Damiani incolis plures admodum, uti etiam e colonia S. Thomæ fuiſſe ſacro baptismate ablutos. Silentio prætereo omnes eos, qui migrationis tempore Eccleſiæ Romanæ acceſſerunt, & pariter illos, qui in variis excurſionibus primi Sacramenti participes facti ſunt, nec in catalogum relati.

Itatinenſis provincia magnum virum amiſit Didacum Ranzonierium, inſignem apud Indos operarium.

E Riocenſi Collegio excurſum eſt ad Indos Paſimanæ Vallis, qui ſuperioribus annis jugum excutere nitebantur; at virtute Hiſpanorum perdomiti ſunt. 1638.

Cordubenſis Collegii Patres id nominis regionem decurſis bis centum leucis excolunt, multorum ſalute per baptismum & ſacram exomologeſim procurata.

Gaſpar Oſorius & Ignatius Medina per Tucumanenſem ditionem diſperſos Oclojas colligunt, Chriſtianæque militiæ adſcribunt, & recens erecto oppido includunt.

Divi Caroli, & Divorum Petri ac Pauli oppida, Mamaluci Braſilienſes e fundamentis convellunt, magna animarum jactura; namque in hoc Societas hactenus quater mille trecentos & triginta ſeptem jam Chriſto initiaverat. In Carolino vero oppido quinque millia octingentos quadraginta quinque.

Quanquam Neophyti cum Mamalucis congreſſi ſuperiores fuerint, tamen deſertis his ſedibus ad Paranam commigrarunt, ſibique oppida conſtituerunt.

A. C. Rurſum in Piratinienſi agro certatum eſt varia fortuna, metuque majoris damni, oppidum univerſum Sancti Nicolai ſe in Urvaicam transfert.

Neque in Urvaica provincia ab Mamalucis pax; circumferebant quippe incendiorum faces, & undique infeſtabant. Importunos hoſpites adorti Neophyti, fugant. Tapenſes ſibi ab Mamalucis metuunt; de deſerendis ſedibus cogitant.

Transmigratione ſancita ſex oppidorum incolæ ex Tapenſi provincia ſolum vertunt, atque inter Parañam & Urvaicam conſident, formatis totidem oppidis, & quatuor, quod ſuperflua eſſent, abolitis.

Neophytis Urvaicenſibus & Paranenſibus Europæa arma Regis authoritate conceduntur.

Poſt migrationem Tapenſium, fugitivorum receptacula excutiuntur. Quadringenti quadraginta barbari vagam vivendi licentiam ſecuti, oppida profeſſis miſcentur. Auguſtinus de Contreras præterea trecentas familias e ſilvarum antris mira dicendi vi eduxit.

Littorales ſilvas ad Paranam Socii latiſſime pererrant magno animarum proventu.

Itatinenſes Socii ærumnis omnibus premuntur. Juſtus Vanſurkius ad necem quæritur. Quem, cum Indus ferocia inſignis jam prehenſum trucidare vellet, non alia arma oppoſuit, quam nudum pectus; hac conſtantia fractus barbarus manum a cæde abſtinuit.

Hoc anno ab Itatinenſibus, Paraquarienſibus, Paranenſibus, Urvaicenſibus, & Tapenſibus Sociis circiter decem millia ſunt ſoſpitalibus aquis abluta.

1639. Cordubenſes repetitis excurſionibus quindecim ethnicorum caſas ad fidem ſolicitant.

Oclojarum oppidum a Societate refectum, Patribus Franciſcanis traditur, idque litium vitandarum cauſa.

Gaſpar Oſorius, & Antonius Riparius, in aditu provinciæ Chaquenſis fidei cauſa a barbaris ſunt interempti. Parricidæ hi paulo ante, Sebaſtianum Alarconium, Patrum ſervulum eadem de cauſa fæde trucidarunt.

Didacus Alvarus, Paranenſium, Urvaicenſium, & Tapenſium Sociorum Præfectus, dum Indos defendit, glande plumbea a Mamaluco emiſſa ſternitur. Didaco ſufficitur in Præfectura Claudius Ruierius, cujus primus labor erat plures Neophytorum manipulos immittere ad rebelles Caracaras, ut ad officium revocarentur; factum id proſpero rerum exitu.

De

De baptizatorum numero, idem eſto hoc anno, quod ſuperioribus, judicium. A. C.

Didacus Boroa Præſes provinciæ, ad novas expeditiones Socios accendit, præcipue ad Indorum reliquias Mamalucorum furore diſperſas veſtigandas. Atque ſane Patrum induſtria mille ducentos unica procurſione collegit. 1640.

Joſephus Domenecus Jiviſenſem regionem late permenſus, multos barbarorum cum vitæ periculo e ſilvis protraxit, & Boni Paſtoris pium gregem iis terris auxit.

Claudius Ruierius trecentos per ſuperiorem Urvaicæ partem ſuperſtitioni eripuit.

Orto inter Hiſpanos & Calchaquinos bello, expeditiones Apoſtolicæ curſum tenere non potuerunt.

Urvaicenſes & Paranenſes Neophyti, ad bellum profecti, rebellium trecentos capiunt; ſibi ac Religioni ſubinde conciliatos.

Ad Paranam & Urvaicam ii, qui ex Tapenſi provincia & aliunde eo commigraverant, ſolerti labore ſua oppida inſtaurant.

Didacus Boroa, cum res geſtas Patrum ad Paranam & Urvaicam pro ſua poteſtate inſpexiſſet, numerato reperit myſtico partu renatos ſex mille quadringentos a Paranenſibus Sociis, quinquies mille, & ducentos ab Urvaicenſibus.

Idem pronunciavit, tantam vaſtitatem per Mamalucos provinciæ Tapenſi illatam eſſe, ut de Neophytis Catechumenis, ſimulque ethnicis curæ Societatis deſtinatis, ad eum diem deſiderata fuerint viginti quinque millia hominum, quos pecudum more præ ſe egerant in Braſiliam.

Senatus vero Platenſis Regi per literas ſignificavit: in variis populationibus, per diverſas provinciæ Paraquariæ regiones, trecenta facile capitum millia, ab Mamalucis in ſervitutem abacta fuiſſe, quorum plerique per longum ac difficile iter miſere periere.

Franciſcus Diaſtanius Procurator cum ſubſidiariis Sociis ex Europa in Braſiliam navigat. Infenſos ſibi reddit Mamalucos ob Diploma Pontificium promulgatum adverſus Indorum abactores. Quam etiam ob rem Societas ab Mamalucis e Collegio Paulopolitano & Sanctorum Sede vi propulſatur.

Menſe decembri Franciſcus Diaſtanius tres & triginta Ordinis noſtri delectos viros in portum Boni aëris feliciter invehit.

A. C. Franciſcus Lupercius de Curbano, e Peruvia veniens, provinciæ Paraquarienſis regimen capeſſit.

1641. Novi Provincialis voluntate Cordubenſis ditio, ſemel atque iterum a Patribus perluſtratur, non ſine præclaro rerum ſucceſſu & animarum fructu.

Apud Tucumaniæ Calchaquinos oppidum quoddam armorum terrore deſertum, ab Societate reſtauratur Divo Carolo dicatum.

Apud Abipones mortalium ferociſſimos, ſacra expeditio plus famæ, quam emolumenti habuit, ob barbarorum efferatam indolem.

Neophyti noſtri ad Mbororeum oppidum cum Mamalucis ſecundo marte decertant; in pugna ac hoſtium fuga duo millia Tupicorum, cum ingenti numero Mamalucorum periere.

Provincialis Lupercius in viſitatione provinciæ comperit magnum numerum a noſtris baptizatorum, præcipue a Paranenſibus, & Urvaicenſibus.

1642. Bini Patres ad Cordubenſem ditionem procurrentes, memorabili animarum fructu revertuntur.

In exornando primo Societatis ſeculo, ludi ſeculares inſtituti, magnam celebritatem apud Indos & Hiſpanos obtinuere.

Neophytorum noſtrorum vexatores cælitus caſtigantur, multi ab Mamalucis abacti recuperantur. Longe plures Sacramentorum procuratione expiantur.

1643. Cordubenſes Socii felici rei Chriſtianæ acceſſione, expeditiones Apoſtolicas continuant.

In Tucumania, Matagvajæ populi, in quatuor oppida diviſi, nunc demum fidei Chriſtianæ conciliantur. Ex quo ſpes affulget, Caquenſis provinciæ, Chriſto ſubjugandæ.

Ex Riocenſi Collegio inſtituta miſſio ad Paluſtres Indos nequaquam ſuo fructu caruit; namque præter non contemnendum expiatorum numerum, ethnicorum manipulus ſacris undis eſt ablutus.

Ad Paranam & Urvaicam eadem erat Sociorum induſtria, quæ ſuperioribus annis, in conſervandis Neophytis, ac ethnicis reducendis.

In Itatinenſi regione magna fiebat animarum meſſis ſex impigris Sociis duce Juſto Vanſurkio in ea occupatis, præcipue in inſtituendis ethnicis.

Joſephus Domenecus, & Michaël Gomes ad Aracajanos & Villaricanos centum & quinquaginta leucarum itinere delati, peſtilenti morbo afflictis dies noctesque aderant; quo in opere Villaricæ Joſephus Domenecus nobili fato conceſſit.

Hic

Hic annus millefimus ſexcenteſimus quadrageſimus quartus A. C.
controverſia, de conſecratione Illuſtriſſimi Domini Bernardini 1644.
de Cardenas Epiſcopi Paraquarienſis, non exhibitis Diplomatibus ſummi Pontificis, conſecrati; memorabilis fuit.

Societas reperti ad Uraicam auri falſo accuſatur, & tametſi calumnia idoneis argumentis dilueretur, tamen iterum iterumque in eandem rem eſt inquiſitum. Donec tandem per Senatum Regium accuſatores mendacii convicti & grandi ære, & exilio multarentur. Quo factum, ut criminatio, de eportato extra Americam Urvaicenſi auro, ac interverſis Regiis vectigalibus evaneſceret.

Inter has turbas, Societas more ſuo, per ampliſſimas regiones, in Apoſtolicis exercitationibus fructuoſe admodum operam collocat.

E Collegio Boni aëris excurrentes Socii non paucos a cultu 1645.
idolorum abducunt, præcipue Æthiopes.

Bis tota vallis Calchaquina, ab Torreblanca, & Patricio Sociis indefeſſis, nec ſine fructu luſtratur. In hac valle alterum jam oppidum ab Societate conditum eſt.

In Fojenſi Itatinorum oppido graviter turbatum eſt; quod indigenæ Patrum imperia detrectare & palam tumultuari auderent. Hos inter tumultus Dominicus Munoja & Chriſtophorus Arenas vulnera accepere.

Hactenus Itatinenſes Socii ſe cis Paraquarium flumen continuerant, ob diminutum operarum numerum, Mamalucorum & Neophytorum molitiones. Pacatis ſubinde rebus & aucto Sociorum numero, decreta eſt expeditio ad regiones ultra Paraquarium porrectas, ethnicorum multitudine in Peruviam usque celebratas.

Ad hanc expeditionem delecti ſunt: Petrus Romerus, & Juſtus Vanſurkius, qui transmiſſo Paraquario, & confectis centum quadraginta leucis; non paucos Indos detexerunt amplectendæ Religionis avidos. Ergo fundamenta moliuntur oppidi, Divæ Barbaræ conſecrandi; quod ut celerius ſurgeret, Romerus Vanſurkium ad Aſſumptionis urbem properare jubet ſubſidia Sociorum, & inſtrumenta operi idonea procuraturum.

Petrus Romerus abſente Vanſurkio, in aditu provinciæ cum Matthæo Ferdinandio Socio laico fidei cauſa necatur.

Anno hoc pro Franciſco Lupercio Curbano in Peruviam ad provinciæ regimen capeſſendum evocato, Joannes Baptiſta Ferrufinus e Chilenſi regno accerſitus, Præfecturam accepit.

Porro;

A. C. Porro: quemadmodum Hiſtoriam Paraquarienſem ad annum hunc milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimum quintum perduxi, ita Synopſi chronologicæ iſthic finem imponam, ſi prius Lectorem monuero, non paucas Illuſtrium Virorum vitas, qui glorioſiſſime in his Auſtralibus regionibus, aut Religionem propagarunt, aut in Collegiis utiliſſime ſub umbra verſati ſunt, in hac pentadecade deſiderari, quæ tum demum in publicum proditura ſunt, cum Hiſtoriæ maturuerint, & ſtilum alter ad continuandas res Paraquarienſium Sociorum exacuerit.

DECAS
PRIMA.

ALPHONS⁹ BARSENA HISPAN⁹.
JOAN. SALONI⁹ VALENTIAN⁹.
EMMANUEL ORTEGA LUSIT.
THOMAS FILDIUS HIBERNUS.
JOANNES ROMERUS BÆTIC⁹.
GASPAR MONROJUS HISPAN⁹.
PETRUS AGNASCUS PERVAN⁹.
LUDOVICUS VALDIVIA HISP.
MARCELLUS LORENCANA LEGIONENSIS.
JOANNES DARIUS ITALUS.

ALPHONSUS BARSENA
HISPANUS CORDUBENSIS.

Caput Primum.

Ejus natales, educatio, Religionis initia, navigatio.

ILluſtres Viros e Societate JESU, qui per Paraquariam & confines provincias, terra, marique rem Chriſtianam protulerunt, ſcripturus; ab Alphonſo Barſena ingredior, ut qui primus Sociorum, facem Evangelicam iis oris intulit, primus auſtrali Americæ fidei lucem affudit, cæteris ordine antecellat. Cordubæ in Bætica, quæ provincia eſt Hiſpaniæ, honeſta ſtirpe natum accepimus, pueritiam ac deinceps adoleſcentiam, cum integerrimis moribus ornaret, doctrinaque, quam ætas ferebat, ſedulo excoleret,

ſuo merito conſecutus eſt, ut eum Joannes Avila, prodigium illud Apoſtolicæ vitæ, diſcipulum adſciſceret, atque erudiret. Inſtituente illo, incredibile dictu eſt, quantum profecerit. Rebus jam agendis maturus, quum ad barbararum gentium converſionem impelli ſe ſentiret, Avila duce & authore in Societatem JESU, (a qua ſui eum quindecim annis arcuerant) anno 1565. eſt cooptatus. Atque mox oſtendit, e quali palæſtra prodiiſſet; nam Bæticæ præcipuas urbes ſic tanquam ſacer orator percurrens, magnam eloquentiæ famam collegit, ut adeo ab utraque Hiſpalenſis Eccleſiæ cathedra, ſummis votis expeteretur; & incredibili fructu audiretur a pleniſſima ſemper concione. Sed enim ille lucem hanc ſpernere, contra vero antiqua illa barbaricarum expeditionum deſideria animo revolvere, flagrantiſſime expetere, ſegnes in Europa moras increpare videbatur. Quæ omnia exitus comprobavit; votorum etenim compos factus, annuente Beato Franciſco Borgia Societatis JESU Præpoſito Generale, anno 1569. ab Europa divulſus, in Americam vela fecit.

CAPUT SECUNDUM.

In Peruvia labores.

IN Peruviam appulſus, toto ardore in earum gentium ſalutem incubuit, barbaras linguas adeo feliciter condidicit, ut etiam ſplendide ad populum diceret, quod cum adeptus eſſet, undique eniti cœpit, ubique Apoſtolice rem gerere, ampliſſimæ regionis loca fulguris in morem percurſare, penetrare ad Uroquillas, qui abditas Chucuitenſes paludes accolunt, veſtigare conterminas rupes, latebras excutere, gentes immanitate barbaras blande allectare, emollire, erudire rudes, verbo & exemplo præire. Efficax labor, ac fertiles ad animarum ſalutem ſudores videbantur; nam læta meſſis reſpondit: multa barbarorum millia ſunt ſacro baptismate abluta; idola per omnem late regionem everſa, pellicatus ſublati, Neophyti Sacramentis procurati, animarum Curatores inſtituti. Neque interea ſuorum popularium curam abjecit; perſæpe ad Hiſpanorum urbes arduis itineribus regreſſus correxit mores, inflammavit reſtinctam pietatem, erexit mæſtos, liberos, parentes, conjuges inter ſeſe, peccatores Deo conciliavit, omnibus omnia factus, eum amorem, atque æſtimationem collegit, ut ab omnium ordinum hominibus, Hiſpanis pariter, atque Indis & a Prorege ipſo, peculiari nuncupatione, Peruviæ Apoſtolus appellaretur.

Sane Apoſtolica ſunt ſuſpiria, quæ ille in privatas conjecit chartas, & ad poſterorum memoriam etiamnum conſervantur. *O utinam Peruvia omnis mei juris eſſet, non ante deſiſterem ejus bono me impendere, donec continuis per ſpelæa, rupes, & abruptiſſima loca, excurſionibus, aliisque*

defa-

defatigationibus, corpuſculum meum penitus contritum in fruſta diſſolveretur. Non longe poſt Peruvia ipſa, ut ut extentiſſimæ amplitudinis eſſet, modica ipſi videbatur; quapropter Majores ſuos frequentibus literis rogabat, ut ad intactas adhuc ethnicorum terras mitteretur, præſentire id ſe animo aſſeverans, laborum ſocium Petrum Agnaſcum futurum. Nec inanis præſagitio fuit, nam & ipſe exiguo tempore interjecto ad Franciſci Tucumanenſis primi Epiſcopi preces in Tucumaniam, quæ provincia extra Peruviæ fines ſita eſt, & Paraquariæ ac Chileno regno obvertitur, proficiſcitur, & Petrus Agnaſcus, ut optaverat, eundem eſt conſecutus.

CAPUT TERTIUM.

Saltam & Eſtecum excolit.

E Potoſini oppidi finibus egreſſus, ſuperatis arduis montibus, qui Peruviam a Tucumania dividunt, Saltam, tenuem Hiſpanorum urbem, venit, ac dici vix poteſt, quam læte ſit acceptus. Equidem jam inde ab quadriennio, ex quo urbs inſtitui cæpta eſt, Sacerdote caruit, ac ut fit, reæ conſcientiæ tormentis miſere torquebantur. Expiavit omnes a Patre Franciſco Angulo adjutus, ac lætam pacem in omnium animis reliquit. Eſtecum ſubinde profectus, quod oppidum Salta 50. leucis abeſt; hic quoque gregem ſine Paſtore palatim errantem miſeratus, neceſſariis Sacramentis ex uſu Eccleſiæ procuravit. Indos, qui illic domicilium fixerant, Quichoana & Tonocatana lingua, fidei rudimenta docuit, atque ab ethnica ſuperſtitione vindicavit. Et vero ne feſtine aſperſa hæc inſtitutio e rudiſſimæ gentis memoria effluеret, de ſingulis Hiſpanorum familiis binos Neophytos elegit, ac peculiariter erudivit, qui, quum Sacerdotes abeſſent, fidei rudimenta, primas preces edocerent, pios hymnos cantando præirent; ut crebro admonitu, uſuque infixa magis animis retinerentur. Confeſſionis ordinem ac conſuetudinem, rem ad hæc tempora Indis incognitam, introduxit. Angulus pariter omni occaſioni imminens, quidquid piæ opis afferre poterat, ſedulo accuravit, atque ſic collata opera, & mutuo enitendo, rude vulgus informarunt. Fama rei non tantum ad æſtimationem domeſticam, verum etiam ad diſſitas provincias utiliter dimanavit. Hac commotus Tucumanenſis Epiſcopus, per expeditos tabellarios Patrum animos ſolicitabat, atque ad Metropolim provinciæ invitabat, & æs itineri large proferens, & ampliſſimam meſſem commonſtrans. Summa animi alacritate uterque Patrum operam addixit, & menſe non amplius Eſteci acto, una iter 60. leucarum arripiunt. Cum jam urbi adventarent, obvium habuere Prætorem Tucumaniæ Joannem Ramirez, Valesquum cum Magiſtratu, & frequenti populo, a quibus lætiſſimo complexu accepti, triumphali prope greſſu, floreos per arcus, & plu-

plurima inter alia publicæ hilaritatis ſigna ad urbem deducuntur. Epiſcopus ſupplicatione inſtituta, ad ſacras ædes Hoſpites comitatus, ex improviſo ad dicendum aſſurrexit, & luculenta oratione dilaudatos, demum in ædibus ſuis hoſpitaliter accepit, retinuitque.

CAPUT QUARTUM.

In Tucumaniæ Metropoli, Apoſtolice elaborat.

SAne boni Superi commodiſſima tempeſtate Barſenam in Tucumaniam invexere. Id loci ex eo tempore, quo indigenæ Hiſpanum jugum ſubierant, multiplici coorta diſcordia, res admodum turbide gerebantur. Tanta multitudo barbararum gentium, negotium faceſſebat maximum, dum in claſſes redigerentur. Tandem complacatis animis & in ordinem ſe dare, & legibus conſueſcere cœperunt. Sic pacatam jam provinciam Barſena reperit, amplam ſane meſſem (cum ſola urbs S. Jacobi paucos ante annos 80000. ſagittariorum complexa ſit) operarios paucos! præter Epiſcopum in univerſa Tucumania, quinque duntaxat Sacerdotes erant, & pauculi numero Religioſi, iique Indicarum linguarum rudes. Hiſpani ad flagitioſiſſimos mores defluxerant, Indi nuper e ſilvarum latebris protracti, nondum præ feritate humanæ ſocietati aſſueti.

Anceps animi erat Barſena, in quam prius partem, falcem Evangelicam expediret; conſtituit tandem ab Europæis initium facere, nempe ut exempla barbaris pararet, hique oculis primum diſcerent, dum ſenſim aures erudirentur. Ergo ſacra exomologeſi repurgati cives omnes, Chriſti corpore paſti omnes, acri oratione perſtricti mali mores, collaudata quorumdam pietas, adoleſcens ætas doctrina Chriſtiana informata. Et jam intermicabat ad ſenſum Religio, dum tandem & internis inſtincta ſtimulis, & ardentibus Patrum ſermonibus accenſa, plena luce effulgeret. Hanc meliorem Eccleſiæ ſuæ faciem conſpicatus Epiſcopus, ex Dominicana Familia vir integerrimus, tenere ſe non potuit, quin & ipſe omnibus lætitiis incederet, & palam ſuis, auſpicatiſſimum Sacerdotum adventum gratularetur. Ad Indos ſubinde converſa ſtudia, ultra fidem profecerunt. Barſena præter Tonocotanam linguam, Kakanam quoque probe callebat; his adjutus, præ reliquis idoneos Neophytos delegit, inſtruxit, per urbem diſperſit, ut populares ſuos docerent. Quum initiati jam tantillum eſſent, ipſe prælata cruce turbam barbarorum, fidei rudimenta ad modulos canentium per fora ductabat, eo, ut doctrina latius dimanaret, & ſuaviter in animos influeret. Loci Epiſcopus ubique comes, hortator & laudator aderat. Hiſce demum artibus Chriſti cultus innoteſcere, atque expeti cœpit. Ergo infinita prope hominum multitudo ſacro fonte eſt reſperſa, Neophyti confeſſione nunquam

quam ante uſurpata DEO conciliati, perſuaſa unica & legitima uxor plurimis; quum antea veterem ſuam legem ſecuti, quisque pro ſua copia & facultatibus numerum augeret.

Caput Quintum.

Multa millia barbarorum Eſtecenſium baptizat.

HAec cum in urbe S. Jacobi agerentur, Tucumaniæ Præſul Alphonſum Barſenam, cum Joanne Villegas laico, quem e Peruvia ſecum traxerat, ad Eſtecenſem urbem remittit; cauſa expeditionis fuit: Quinquaginta circa urbem hanc tametſi locis abjunctiſſimis pagi erant, in plena adhucdum barbarie & rerum cæleſtium ignoratione; his lucris imminebat. Regreſſus igitur ad nuperam ſtationem, multis per iter ſalutaribus undis profuit. Civibus rurſum copiam Sacramentorum fecit, ac rite comparatus, ad eas colonias, quanquam arduo itinere, penetravit tandem. In tractandis his barbaris hunc modum tenuit: cum ad locum perventum eſt, omnes in cumulum collegit, diesque aliquot (operam ſtrenue conferente Joanne Villegas) in fidei rudimentis exercuit. Inſtitutos quantum ſatis, juſſit avitas ſuperſtitiones deponere, deteſtari male actam vitam, id quod, cum a ſingulis prompte atque ex animo fieret, univerſi ſacro fonte ſunt luſtrati. Diem porro omnem ſic partitus eſt: antelucano ſomno excuſſo in proximum nemus ſeceſſit, DEUM precaturus, ut cæleſti lumine cæcas gentis tenebras diſſiparet, corda emolliret, ac meminiſſet pretium eſſe ſanguinis a pio Redemptore profuſi. Sacrificio ſubinde facto, ſermonem ad populum habuit, reliquum matutini temporis catechetica doctrina exigebat. Veſpertinas horas Neophytis abluendis & matrimonio jungendis impendit. Quantum porro vir optimus tulerit ad excelſos montes arrependo, abdita ſilvarum veſtigando, male reſpirantes paludes, & incerta vada pertentando, ut ne quis eximius eſſet, ad quem fama Evangelii non pertineret; inquam, hæc ſperamus pro merito ſcripta eſſe in libro vitæ. Novem menſes tenuit labor, ſex millia ſexcentos baptizavit, multis millibus ethnicorum, matrimonia ineuntium legitime adfuit; eorum numerus iniri non potuit, qui Sacramentis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſunt procurati. In expeditione hac, rem cum laude geſſit Joannes Villegas adjutor, qui perpetuo diſcurrens, ſparſam gentem collegit, indomita barbarorum ingenia prior flexit, ac demum obſequentes adduxit. His actis ambo in Tucumaniam reverſi ſunt.

CAPUT SEXTUM.

Cordubenſem tractum Apoſtolice percurrit.

VIx dum gratatur reducem Epiſcopus ; ad Cordubenſem tractum cum Franciſco Angulo deſignat. Corduba centum leucis abeſt a Tucumaniæ Metropoli. Itum ſine mora ad nova animarum lucra, ſuntque ambo a Cordubenſibus benevole accepti. Atque ubi Barſenæ tuba Apoſtolica perſonuit, nemo fuit, qui non conſcientiam apud advenas Sacerdotes relevare vellet. Indi ab Hiſpanorum obſequiis 500. & amplius baptiſmum receperunt. Ex accolis & commigrantibus 300. Neophyti 400. ad legitimum matrimonium ſunt perducti. Fervebat labor, laborem fructus conſolabatur, quum ecce nuncium affertur, quinque ſubſidiarios Socios ex Braſilia adventare. Ergo falce tantiſper in meſſe relicta ad hos recipiendos reditum eſt Cordubam. Mutuus Patrum conſpectus fuit perjucundus, ſecutæ gratulationes, & inflammabantur mutuo animi ad ſumma quæque. Alphonſus ad agrum Cordubenſem ſe retulit ; ſocius eidem datus eſt Emmanuel Ortegas, quocum relictum nuper laborem admirabili proventu redintegravit. Divina aſpirante gratia, quidquid circumquaque iis terris barbaræ ſuperſtitionis erat, diſſipatur ; ethnici omnes ſub vexillum Chriſti iere.

Prolatis igitur ſignis, longius ſibi Patres procurrendum putaverunt. Reclamabant Hiſpani, ac ſubmonebant, rem eſſe plenam periculi, nihilo tamen ſecius ire Patres, nullo viæ duce, nullis veſtigiis, nullo belligeræ gentis metu. Ingreſſi ſilvas, in ſilvis barbarorum tabernacula, eluctati ad præaltos montes, excuſſerunt ipſa ferarum luſtra, illati in medias cohortes ; ubique intrepide & alta voce Chriſti nomen prædicarunt, eo ſucceſſu, ut præter innumerabilem turbam Confeſſione expiatam, 2500. ſalutari fonte abluerint, 1500. paria pellicatu implicita, legitimo vinculo junxerint, obvios quoſque ad DEI amorem viamque ſalutis ſempiternam perduxerint. Quinque menſibus tenuit vaga hæc procurſio, eſtque tot inter ærumnas acta, ut difficile ſit compendio complecti. Sæviente hyeme utrique cælum pro tecto, pro lecto algens tellus, victus hybernæ radices, poſtremis diebus 24. grana turcici tritici numerato deprompta ; hoc deficiente per quinque ipſos dies, præter corpus ac ſanguinem Chriſti, nihil omnino ori admoverunt, & indubie ambobus pereundum erat, niſi ſterile ſolum mutaſſent, & præterea in commigratione ipſa prodigium manifeſtum interveniſſet. Octidui nempe iter (ut infra referam) undecim horarum ſpatio a ſe confectum perhibuere Patres.

CA-

Caput Septimum.

Salſi fluminis accolas omni ope juvat.

ALphonſum Barſenam in ea expeditione perſeverantem ut 4. millia ethnicorum, quorum Caſiquios Sacramento baptismi expiaverat, Chriſti partibus adderet, jamque ad fretum Magellanicum per ferociſſimas gentes, flumina terræ (ut ipſe ajebat) ſcindendo, ſine armis ac comitatu ire parantem, revocavit Epiſcopus, ut tantis diſcriminibus eriperet virum, ac tutiori ſtatione collocaret. Auditus dicere: ſine Barſena nolle ſe Epiſcopatum. Fidem verbis ipſo facto præſtitit; namque ut primum ille rediit, eundem totius Diœceſis Inſpectorem ſumma cum poteſtate, legitimis tabulis quantumvis renitentem creat, oratque, ut cum Sociis, nuper e Braſilia advectis Salſi fluminis accolarum curam in ſe ſuſcipiat. Facturum ſe recepit, ſimulque Emanuelem Ortegam, Joannem Salonium, & Thomam Fildium, Socios deligit, atque in Tonocotana lingua erudit, horum ſolertia, at præcipue Barſenæ multum adjuti ſunt Salſetani. Complures ſacro baptismo expiati; pellicatu expediti triginta ſupra ducentos Neophyti; plurimi ſuperioris vitæ criminum vinculis in ſacro tribunali exoluti. Hoc in opere quum morbum Barſena contraxiſſet, ad urbem eſt relatus.

Caput Octavum.

Calchaquinos ad pacem revocat.

COnfirmata valetudine perſæpe utiliter excurrit, & magno baptismorum proventu rediit. Subinde Joannem Ramirum Velaſcum Tucumaniæ Prætorem ſecutus, qui in Calchaquinos expeditionem parabat, ut rebellem gentem armorum vi frangeret. Hic quoque belli egregiam Reipublicæ operam navavit: namque, cum Calchaquini de Hiſpanorum adventu cognoviſſent, ad notas artes regreſſi, ſumma montium occupabant, ut devolutis per abrupta ſaxis in ſubjecta valle, quæ præteriri non poterat, Hiſpanum militem opprimerent. Animadverſo Barſena periculo, militem in veſtigio ſtitit, ipſe unus per eas convallis anguſtias imperterrito animo ire, & eadem animi confidentia ad cacumen montis, hoſtiumque opera eniti cœpit. Cui Ibrida primum, militari ferocia, deinde Calchaquinorum Ducis filii duo, & armati viri centum occurrunt, quos Barſena invicta dicendi vi ita ſibi conciliavit, ut pacis inter utramque gentem interpres conſtitueretur. Ea coaluit, Calchaquinis animum ſubmittentibus. Hiſpanis jura legesque dictantibus, quæ nec aſpernarentur, & ferre poſſent barbari. Suas quoque animarum prædas cogitabat Barſena, ſed enim nimiam gentis ferociam,

ciam, & inconſtantiam probe noverat, quapropter majores natu ad pacis firmitatem ſocietatemque cohortatus, a baptiſmo abſtinuit, infantes ſacris undis abluit. Ut proinde præter hiſtoriarum fidem ſcripſerint ii, qui a Barſena univerſam Calchaquinorum gentem Chriſto conciliatam in Annales retulerunt.

CAPUT NONUM.

Lullos & alios Populos Chriſto lucratur.

Confecta cum Calchaquinis pace, militem Prætor reduxit. Barſena ad urbem S. Jacobi iter flexit, ac cum circumſpiceret, qua potiſſimum ejus regionis parte bellum orco inferret, propinqua primum placuere. Igitur ad montana delatus, commutatis locis prope ſexcentos ab erroribus vindicavit. Totidem a vaga libidine revocatos ad legitima matrimonii vincula traduxit, magnum pœnitentium numerum Kakana lingua uſus expiavit. In S. Michaelis urbe cum Franciſco Angulo omnem pellicatum ſuſtulit. Tonocotonis, Diagvitis, præcipuam tamen Lullis inſtituendis operam impendit. Ad hos unico adoleſcentulo viæ comite & Sacrificii miniſtro uſus, difficillimo itinere pervenit. Ferocem cætera populum, reperit doctrinæ Chriſtianæ ſitientiſſimum, adhæc ſibi benevolum. Cum ingrederetur, choræas agitabat juventus, in miram hilaritatem effuſi omnium animi, ut conſtaret, non ingratiis adeſſe legis Doctorem. Barſena collaudata barbarorum alacritate, obire loca populi cœpit, Apoſtolicis miniſteriis opem omnibus ferre, montes & valles luſtrare, flumina natatu trajicere, ne quæ errans ovicula elaberetur. Quin hoſtes Hiſpani nominis adire, eos ipſos, qui nuper igne ſubjecto urbem S. Michaelis inflammaverant. In ſemeſtri hac expeditione id operæ pretium tulit, ut 2000. ſacris aquis lavaret. 3000. matrimonio jungeret, ut minora prætercam, quæ Apoſtolicis lucris accenſuit. Ex tantis laboribus valetudine contracta, ſubnatis quinis in tibia ulceribus, defectus viribus, in urbem eſt relatus, in qua cum convaluiſſet, nonaginta ſex ethnicis baptiſmum perſuaſit & impertiit. Ad ſuburbana excurrens, multis baptiſmo rurſum atque aliis Sacramentis ſaluti fuit.

CAPUT DECIMUM.

Peragrata Tucumania Lullos repetit.

Seculi ſuperioris anno nonageſimo, geminas ad Joannem Atienſem Peruviæ Provincialem literas dedit, in quibus pro ardore animi & incenſa animarum ſiti ad ardua quæque ſe offerebat, levia nimium ſibi videri, quæ eatenus egerit, paſſuſue ſit, ſe porro in poteſtate Majorum ſuorum eſſe, quibus ſi ita colliberet, ut

ut ne veſtigium proferret, vitamque omnem in unius tantum barbari inſtitutione exigeret, id quoque ſe obedienter facturum. Aliis literis enixe ab eodem flagitabat, ut quoniam urgeret ætas, viresque attenuarentur, ejusmodi ſubſidiarios Socios mitteret, qui vitæ ſuæ contemptores, periculorum pro Chriſto adeundorum amantes, deliciarum oſores, crucis ambitu inſignes eſſent. Franciſcum Angulum, cui ſuberat, rogabat; ne extremis licet viribus ſuis parceret, ſibique pro imperio ſuo indicaret, quæ terræ, quæ gentes Evangelii proferendi cauſa forent adeundæ. Eapropter catalogum Barſena Angulo porrexit earum nationum, quæ opis indigæ eſſent. Hæc meditantem, rurſum Joannes Ramirus appellat, qui per Tucumaniam Prætoria poteſtate fungebatur, ut diximus. Ærarium Prætor multiplici bello, cum barbaris geſto, exhauſit; ſubſidia per provinciam collecturus, Barſenam Socium depoſcit, quod gratia atque authoritate apud omnes ſciret valere plurimum. Neque fruſtratus ſua ſpe Prætor eſt; nam tantum auri argentique coactum eſt, ut avara etiam vota explere poſſet. Neque ſuos quæſtus Barſena præteriit, ubique animorum periculis occurrit, & quaqua ibat, ſemina Religionis Chriſtianæ ſparſit. Peragrata Tucumania ad Lullos rediit, 350. hic, alibi 249. rurſum alibi oppidum integrum piaculari fonte luſtravit. Hos conatus abrupere literæ, quibus nova ſubſidia Sociorum e Peruvia nunciabantur adeſſe.

Caput Undecimum.

E Lullorum regione revocatur.

Anno 1590. advenerat Joannes Fontius cum Petro Agnaſco in Tucumaniam, Sociisque per provinciam præerat; aderat quoque Franciſcus Angulus, qui eo officio deceſſerat. Hi de abſente Barſena ita ſtatuerunt, ut e periculoſa inter Lullos ſtatione Virum emoverent; fama enim percrebuerat eos in necem Barſenæ conſpiraſſe. Tametſi vero fama hæc vaniſſima eſſet, ſuberat cauſa verior, ne ſenex optimus laborum pondere & tenuitate cibi (nam præter ſilveſtres cucurbitas, & potum frigidæ, ad reficiendas vires nihil omnino admiſerat) conficeretur. Literæ, quæ ad eum datæ ſunt, id unum præferebant; *rediret ſine mora, ac Prætori, cui bellum cum Londinenſibus eſſet, ſe adjungeret.* Acceptis literis in hunc modum reſpondit, nihil ſibi antiquius eſſe parendi ſtudio. „ Adero, inquit, quam
„ primum o Pater, & pedibus tuis advolutus dicam: ecce ego, mitte me,
„ ſive ad Lullos, ſive ad Calchaquinos, Chaquenſes, aut Frontones,
„ ſeu denique ad ultimos mundi terminos ire juſſeris, obſequentem ha-
„ bes. Quam vellem univerſum terrarum orbem animarum ſtudio com-
„ plecti, barbaras gentes ordine omnes coram alloqui; quoniam vero

„ id humanas vires excedit, ei me mundi parti commodabo, cui „ DEUS Optimus Maximus per te me affixerit. „ Hæc cum ſcripſiſſet, 16. oppida Lullorum operam ſuam depoſcentium ultro reliquit, atque ad S. Michaelis urbem, ubi eum Petrus Agnaſcus præſtolabatur, regreſſus eſt. Poſt mutuas conſalutationes Hiſpanorum urbes, ac vicinia omnis indefeſſo Patrum ſtudio excolebatur, ac quod reliquum temporis erat, in linguis barbarorum perdiſcendis eſt collocatum. Fontius atque Angulus ad Rubeum fluvium abiere, ut novale futuræ meſſi pararent.

CAPUT DUODECIMUM.

Ad Frontones Chriſto lucrandos mittitur.

EOdem prope tempore a Prætore, & Joanne Fontio ſolicitatur literis Barſena; ab illo ut Londinenſi bello adeſſet; ab hoc ut poſthabita Prætoris invitatione ad Frontones properaret, illic corporum, hic animorum eſſe rationes. Obniti Prætor re intellecta vehementer cœpit, quod uſu comperiſſet, res ſeu belli, ſeu pacis læto eventu tunc geri, cum Barſena conſilio regeret, authoritate fulciret. Prævaluerunt Majorum imperia. Rebus cum Prætore placide compoſitis iter Patres capeſſunt, centum leucas plano itinere emenſi, in oppido Materanorum ſedem figunt, inde ut res tempusque ferret, ad Frontones excurſuri. Materanenſium cenſebantur millia ſeptem, multi de his baptismo nondum erant initiati, Neophytorum nullus adhucdum a luſtralibus undis, conſcientiæ ſuæ maculas apud Sacerdotem depoſuit, plurimi erant pellicatu infames. Omnibus occurrit Patrum mirificus zelus, ac brevi tempore effectum, ut ager hic percultiſſimus eſſet. Grandis urgebat labor, a quo PP. ætate graves ſane abhorrere poterant, linguarum nempe perdiſcendarum. Confiſi tamen Divino præſidio, in id ſtudium communi conſilio incubuere alacriter omnes. Barſena dux facti, ſenilem memoriam vexabat primus, Petrus Agnaſcus ſecutus eſt, collato deinde labore Gvaranicam, Naticam, Quiſoquinam, Abiponicam, Quiranquinam linguas, in vocabularia diſpeſcuerunt, in rudimenta, catecheſes, conciones formarunt. Seſquianno tenuit labor pertinax in Frontonum gratiam cæptus; quod his dialectis uterentur. Idem nuper factum in Tucumania, cum Tonocatana, Kakana, Taquina, Quirandica lingua; ſunt enim hæ omnes in præcepta ac lexica reductæ (in uſum Sociorum, quos in haſce olim terras ſuus ardor ferret) opera Alphonſi Barſenæ. Quem propter tantos labores animarum cauſa ſuſceptos, eam vitæ auſteritatem, ut qui corruptiſſimis aquis ad potum uteretur, pulmento indico ac cucurbitis obſonaret, piſcem fumo duratum admodum raro admitteret, ageret maxima, ſilentio involveret plurima.

rima. Eapropter inquam, Petrus Agnaſcus vitæ virtutumque teſtis, Barſenam ac S. Franciſcum Xaverium, ſuis ad Provincialem literis non dubitavit inter ſeſe comparare.

Caput Decimumtertium.

Frontonum expeditio fruſtra ſuſcipitur.

LInguarum præſidia eatenus jam incenderant Patres, ut in Frontones auderent, ibantque alacriter, tametſi ab hoc eos conſilio amici avocarent. Fama erat idola pronunciaſſe, ut novi Doctores neci darentur, id amici certis nunciis cognoverant, & rumor palam prodidit. Quidquid id erat, viri Apoſtolici ſpreta, ſi appeteret, morte, in Naticarum ac Magosnarum gentium fines delati, arma Evangelica expediunt. Sed enim vix primas faces cæcæ genti admovent, dirum factum refertur: nempe ſtygio furore perciti Magosnani, Franciſcum Vera ab Aragonia, Prætoris de urbe Conceptionis fratrem cum quinque Hiſpanis, poſt crudelem flagellationem impie trucidarunt. Inde bellum exortum eſt, quod cum pauci Hiſpani virtute, barbari multitudine ſuſtinerent, ac alternis fortunæ vicibus gereretur diutius, Apoſtolicos Patrum conatus inhibuit; ut adeo & linguarum diſciplinæ & reliqui conatus fruſtra jam eſſent. Barſena Cæli conſilia veneratus, perinde animo conquievit, ut ſi ſecundis omnia votis fluxiſſent. Id ipſum Præſidi provinciæ ſignificavit, & ne non ex animo locutus fuiſſe videretur, ſtudium operamque rurſum detulit ad reliquas octo Frontonum linguas perdiſcendas, in lexica ac grammaticam digerendas, uno obedientiæ lucro contentus. Regreſſus ad Materanos, cum caſtigatis jam Magosnanis, belli furor per intervalla remitteret, rurſum conſilia agitabat Frontonum fines pertentandi, rurſum redundantes aquæ impediverunt.

Caput Decimumquartum.

Reliqua Barſenæ geſta in Paraquaria.

QUum gemino conatu nihil proficeret, curam Frontonum depoſuit, & ab Hiſpanis pariter atque Indis ad urbem S. Joannis invitatus, quam incolæ *Corrientes* vocant; quod in concurſu fluminum Paranæ ac Paraquarii ſita eſſet, cum Petro Agnaſco abiit. Illic aliquot menſes dimoratus, Hiſpanos ad frugem, Indos ad baptismum, atque a dulcedine vitiorum ſuorum ad cultum virtutis perduxit. Materanum ſubinde rediit, atque in ea ſtatione permanſit, quoad anno 1594. evocaretur, ut alteri ſtationi, cui a nova

Aſſumptione nomen eſt, præeſſet. Uſus opportunitate fluminis, adverſo Paraquario feliciter pervenit. Adventantem cives liberaliter ac magnifice accepiſſe feruntur. Barſena contra, ſe totum urbis ſaluti impendit, ſermonibus plane divinis cohortando, Sacramentis procurando, ægros omni ope adjutando, grammaticam docendo. His laboribus involutum maligna aura afflavit, ut per horas ſex, profligatis in reliquam vitam viribus, exanimis jaceret.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

In Peruviam revocatus labores redintegrat.

LAnguenti adhuc, Joannis Sebaſtiani Provincialis literæ afferuntur. His emerito ſeni Peruviana quies offertur. Barſena non ut ad quietem reſpectaret, verum Majorum ſuorum imperiis obſequeretur, a Paraquarienſibus communi urbis luctu divellitur. Per iter Materanos ſuos, Conceptionis urbem, a barbaris pene obſeſſam, ſuo adventu recreat. Deinceps Tucumaniam omnem, in qua (ipſo teſte) viginti quinque millia barbarorum myſtico partu regeneravit. Peruviæ magnam partem prætervectus Cuſcum tandem, quo evocabatur, emenſis 550. leucis tenuit. Hic loci, cum præ Indis & Hiſpanis Peruanam linguam ipſe optime calleret, iterum ex otio ad negotium animarum devolutus, plurimum urbi profuit: hoc tamen facto maxime inclaruit, quod Ingorum ſtirpis ultimum, ad quem jus regni priſcum pertinebat, Chriſtianis legibus exultum, baptizatumque, ad pie moriendum compararit. Sub his Apoſtolicæ vitæ exercitationibus mors eum occupavit.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Memorabilia quædam ad ejus Vitam & Mortem ſpectantia.

ALlegambe author eſt, Barſenam crebro quinque, ſexve dies ſolo Chriſti corpore paſtum, cætera inediam ſuſtinuiſſe. Id ego ſemel duntaxat in omni vita ei eveniſſe, inter acta Patrum reperio, & ſuo jam loco retuli. Intempeſta nocte ad orandum conſurgens, totis duodecim annis dæmonem vexatorem expertus, innumeris prope de eo reportatis victoriis, id demum conſecutus eſt, ut importunum tenebrionem deriſum ac increpitum ſcipione abigeret. Ipſum eundem alias horrifica ſpecie imminentem, piasque curas de ferociſſima gente Cælo aſſerenda obturbantem, ea voce conſurgens repreſſit: confide hac ſella hoſpes, namque ea tu me dignior es! hac animi demiſſione ſuperbum faſtum ſtygii interpellatoris in furorem & fugam

fugam impulit. Proditum de Barſena eſt, ex præſentiſſimis vitæ periculis a DEO ereptum, perſæpe futura animo præſagiiſſe, ac multo ante pronunciaſſe, arcana hominum ſenſa cognoviſſe, ac rebus depoſcentibus pateféciſſe. Franciſcum de Cruce in Peruvia id temporis apud vulgus celebrem præmonuit, ut ne tam contentioſo ſermone in publico conſeſſu uteretur, ac niſi ab eo remitteret, futurum, ut pro hæretico, igni concremaretur. Non fuiſſe vanum augurium eventus docuit; rogo vitam finivit. DEO, ac DEI-PARÆ fuit perquam familiaris. Pueri JESU ſuaviſſimam memoriam & recolebat aſſidue, & blandis verbis frequentabat. Ejus ſculptam effigiem præter morem & incertum, quo caſu, ad caput lecti non habuit propinquam. Et quum ægrorum curatorem fruſtra inclamaret, ut admoveretur, ipſe Cæleſtis Puellus præſentem ſe ſtitit, ac placide appellans ægrum ſenem: ne fatigeris, inquit, nam hic ego tecum ſum tuus JESUS. Ipſo die JESU ſacro Kalendis Januarii 1598. vitam Apoſtolicis virtutibus multum exercitam ſeptuageſimo ætatis anno piiſſime clauſit. Barbarorum linguas undecim calluit. Quæ didicit, adeo fideliter retinuit, ut vetus ac novum teſtamentum ex memoria recitaret. Multa vario idiomate ſcripſit eorum uſibus præcipue, qui inter Indos in animarum ſalute elaborarent. Sæpe poſt mortem barbaris abs ſe olim in Paraquaria baptismatis unda aſperſis, ſe videndum præbuit, atque de fidei & morum inconſtantia redargutos mortuus emendavit. Indus e curru excuſſus invocato Alphonſi nomine, rotam corpus ſuum ſulcantem indemnis excepit. Hæc ut compendii rationem haberemus, breviter de tanto Viro; quem Nierembergius & alii, ſuo merito inter Societatis Heroes collocarunt.

JOANNES SALONIUS VALENTIANUS.

CAPUT PRIMUM.

De ejus vitæ primordiis.

JOannes Salonius Valentiæ in Hiſpania primam lucem aſpexit, quibus porro Parentibus, qua inſtitutione adoleverit, an Hiſpanæ, an Luſitanicæ Societati ſe adjunxerit, an in Braſiliam, ante initam Religionem, an deinceps navigaverit? incerta ſunt. Id conſtat, in Braſilia ita ſe Majoribus ſuis probaſſe, ita virtute, ac literis excultum fuiſſe, ut ad quatuor Ordinis noſtri vota profitenda admitteretur. Viri virtus in majori luce deinde poſita amplius enituit, ad quam cum reſpexiſſet Joſephus Anchieta provinciæ Præſes, ea tantopere eſt delectatus, ut Salonium e multis delegerit, qui in propinquas Auſtro Americæ regiones, freto Magellanico obverſas nomen, & ſalubres Societatis Jesu artes cum ſelectiſſima Sociorum manu primus inferret. Igitur cum Leonardo Arminio Italo, Thoma Fildio Hiberno, Emmanuele Ortega, & Stephano Grao Luſitanis, ad Illuſtris Viri Franciſci Victoriæ preces in Tucumaniam proficiſci juſſus, ſpem Majorum de ſe conceptam rerum geſtarum magnitudine ſuperavit. In ipſo fluminis Argentei oſtio, ab Anglis Piraticam facientibus captus (ut infra referam in Emmanuele Ortega) indigna, plane perpeſſus eſt. Poſt varia diſcrimina & rerum viciſſitudines, anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo, non ſine manifeſta Divini Numinis ope, tandem ad portum Boni aeris eſt eluctatus. Virum alienæ ſalutis ardentiſſimum, Paraquarienſis Epiſcopus, oſtenſa immenſæ meſſis propinqua ſpe, vehementer allectabat, rogabatque pluribus, ut depoſito Tucumaniæ adeundæ conſilio, in Paraquariam cum Sociis commigraret,

quod

quod ejus regionis linguam noſſet, quæ a Braſiliæ dialecto non admodum differret. Ille Majorum ſuorum imperia cauſatus, Præſulis petitionem omni officiorum genere plenam modeſte declinans, propoſitum iter perſequi cœpit, & in Tucumaniam ſe intulit. Ubi cum Thoma Fildio, & Emmanuele Ortega in Peruano agro medios inter labores Franciſcum Angulum atque Alphonſum Barſenam ſalutavit, his admixtus operam & ipſe ſtrenue contulit, ut ne ſua Hiſpanis ſalutis remedia, neve ſua ethnicis deeſſent, & jam ſub ſedula falce decreſceret labor. Spes illa nuper porrecta Paraquariæ meſſis tandem & Præſides & Salonium pervicit, ut cum Emmanuele Ortega, Thoma Fildio primus Paraquariam Societati Jesu aperiret.

Caput Secundum.

Primus Sociorum in Paraquariam fauſto omine ingreditur.

TRecentis leucis aberat urbs Aſſumptionis id temporis Paraquariæ caput. Huc contendentibus, & terra, & adverſis fluminibus: altero Argenteo, altero Paraquario proficiſcendum fuit. Qua præteribant, tametſi non plenis horreis, carptim tamen aliquid ſemper metebant, & lucris animarum adjiciebant. Cum de eorum adventu cognoviſſent, tres leucas obviam effuſi cives, magna honoris ſignificatione acceperunt. Urbi præerat Epiſcopus ex S. Dominici Familia, hoc tum abſente alius ejusdem Ordinis, vices Præſulis fungebatur, Vir admodum pius, qui & præclara ſua in Socios voluntate, & Epiſcopi hortatu Salonium palam dilaudatum, in ædes Patribus paratas induxit, data ultro poteſtate miniſteria Societatis intra, extrave urbem obeundi. Sub adventum Patrum pleræque Paraquariæ urbes, Indorumque oppida Sacerdote carebant. Europæi absque Sacrorum uſu, vana Chriſtianorum nomina præferebant. Indi per immenſam propè provinciam ſparſi, veteri ſuo inſtituto, ſuperſtitionibus impliciti vivebant. Ut rem Chriſtianam miſere afflictam recrearet, abrupta omni mora, ſtudia Sociorum diviſit, ac communi impreſſione facta, primum urbi emendandæ incubuit. Quæ frequenti catecheſi, ſermonibus publicis, privatis colloquiis, Sacramentorum uſu cum belle jam convaleſceret, omnis ſubinde cura viciniis urbi oppidis maximo cum fænore fuit impenſa.

CAPUT TERTIUM.

Peſte contactos juvat.

ORtegam ac Fildium non poſt multo Salonius in Gvairaniam, quæ Braſiliæ obverſa regio eſt, ablegat. Ipſe in eadem ſtatione permanſit, ut ſua urbem præſentia, in virtutum officiis contineret, & teneræ adhucdum inter barbaros Religionis cunabula foveret conſilio, exemplo, indefeſſa cura. Hæc cum in ſextum menſem actitaret, reverſi ex Gvairania Socii, ſimulque peſtifera lues per omnem late regionem ſe ſe diffudit. In urbe ac propinquis locis nondum revoluto anno 10000. hominum abſumpſit; quo in communi periculo vehementer inclaruit ignea Patrum charitas. Nullus ex omni numero, quoad ſciri potuit, e vita deceſſit, cui Socii ſupremam opem non tuliſſent; 15000. pœnitentibus aures præbuere. 1500. ethnicos ſalutaribus undis emundarunt; diurnis nocturnisque horis, cibi ac ſomni prope immemores, ſumma cura omnes animi ac corporis vires intenderunt, ne quid humanæ aut divinæ opis cuiquam deeſſet, & quod mirere, nullo virium aut valetudinis detrimento. Rediit ſenſim urbi ſalubritas, & malum alio evaſit ac præcipue Gvairanios corripuit. Ergo Ortega & Fildius, Salonii voluntate illuc ocyus advolarunt, ut languentibus præſto forent; id quod ſuo loco uberiore narratione complectar.

CAPUT QUARTUM.

Per quinquennium Paraquariæ Metropolim excolit.

SAlonius, ſive quod urbs nondum convaluiſſet, ſive ut ſtabile domicilium Sociis figeret; Fildio Ortegaque alio, ut dixeram, commigrantibus, non deceſſit loco. Et quoniam curis ſuis jam complexus eſſet urbem, ardori Apoſtolico fræna laxans per omnia charitatis officia incitatiſſime ferebatur, ſingulis annis multa millia expiavit. Ægris ſedulus affuit, mæſtos opportunis ſolatiis recreavit, pellicatus, pravas amicitias extinxit, ſuperſtitioni deditos ad ſalutis viam perduxit; eorumque avaritiam repreſſit, qui Neophytis ſacræ doctrinæ cauſa urbem adeuntibus has ferias non indulgerent; quin a Pro-Prætore legem impetravit, qua Indorum Domini jubebantur ſingulis annis ſuorum Confeſſiones procurare, ſi ſecus agerent, eorum dominio exciderent. Octoginta Gvaicuræos proditionis convictos, antequam ex funeſta arbore penderent, ad unum omnes noſtra myſteria eruditos ſalutaribus aquis tinxit. Hunc in modum cum urbi, atque accolis late prodeſſet, idque omnium oculis uſurparetur, & præterea privatæ domi virtutes non paucæ in Viro relucerent, famam Sanctitatis Salonio pepererunt.

CA-

CAPUT QUINTUM.

Adverſo Paraquario Apoſtolice excurrit.

QUinquennio illic exacto, Alphonſum Barſenam & Marcellum Lorencana in ſubſidium accipit. Tum Salonius, qui ob præſentes urbis atque accolarum neceſſitates, eatenus cohibuerat impetum animi longinqua meditantis; tandem erupit. Flagitat a Barſena, ut cum Lorencana ſibi liceret, tantiſper littora Paraquarii fluminis legere, profeminandi Evangelii cauſa. Impetrata miſſione, tenui viatico inſtructi, itineri ſe celerrime committunt. Ibant per paludoſa loca, ita interdum aquis immerſi, ut vix ſummo corpore extarent, arundinibus ac limo lento impliciti, quod eluctari non poſſent; tota nocte fœdis imbribus verberabantur, ſæpe a tigridibus & viperis citeriore littore perterriti in adverſum enatabant, commutato vitæ periculo. Acciderat aliquando, ut ab advenientium magno cum murmure aquarum, ſubito timore percellerentur, ac ſubmerſionem metuerent; ergo ut eam præverterent; de lumine viæ duce (nox enim erat) cogitant, depromunt nitratum pulverem ex gentis uſu, liberalius ac oportebat, errore tenebrarum eum admetientes inflammandæ materiæ; concepta repente flamma ita ex improviſo involvitur Salonius, ut ambuſta facie, corruptis palpebris cum acerbo dolore aliquot dies cæcutiret. Reddita facie atque oculis, a ſterili littore receſſit, centum leucas oberrans, Cucuiſenſes, Pituvienſes, Guaiambaræos, Piraienſes, Itatinos, Atiranos, abjunctiſſimos inter ſe Paraquariæ populos, Sacerdotibus magna parte deſtitutos adiit cum Lorencana. Excuſſis latebris ſilveſtrium hominum, commutatis eorum oppidis, qui ad ſocietatem vitæ ſe conjunxerant, ingentem animarum prædam trahebant. Frequentiſſimi baptiſmum expetiverunt, idonei omnes, reliquis Sacramentis ſunt procurati. In hac exercitatione quinque menſes cum poſuiſſent, reditum meditabantur. Et Salonius quidem, dum adhuc veſtigat vagas oviculas, dum lucra lucris apponit, prope erat, ut Martyrii palmam auferret. Conſpiraverant in eum ferociſſimi barbari, quorum manus haud ſane evaſerat, ni accepto per puellum indicio ambages ſecutus; propoſitum iter alio atque alio flexiſſet. Charybdim hanc pæne ſcylla excepit. Dum urbi propinquat, dum fines Gvaicuræorum ingreditur, communi periculo ſe involvit. Populus quippe univerſus jugi Hiſpanici impatiens, adverſum Dominos arma corripuerat, & promiſcua cæde miſcebat omnia. Superum tamen auxilio protectus, indemnis tranſiit. Reducem Salonium Joannes Romerus, qui Sociis per Paraquariam & Tucumaniam præfuit, honeſtiſſimis laboribus ac periculis defunctum, paterno plane amore excepit, & interjecto tempore, itidem cum Marcello Lorencana, in Gvairaniam Apoſtolico more curandam dimittit.

CAPUT SEXTUM.

In Gvairaniam expeditionem ſuſcipit.

GVairaniam barbarorum provinciam accurabant annis quinque Emmanuel Ortega & Thomas Fildius. Huc contendebat Salonius itinere longiſſimo, atque ea tempeſtate, qua ab aquis pluviis torrentes increſcerent & infuſi in paludes vadum redderent intractabile. Omnia tamen vicit Salonius, interdum natando, alias cymbula, aut equo adjutus, & ſicubi aliter non poterat, nudato corpore cum cænoſa eluvione colluctando. Progreſſus: quotquot Indorum pagos obvios habuit, ſalutavit omnes non fine animarum ſpoliis orco detractis. In Regia urbe plus morarum fecit, Hiſpanos & Indos rite expiatos ſacro epulo pavit, frequentes ethnicos Chriſto aſſeruit, ſolutos matrimonii vinculo adſtrinxit. Interea literæ adferuntur, ab Ortega Fildioque miſſæ cum cymbula de cava arbore, ut quoniam opportunitas fluminum aderat, & ſexaginta adhuc leucæ ſupereſſent itineris, præſto eſſet vehiculum. Oblatum conſilium, auxiliumque placuit: navigium ingreſſus, ſex Indorum oppida luſtravit, ac nullo fere negotio cæcæ ſuperſtitioni eripuit. Inde Villaricam feſtinavit, ubi cum excenderet, feſtivo fiſtularum ſono, triumphali arcu, & id genus pompa a civibus ſalutatur. Salonius redditis, ut par erat, urbi officiis, ad ſuos converſus, Ortegam & Fildium, utrumque collaudavit ob præclare locatam operam; delectatus tantiſper immenſi illius agri cultu lætiſſimaque meſſe, rurſum ad ſuos reverſus eſt. Permultis ſaluti fuit; præcipuum illud, quod Præſtigiatorem quendam Anthropophagum, & alium dire ferocientem in Chriſtiana ſacra, ſermone fregerit, ac de lupo in agnum commutarit. Sexto a diſceſſu menſe ſe urbi Aſſumptionis reddidit, atque in agro Domini, ut cœperat deſudavit, donec anno 1599. victima charitatis caderet.

CAPUT SEPTIMUM.

Ejus mors.

CÆlo pluvio ad ægrum extreme depoſitum evocatus, tametſi & ipſe langueret, collectis viribus accurrit. Cum reverteret, & ſudore & imbre madens lethali morbo proſternitur. Moriens Divos DEIQUE Matrem ſpectaſſe eſt creditus. Cadaver ejus tanto omnium ordinum luctu, planctu ac concurſu ſepultum fertur, ut tum quidem juſta homini perſolvi non potuerint. Facies demortui jucundum colorem referebat, ac vivente formoſior, humana majus quidpiam ſpirare dicebatur, adeo ut Epiſcopus Tucumaniæ cum pro

eo

eo ſolenni ritu ſacrificaret, eumque intueretur, obortis ubertim lachrymis, in hæc verba admirationis plena erumperet: ubi eſt mors victoria tua! Iſtos Cælitum, atque mortalium favores merebantur pientiſſimi Viri virtutes, & facinora tot millibus Indorum Chriſto devictis inclyti, & a nobis eo præcipue nomine commendandi, quod primus omnium JESU Socios in Paraquariam induxerit, rexeritque. Atque pauca hæc, quæ de multis ad nos pervenerunt, ni fallor ejusmodi ſunt, ut digniſſimum faciant Salonium noſtrum, qui ab urbe Valentia, in ordine Apoſtolicorum Virorum, quos Orienti & Occidenti dedit, honeſtiſſimo loco collocetur.

EMMANUEL ORTEGA
LUSITANUS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus natales, navigatio, prima munia.

EMmanuel Ortega Nobilibus Parentibus editus eſt in Luſitania, Avunculus ejusdem ad dignitatem Epiſcopalem evectus, ut munere, ſic factis inclaruit. Mater ſummæ probitatis Matrona in Societatem noſtram beneficia cumulavit. Et ipſa tamen & Avunculus, Ortegæ in Braſiliam navigare volenti, moras injicere parabant. At enim Vir Apoſtolicus cognata rumpens vincula, ſuorum inconſulta ſtudia præcipitato itinere antevertit. In Braſilia literarum inter otia, cæterasque Ordinis exercitationes, amorem barbarorum jam in Luſitania conceptum, mirum in modum auxit, fovitque; quapropter & eorum linguas condidicit, & ita ſe undique comparabat, ut idoneus eſſet. Ac jam per Braſiliam perſæpe excurrendo præluſerat, ut majora deinceps auderet. Aliqua expeditione centum leucas progreſſus, in furentium Indorum laqueos ſe jam induerat, re tamen animadverſa, pedem retulit, ac cava arborum petens, exemplo Divi Franciſci Xaverii diſpoſitas inſidias feliciter eluſit. Biennio integro per Braſiliam Joſepho Anchietæ in laborum auxilium datus, celeberrimi Viri virtutes non tam ſpectavit, quam ſectatus eſt. Moderabatur per id tempus provinciam Anchieta; ab iſto facile impetravit, ut Joanni Salonio, in Tucumaniam cum Sociis abituro adjungeretur. Ac

provide ſane; nam ſi quiſquam alius, Ortega profectò, in Americano orbe, qua ad Auſtrum vergit, rem Chriſtianam plurimum provexit, & Societatem noſtram non uno facinore illuſtravit.

Caput Secundum.

Ab hæreticis Anglis captus; in mare projicitur.

E Braſilia ad portum Boni aëris navigans cum quatuor aliis e Societate noſtra, in ipſo Argentei fluminis oſtio a Piratis capitur. Angli hæretici erant, ſuapte indole in Societatem noſtram præferoces. Hi principio Patres indignis probris onerant, tum ne Romanæ Eccleſiæ dogma ad barbaras gentes transferrent, in deſertam, ac teterrimo odore inſulam abjiciunt, deſtituuntque; commutata deinde voluntate rurſum producunt, ut e malo navis conſpicui pendeant. Alii interea Sociorum arculas effringunt, veſtigant omnia, forte in Ceras (quas Paſchales & Papales nominamus) offendunt, & tanquam ſatis jam ad ludibrium nacti eſſent, reliqua inſuper habent; has proferunt, jočulariter inſpectant, tandem in tabulatum navis ſparſas, unus aliquis profano pede conculcat, Papam authorem execratur. Non tulit rem indigniſſimam Ortega, objurgato inprimis ſcelerato illo, pedem utrumque nefarii hominis corripit, ac qua poteſt inhibet, impliciti inter ſeſe dum mutuo luctantur, fortiore impetu Pirata ſe evolvit, atque alliſo ad oram navis capite, perſtricta cute ſanguinem ſibi elicuit. Tumultum res excivit, turmatim in Ortegam involant, nihil repugnantem verberibus afficiunt, in mare demum proturbant. Colluctatus diu cum fluctibus, natando ſe ſenſim ad navim applicat, quam cum apprehendiſſet, deriſum extrahunt, neque pia miſeratione, verum ut diriori aliquo mortis genere interimant. Dum hanc ipſam in rem conſilia agitarent, res accidit portento ſimillima. In pede conſcelerati illius, qui ſacras ceras non dubitavit proterere, peſtilens puſtula repente enata eſt, miraque celeritate proſerpſit malum, ac totum pedem involvit; dolor perferri non poterat; ergo reſcinditur pes, dum hoc fit, contagio totum corpus occupatur. Atque infelix ille inter diras voces animam evomuit nondum præterlapſis 24. horis, tanto hæreticorum horrore ac metu, ut deinceps ab inferenda Sociis violenta morte manus abſtinerent. Vagos quæſtus ſecuti, Patres quoque verſus fretum Magellanicum ſecum traxerunt, duraque fame maceratos tandem male ſarta navi, ſine velis, ſine remis, injectos mari alto committunt. Hac vecti, divinitus adjuti portum Boni aëris tenuere, inde Tucumaniam, quo deſtinabantur.

CAPUT TERTIUM.

Emmanuelis Ortegæ portentoſa tranſvectio & in Tucumania labores.

IN Tucumania Emmanuel Ortega, Alphonſo Barſenæ adhæſit, quo cum Cordubenſem tractum diu ac ſedulo coluit, extrema perpeſſus; & jam in ſterili ſolo, fame abſumpti erant uterque, niſi boni Superi prodigio affuiſſent. Res hunc in modum evenit. Barſena atque Ortega extremam penum demprompſerant, turcici tritici grana quatuor & viginti. Sic victitabant numerato pluſculos dies. Hoc abſumpto, poſtremis quinque diebus, nihil quidquam aderat, quod ultimam famem conſolaretur. Barſena, tantiſper conſulto DEO, jubet Ortegam a media nocte Sacrificium facere, tum ad Hiſpani hominis villam quinquaginta leucis diſſitam, cibarii cauſa ablegat. Ortegæ undique anceps conſilium viſum eſt. Miſerebat eum ſeniculi, qui in horas moriturus credebatur, iter longinquum erat, ac plenum periculi; quia a barbaris infeſtum. Paruit tamen, & expiatis totius vitæ noxis equo inſedit. Vix iter capeſſit, volucri celeritate abreptus, eadem occurſum barbarorum, mortem minitantium prætervolavit. Sub meridiem, ut tantiſper quieſceret, equo deſiliit, cæleſti ſomnio recreatus, ac ad majora pro Chriſto audenda animatus eſt. Sopore ſolutus retulit ſe ad equum, ac poſt meridiem villam ingreſſus, comperit undecim horarum ſpatio octidui iter ſe confeciſſe. Cauſa adventus cognita: properant jumenta & commeatum ad Barſenam amici, vix dum miſerant; ipſe Barſena ore hilari ingreditur, & præſentem ſe ſiſtit, gaudium & admiratio ingens ex geminato prodigio diu omnes attonitos habuit. Miraculi fidem apud Hiſpanos auxerat Europæus nuncius, alia ad Barſenam via miſſus, qui non niſi duodecimo poſt die rediit, ac ſancte affirmavit, ſe hoc in itinere, ſupra quam credi poſſit, feſtinaſſe. Igitur DEO O. liberatori & munifico gratiæ actæ ſunt. Revocatis poſt longam inediam viribus cum Alphonſo Barſena, Joanne Salonio, Thoma Fildio, fluminis Salſi culturam (ut vehementer flagitabat Epiſcopus Tucumaniæ) aggreditur. Hic, relicto Barſena, cum Salonio ac Fildio in Paraquariam immenſæ meſſis ſpe provocatus, 300. leucarum itinere proficiſcitur.

CAPUT QUARTUM.

Aſſumptionis urbem nec non Gvairaniam excolit.

IN Paraquariam delatus, primas curas Metropoli impendit, in qua cum per aliquot menſes verſatus eſſet ſumma cum laude ac magno urbis commodo, in Gvairaniam cum Thoma Fildio, pedeſtri itinere, exempla Joſephi Anchietæ imitatus, diſceſſit. Prima molitione 350. ethnicos e ſilvis protractos ab uno Fildio

adjutus, Chriſto adjecit. Præcipuum ſpolium fuit barbarorum Dux, ſpecie horrifica, picto ad terrorem vultu, crine capitis ad ipſa genua defluente. Iisdem animarum lucris itum per obvios pagos. In ultimo ditionis Paraquaricæ, quod copioſior eſſet, mille Sacramento baptismi eluti, quadringenti maritali vinculo adſtricti, ſilveſtres Indi nusquam eatenus ab Hiſpanis viſi, magno numero ad ſocietatem humanam ac fidem Neophytorum ſunt reducti. His per iter perfectis: in Gvairaniæ provinciæ præcipuo oppido (civitatem Regalem vocant) conſedit. Paſtorum cura diu orbatum menſtruo labore ita percoluit; ut in ſpem bonam jam efflorefceret. Baptizati multi, Hiſpanorum vaga licentia matrimonii vinculo contracta, ſopitæ inimicitiæ, ſcorta correcta. Villaricam ſubinde, quæ altera Gvairaniæ urbs, iter intendens, adverſo Parana Huibajoque vectus, confectis octoginta leucis, pervenit. Hic quadrimeſtri ſpatio omnium Hiſpanorum conſcientiæ ſunt expiatæ, & magno barbarorum numero aucta Eccleſia. Explorata dein provincia; in immenſum porrecta meſſis eſſe videbatur. Ducenta facile ethnicorum millia, cenſebant Patres, ſine Duce, ſine Paſtore, de quo ut ad Socios referent opemque poſcerent, ad Aſſumptionis urbem ſunt regreſſi. Ac, quamquam ultra quadringenta millia paſſuum deſcripſerint, eundo, revertendo ac per ampliſſimam provinciam oberrando, non tamen licuit feſſis, vel unum diem conquieviſſe. Cælo dimiſſa lues urbem populata, quindecim facile hominum millia abſumpſit, in eam curam incumbendum Sociis fuit, ut quorum morbis opitulari non poſſent, eorum animas cælo tranſcriberent; id quanto labore, quanta ſolertia præſtitum ſit, retuli in Salonio.

Caput Quintum.

In Aſſumptionis & urbis Regalis ditione multa millia luſtralibus aquis expiat.

Ex urbe in agros ſe diffudit peſtis, villas, pagos communi malo involvit, atque hoc licentius graſſabatur malum, quod agreſtes homines illud ignorarent, ac ſi noviſſent etiam, remedia abeſſent. Numerato ſcribitur ab Ortega & Fildio decies mille extreme decumbentibus aures commodatas fuiſſe, decem millia cadaverum ab ipſis Patribus humo contecta, quatuor ethnicorum millibus paulo ante, quam vita excederent, baptismum adminiſtratum. In urbe Regali porro bis mille quingenti ſacrum confeſſionis myſterium obivere; mille ethnici Romana ſacra amplexi ſunt; centum quinquaginta ſponſi matrimonio conjuncti. Statio ſubinde ad Villaricam translata eſt, quæ pariter, ut ſuperiora loca, Sacerdote carebat. Huc præierat Fildius, ſecutus Ortega obliquis itineribus, ut eos, qui Paranam & Huibajum

bajum accolunt, non negligeret. Bis mille quadringentos reperit, qui baptiſmi deſiderio tenerentur, mille ducentos quinquaginta matrimonio alligavit, confitentium & ſepultorum numerus non eſt initus. Mulieres triginta, centenariæ omnes, cum conjugibus, infamem ariolandi artem, audito Ortega, abjecerunt, ac Chriſtum ſecutæ ſunt. Hæc cum ad oras, geminorum fluviorum oportunitate perfrequentes, fierent; ſermone facile divulgata ſunt. Ad ipſa ſilveſtrium hominum antra, penitosque receſſus penetravit fama; qua exciti ex nemoribus, miſerandis precibus Ortegam flagitarunt, & per ſeſe & per legatos, ut ſacro fonti admoverentur. Sed enim urgebat Villaricana expeditio, urbisque funeſta conditio.

Caput Sextum.

Villaricæ cum Fildio (peſte graſſante) magnam animarum meſſem colligit.

Villaricæ cum Fildio ea acta ſunt, quæ agi poſſe vix poſteritas crederet. In copioſa civitate, dira lue omnia obtinente, tot inter conclamata corpora, ſalus urbis tota duobus Sacerdotibus nitebatur, tota laborum moles incumbebat. Concurrebatur diu noctuque ad Patrum ædes, veniebant Hiſpani & barbari, Neophyti, ethnici, omnis ordo, ſexus, ætas, cum gemitu ac lacrymis. Matronæ genibus nixæ deprecabantur pro conjuge ac liberis, ut ne eorum corpora inſepulta jacerent, liberi pro parentibus, ut iisdem cum morte luctantibus Sacramentorum copia fieret, ſibi rudimenta fidei depoſcebant, alii ſupplices manus tendebant pro vitæ alimentis, ut adeo eodem tempore urbi ac accolis, Chriſtianis atque ethnicis, vivis, ac vita functis fuerit ſuccurrendum. Patres proxima ac longinqua eadem charitate complexi, depulſo ſomno, neglectis cibis, nulla vitæ habita ratione, præſentiſſima inter pericula, totis connixi viribus, omnibus ubique aderant, operam omnibus, quoad poterant, conſtanti novem menſium labore commodabant, qui quantus qualisve fuerit, facilius eſt cogitatione, quam verbis complecti. Sub idem tempus, ſexies mille ſexcenti baptizati, bis mille octingentis pro matrimonio adſtitum, quater mille centum & ſexaginta terræ mandati Patrum manibus, extremis Sacramentis procurati innumeri. Bis mille, ut certiſſimis indiciis comperit Ortega, ex ethnicis, cum ex longinquis terris ad ſacrum lavacrum properarent, malo graſſante extincti ſunt ante, quam ſalutis undam obtinerent. Velut urbis jam ſatur peſtilens furor, in agros ac nemora commigravit; conſecuti Patres; miſerabile illud vulgus, tanta alacritate adjuvarunt, ut ſi ex lento aliquo otio adventaſſent, tanta conſtantia, ut ſex omnino menſes exigerent, usque dum cælo nempe ſalubritas rediret.

Ter mille ſoſpitalibus aquis reſperſerunt, ſexcentos pellicatu liberarunt, bis mille quingentos matrimonio illigarunt. Urbem deinde uterque repetiit, ut ſtrage adhuc dum mæſtam oportunis officiis recrearent.

CAPUT SEPTIMUM.

Ibirayas Chriſto aſſerit.

IBirayarum natio omnis e decem capitum millibus conſtat, triginta ab Villarica leucis diſſita, ac more, inſtitutoque Majorum ſparſim degit. Nonnulli ex hac gente videntur quidpiam lucis Evangelicæ accepiſſe, ac præterea baptiſmo initiati; oppreſſit tamen hæc omnia cum ethnicis conſuetudo, quibuſcum ut Hiſpano jugo ſe ſubducerent, conſilia & arma contulerunt. Tanta ſunt ferocitate, ut nemo eorum fines propius contingere audeat. Pertentandos eſſe putavit Ortega, ratus peroportunam ſibi oblatam occaſionem, quod multi peſte caderent, multorum animos metus mali frangeret. Ac ſi id quidem ſibi eveniret, ut ad mortem ipſe depoſceretur Chriſti cauſa; tum demum ſecum beatiſſime actum iri. Sic comparatus Ibirayas adiit. Incitando populum ſermone, expiando Sacramentis, plurimorum ſaluti fuit. Bis mille octingenti ex peſte contactis, abjurata ſuperſtitione Chriſto nomen dederunt, ſuntque paulo ante mortem luſtrati. Neque reliqui magnopere renitebantur; viſum tamen Ortegæ eſt, non prodige deferre, ſimulque barbarorum vota intra ſpem continere. Quo factum, ut ardentius ſacrum fontem ſitirent, ac ut conſequerentur, nihil non agerent. Ter centum ultro ſe dominationi Hiſpanæ ſubjecerunt, ut Chriſtianis eſſe liceret, quos demum Ortega ſalutaribus undis aſperſit.

CAPUT OCTAVUM.

Ejus inter Apoſtolicos labores vitæ pericula.

VIllaricam interea frequentes ventitabant tum ex Neophytis, tum ethnicis, Ortegam obteſtantes; ut in ſuas quoque terras cæleſtem doctrinam inveheret; paraſſe ſe jam templa, ſurrexiſſe ornatiſſimas cruces dictitabant. Sed enim Patres longinqua meſſis ſpe, præſentem, ac jam maturam perdere nolebant; ergo neglectæ preces. Pro-Prætori nihilominus aliter viſum eſt. Ortegam ad copioſum Indorum oppidum ſecum rapit, tuta is omnia arbitratus, impellit Petri naviculam, expandit retia, & jam ter mille & quadringentos concluſerat, ac melioribus undis tinxerat, cum Optimates loci in caput Ortegæ ac Hiſpanorum conjurant, patratumque fuerat ſcelus, niſi

aver-

avertiſſent Superi. Nocte nempe diem ſceleri condictam præcedente, cum Ortega ſtrati impatiens, circa ædes barbarorum tacitus inambularet, audit confabulantes inter ſe ſe, diſcit ordinem, atque omnem necis inferendæ rationem. Quo accepto indicio clam ſubmonet Hiſpanos, ut fuga ſibi conſulerent, ſe idem facturum. Illuxerat fatalis dies, proſiliunt authores, comperiunt de fuga. Forte triginta ſervuli remanſerant, in hos irruunt, atque omnes telis confodiunt. Denique inter horrendos ululatus diſperguntur, qui mos eſt barbarorum, cum aliquid contra ſpem eveniſſet.

Caput Nonum.

Villaricæ domicilium Societati erigitur.

Furori barbarorum ſubductus, recta ad Fildium Villaricam contendit, ac de repetenda Aſſumptionis urbe cogitabat; id cum comperiſſent cives, efflictim rogabant Patres, ne ſe desererent, longo annorum curſu, nullos id loci fuiſſe Sacerdotes, nullos futuros, ſi ipſi abforent. Paraquariæ Metropolim ducentis admodum leucis disjunctam, Braſiliam immenſo terrarum intervallo, interjecta utrique regioni loca, & ipſa animarum ſubſidiis eſſe deſtituta. Villaricæ domicilium figerent, tutam, fidamque fore ſtationem, fertilem præterea ad animarum meſſem; in qua tot millia ethnicorum Chriſtianæ vitæ præceptis inſtituiſſent, atque nova in dies lucra affulgerent. Hæc Hiſpani cum dicerent; Neophyti in genua projecti, manus Patrum prenſabant, pariter obteſtantes: ut novellam ſtirpem reſpicerent, quam niſi novi Patrum ſudores rigarent, præſentia fulciret, charitas confoveret; neceſſum eſſet perire, vel ipſo vicinæ ſuperſtitionis contagio. Commoti ſunt Patrum animi, atque id unum repoſuere: ſe in Majorum ſuorum poteſtate eſſe, Europam atque Americam perinde habere, nullam in orbe ſtationem exambire, nullam rejicere, ſi Joanni Salonio, quorum imperio ſubſunt, ita viſum fuerit, paratos ſe eſſe cum Villaricanis vivere morique. Igitur idonei nuncii delecti ſunt, qui ocyus omnia ad Salonium referrent. Ducentis leucis redierunt reſponſa, lætiſſima Villaricanis, nam omnia Salonius addixerat: ut permanerent Patres, domicilium conſtitueretur, amicam urbem ne deſtituerent. Ubi fama rei percrebuit, motus ac molitio in urbe tota: civium ac Neophytorum opera non longe poſt & Domus DEI & domicilium Patrum ſtetit.

CAPUT DECIMUM.

Per ſeptennium cum Thoma Fildio in Gvairania Apoſtolice elaborat.

UT gratæ vices urbi ac provinciæ redderentur, fructumque aliquem jam principio ex præſentia Patrum Villaricani caperent, gemina oppida condiderant ex barbaris collectis, qui nusquam antea in ſocietatem vitæ coierant, ſparſi ferarum more vagam ac ſilveſtrem vitam agitabant, Chriſto tandem geniti & finibus certis, & legibus contineri ſe patiebantur. Porro reliquas Hiſpanorum colonias, urbemque inprimis ipſam, ſeptennio integro excoluerunt ſolertiſſime. Sed enim quidquid agerent diu noctuque curſitando, oppida ac pagos oberrando; obſtabat amplitudo provinciæ, quo minus omnium ſaluti pro ſuo deſiderio conſulerent. Adeo increvit fidelium numerus, ut ſingulis annis ſingulorum confeſſiones audiri non poſſent. Villaricanum templum utut amplum undique foret, nihilominus tamen feſtis diebus Neophyti ac Catechumeni (quorum quinque interdum millia confluxerant) foro publico erant inſtruendi. Jucundiſſima ſane fuit ad omnem Religionis cultum effloreſcentis provinciæ ſpecies, at immenſo labore ſtetit, qui profecto perferri non potuiſſet, niſi novos ardores DEI amor, DEUS ardori novas vires ſuffeciſſet. Hæc inter: in omni actione Ortegæ quædam Sanctitas, at præcipue in laboribus patientia, in conſuetudine quotidiana cum barbaris ſuavitas commendabatur.

CAPUT UNDECIMUM.

Peſte afflatis cum Fildio opitulatur.

GVairaina ſub ipſo ferme Capricorno poſita, ardentiſſimo ſole uritur, qui ubi humile humidumque ſolum nanciſcitur, pluvia præcipue tempeſtate, craſſos vapores ciet; hi calidis ventis delati, quibus terris incubuerint, morbos afferunt. Atque id ipſum accuſant indigenæ, cauſas rogati, cur in ampliſſimis oppidis tam pauci numero eſſent. Nempe per intervalla recurrit malum, & identidem aliquid carpit. Hæc tempora obſervabant Patres, & prompti aderant, non modo præſentiſſima ope, per oppida & pagos, verum littora fluminum, nemora, latebrasque omnes veſtigabant; ut tum corporibus, tum animis ægrorum mederentur. Circa annum ſesquimilleſimum nonageſimum octavum, peſte ferocius ſæviente, Ortega Fildium Villaricam remiſit. Ipſe more ſuo Gvairaniam omnem pervagatus, ita multitudine curarum obruebatur, ita varietate laborum diſtrahebatur, ut conſtituere apud animum nequiret, in quam ſe primum partem flecteret. Uno eodemque tempore urgebant præſentium vota, & abſentium populorum inter-

ter-

ternuncii. Utrique aliud ex alio (ut fit in extremis ſolicitudinibus) baptismum, vitæ fomenta, rudimenta fidei, extrema Sacramenta, rite conſocianda conjugia, multi ſimul hæc omnia flagitabant; ut adeo curarum nullus modus, nullus finis fuerit. Sed hæc enarrabit generatio altera, cum ipſi verbis exæquare non poſſimus. Illud liquido conſtat, graſſante peſtifero malo, innumera barbarorum millia ab ethnicis ſuperſtitionibus fuiſſe vindicata, ac, ut ſpes eſt, cælo aſſerta, quod plerique omnes mox a ſuſcepto baptismo deceſſerint.

CAPUT DUODECIMUM.

In ingenti inundatione multa agit & patitur.

ETiamnum his functionibus implicitum, oborta tempeſtas, ac ſecuta aquarum fæda proluvies pene obruit. Iter agebat per campum, geminis utrinque fluviis irriguum, qui fluvii cum & præcipiti imbre & torrentibus augerentur, ripam primum, deinde campum ſupergreſſi, junctis aquis circum omnia late inundabant. Surgentibus undis decreſcebant utriusque littoris nemora ac ſilvæ, neque aliud perfugium erat ſuper, quam ſummæ arbores. Has indigenæ ſepultis jam aqua mapalibus, ſummo ſtudio ac contentione occupabant, Emmanuel Ortega eminentiorem ſubiit. Quibus humilior obtigit, prope mergebantur. Usque adeo obtinuerant omnia aquæ, ut prope imaginem (relata ſequimur) Noëtici illius orbis terrarum diluvii referrent. Inſiſtebant ubique arboribus, aut ramos complexi pendebant mixti valentibus ægri; miſerabili voce, a morbi vi, ab aquis, a fame mortem præſtolantes. Ad hæc: tonitrua, fulmina, turbines, atque ejusmodi perturbati cæli ſive luces ſive fragores diem noctemque horrore complebant. Feræ ex ſpelæis, undis omnia obtinentibus propulſæ, & difformia monſtrorum corpora innatabant, ipſa quoque jam fame rabidæ. Viperarum una primæ magnitudinis, recta ad Ortegam feſtinabat, jamque adhæſerat arbori. Actumque erat de vita Patris, niſi pars rami pondere fracta, beſtiam excuſſiſſet in aquas; quæ caſu attonita alio iter convertit, metuque Sacerdotem liberavit. Biduo jam ea cæli ac terræ facies continuabat, quum inter cæli murmur ac fulgurum malignam lucem, intempeſta nocte, obſervat barbarum hominem ad ſe tendere. Nunciabat is ethnicos tres ſpiritum jam ægre trahere, baptismum flagitare; totidem Neophytos cum morte luctantes exomologeſi animum purgare velle. Nil cunctatus Ortega, ſervulum, ne ſe abſente defectu virium defluat, atque ab undis abripiatur; arbori illigat, riteque a peccatis expiat. Tum ipſe ſe, nudato corpore in aquas vibrat, ac, ut erat nandi peritiſſimus, nuncium ſequitur. Tenebræ erant denſiſſimæ, quales mediis noctibus, cælo nubibus clauſo eſſe ſolent. Diffuſæ per campos

undæ, paſſim lacera ſepimenta, arborum ramenta, ſpinasque ferebant; in has ſe Ortega, magno ſuo periculo induit, quas dum manibus amolitur, plauſuque pedum rejectat; prælonga ſpina cruri ejus infigitur, ac hæret. Inſiſtit nihilominus itineri cœpto, ac hora poſt, pervenit ad ægros. Rite interrogatos, ac ſingillatim eruditos ſacratioribus undis abluit. Vix dum pio officio defungitur; illi virium defectu, ordine in aquas delabuntur & animam cœlo recens aſſertam edunt. Duo ex Neophytis tribus, poſt legitimam confeſſionem, ſpectante ipſo Patre, aquis oppreſſi easdem vices ſubiere. Ergo reverſus eodem itinere, ſervulum, auctis interea aquis, ad usque collum merſum videt, evecto illo in altiorem ramum, uterque ſummam jam ſtationem tenebat, quam ſi pariter obtinuiſſent aquæ; nulla ſpes præterea erat ſuper. Illo tamen die tempeſtas ſerena rediit, ac ſenſim reſtagnantes aquæ in ſuos alveos ſunt receptæ. Interea vulnus ab infixa ſpina, quod neglectum eſſet; undarum contactu, fœdum tumorem traxit, tantusque erat dolor, ut ipſe pedibus inſiſtere haud poſſet. Delatus ex arbore eo transferri voluit, ubi ægris aliquam operam commodare poſſet, dum vi morbi penitus opprimeretur.

Caput Decimumtertium.

Poſt varios labores ad Paraquariæ Metropolim revocatur.

Villaricam translatus eſt. Tum primum conſtitit ſpinam, totum transverſum crus penetraſſe, quæ quantumvis medica manu evulſa ſit, dolor tamen affecti pedis tenuit duos & viginti annos (quos Ortega vitæ reliquos habuit) neque unquam vulnus ita in cicatricem abiit, ut perennem fluxum inhiberet. Id malum, æquo animo toleratum, Joannes Rho in ſuam variarum virtutum Hiſtoriam eleganter tranſtulit, nos ſimplici cultu, ut erat, rem ennarravimus. Quanquam vero afflicto corpore Ortega eſſet, erecto tamen atque ad omnia prompto animo fuit, ut adeo rurſum cum Fildio univerſam Gvairaniam, & Xereſii Hiſpanorum oppidi ditionem inter Apoſtolicas curas peragraret. Donec anno 1599. mortuo jam Salonio, uterque ad Paraquariæ Metropolim revocaretur. Ubi biennio inter Hiſpanos, Neophytos, ethnicos, domi foriſque, res Chriſtiana magnis incrementis eſt promota.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Aqud S. Inquiſitionis Officium, per calumniam accuſatur, multa patitur.

BIennio in Aſſumptionis urbe exacto, Emmanuel Ortega in Tucumaniam juſſu Majorum receſſit. Vix dum pervenerat, mandata accipit a Limanis fidei Inquiſitoribus, quibus ſe S. tribunali ſiſtere jubetur. Quingentis leucis Lima abfuit, properat, venit, in carcerem datur, ignota tum de cauſa, ſtupente tota Peruvia. Meminerant enim multi, quod Ortega ad Argentei fluminis oſtia ob fidei confeſſionem, prope martyrio inclaruerit. Repetebant alii memoria, ac in vulgus ſermone, quot barbarorum millia, per Tucumaniam ac Paraquariam Eccleſiæ adjunxerit, prodigioſum illud cum Barſena undecim horarum iter referebant alii, ſummam Viri tolerantiam, laborum quos exantlarit, multitudinem magnitudinemque commendabant alii, atque Ortegam Americæ Heroibus æquabant. Nulli tamen audebant integerrimi Senatus factum reprehendere ſpe nixi, malevolorum invidia circumventum, aliquando abſolutum iri. Quinque menſibus rigido in carcere exactis, non nihil mitius haberi cœpit, traditusque eſt Collegio Limano, ea cautione, ut dum cauſa omnis pateſceret, a Sacris conficiendis ſuſpenderetur. Biennio poſt tandem is, qui confictо crimine eum accuſaverat, tanquam Sacramentale confeſſionis ſigillum violaſſet, Villaricæ in Gvairania lethali morbo corripitur, in hoc, legitimis teſtibus, ſcripto dictoque, accuſationem retractavit, palam faſſus, acerbitate animi falſam calumniam innocentiſſimo Viro, aſſumptis in perjurium corruptis teſtibus adornaſſe, quod in ſe caſtigando, verborum acrimoniam, rigidus vitiorum cenſor aliquando adhibuiſſet. Codicillis Limam perlatis, Fidei Judices, Emmanueli Ortegæ victricem palmam detulere. In mentem mihi venit, a DEO Optimo Maximo eam ſycophantæ calumniam idcirco famæ permiſſam eſſe, ut Ortega de hæreſi, de ſuperſtitione, de dæmone toties victor, de calumnia pariter in urbe novi orbis principe, inter nobiliſſimos cives, ſumma ſui nominis gloria palam triumpharet.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Chirigvanarum expeditioni præficitur.

ILluſtrata ſic fama, Ortegam Chirigvanarum arduæ expeditioni Majores præfecere. Porro Chirigvanæ, populi ſunt, qui e Paraquarienſi & Paranenſi provincia commigrantes, in Peruviæ finibus conſederunt. Armis exercentur domi, atque inde tanquam ex Palæſtra, continuo procurſu vicina longinquaque loca in-

infeſtant, & fæde depopulantur. Ita refertur: ab iis ultra centum millia Indorum, per intervalla aut occiſa aut in ſervitutem abducta jam fuiſſe. Ad hanc provinciam perdomandam Chriſtoque ſubjugandam mille artes ſunt admotæ; nulla profecit. Nequicquam remedia Epiſcopus, nequicquam noſtri homines adhibuere. Prorex Peruviæ, Comes Montis Regalis, perſpecta Ortegæ virtute, Virum animo deſignavit, & ab Provinciali Rodericio Cabredo facile obtinuit, ut cum feroci illa gente experiri liceret. Sumptus ex ærario Regio itineri perneceſſarii erant compromiſſi, Socius Ortegæ additus eſt Hieronymus Villarnau, impiger ac dexterrimus Vir. Arduis montibus ſuperatis, qui Peruviam ab cætera America dividunt, ventum eſt ad fines Chirigvanarum; mitius quam ſperabatur, accepti ſunt. Lætus omine Ortega, ſpem ſibi fecerat plurimarum animarum. Verum proceſſu temporis mille mortis pericula ſucceſſerunt, fruſtra ſuſceptus eſt omnis labor, barbaris avitos mores pertinaci animo tuentibus. Biennio egit cum perverſa gente, exiguo animarum lucro. Et inutiles moræ, & recrudeſcentis vulneris dolor, receſſum ſuadebant; ergo pulvere pedum excuſſo Chuquiſacam ſe contulit.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Ejus mors & virtutes.

CHuquiſacæ ætatem ultimam exegit, inter Religioſæ pietatis exercitia, domi foriſque & opera, & conſilio utilis. Interea & tacita ſenectus, & ſuccedentes morbi hominem attriverunt, anno 1622. ſecundo Kal. Decemb. ad Superos abiit. Vir ſi virtutum decora, & res cum laude geſtas inſpicias, jure ſummis æquandus. Emmanuel Ortega etiamnum multarum eſt gloria provinciarum; Luſitaniæ, quæ eum de nobili ſanguine genuit. Braſiliæ, quæ ejus juventutem rexit, Tucumaniæ & Paraquariæ, quas Apoſtolicis ſudoribus rigavit. Peruviæ, quæ emerito ſeni triumphum adornavit. Nierembergius rerum ab eo geſtarum ignarus, breviſſimo encomio Societatis Heroem nuncupavit. Neque contra Societas parca fuit in cohoneſtando Viro, quando eidem ob ſingularem linguarum Indicarum peritiam, Apoſtolicaſque virtutes ad ſupremum quatuor Votorum gradum poteſtatem fecit mediocriter literato, quem tamen ipſe ex demiſſione animi recuſavit.

THO-

THOMAS FILDIUS
HIBERNUS.

INjuria Hibernorum facerem, ſi magnum Thomæ Fildii nomen præterirem. Quanquam vero acta Viri, quæ ad commendationem publicam geſſit, ac de Eccleſia Americana merita, in Salonii & Ortegæ vita complexi ſimus, juverit tamen natale ſolum, dotes virtutesque paucis meminiſſe. Quæ, ſi lector cum ſuperioribus conferat, collectaque reputet, tametſi breviter laudatum, Fildium magnis Heroibus accenſebit. Limovicum Hiberniæ urbs ei patria fuit. Pater Medicus probe Catholicus. Adoleſcens periculoſum ab hæreſi ſolum vertit, amore literarum Belgium, ex Belgio Romam petiit. Ab Everardo Mercuriano in Societatem admiſſus, ita ſe probavit, ut Tyro cum eſſet, primo ambitu aditum in Braſiliam ſit adeptus. Roma Uliſiponem profectus, toto itinere non niſi ſtipe corrogata victitavit. In Braſilia Joſephi Anchietæ itinerum comes, laborum Socius ac miraculorum ſpectator fuit. A quo in Tucumaniam navigare juſſus, ad Argentei fluminis oſtia ab impiis piratis capitur. Et quanquam cætera in communi diſcrimine verſaretur cum Sociis, ut in Ortega retuli; id tamen peculiare habuit; quod in eum ab Hibernis & Anglis hæreticis, primi inſultus fierent, eo præcipue nomine, quod Hibernus cum eſſet, nec Jeſuitam agere, nec Romana dogmata de orbe in orbem transferre reformidaret, ſummo gentis ſuæ, ſummo popularium probro; eamque ob cauſam prope moriendum Fildio fuit. Divina ope adjutus ac ſervatus, in Tucumaniam primum, tum in Paraquariam cum Salonio & Ortega ſe contulit, cum utroque labores & ærumnas ex æquo partitus, per Ordinis noſtri miniſteria, innumeris barbarorum millibus veritatem Evangelicæ legis patefecit. Datis acceptisque heroicis exemplis, in Apoſtolicorum atque Illuſtrium Virorum ordinem ſuis ſe meritis inſeruit. Virtutes, quæ in eo præcipue eluxerunt, hæ erant: Ardens animarum zelus, nullis adverſis, nullo labore fractus. Religioſæ diſciplinæ conſtans amor ac ſolicita cura. Precandi ſtudium aſſiduum. Virginitas nulla macula contacta, quod ipſe de ſe devexo jam ſenio ingenue fatebatur. Animi demiſſio tanta, ut quadraginta annis tacitus ſine querela perferret, nullo ſe eatenus ſtabili

gradu

gradu Societati devinctum. Id quod, cum in media ſemper barbarie verſaretur; omnium ordine Provincialium memoriam præteriit. Poſt quadraginta igitur tandem annos tria ſolennia Vota profiteri juſſus eſt. Abſtinentia demum ab oris & gulæ illecebris fuit mira, atque, ut omittam reliqua, ne hortorum quidem communes fructus, poma, uvas, & id genus alia, etiam per ſummos æſtus ad octogeſimum ætatis annum (quem lethalem habuit) deguſtavit unquam.

JOANNES ROMERUS MARCENENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus Vocatio & Religionis Tyrocinium.

Joannes Romerus Marcenæ in Bætica honeſta domo oriundus, dum Juri Canonico Oſunæ operam daret, itinere nocturno, ac perneceſſario bis Cœmeterium ingreſſus, bis Sacerdotis defuncti ſibique familiaris objectam umbram habuit, flammis circumfuſam, ignemque ore exſpirantem. Exanimatus ſpectaculo diu humi jacuit, donec revocata veluti vita ſibi redditus, domum repeteret. Receptus jam pavor adeo hominis animum corpuſque occupavit, ut in extremo vitæ diſcrimine eſſet. Ubi convaluit, ampliſſimis ſpebus valere juſſis, de Societate ineunda cogitavit. Cunctantem Millanus Garzia noſter cum pro concione diceret, atque ea verba explicaret: *Vulneraſti cor meum!* penitus impulit, ut anno ætatis vigeſimo primo, ſuperioris ſeculi octogeſimo, Ordini noſtro nomen daret. Primo ab ingreſſu die, dæmonem interpellatorem habuit, identidem ſuadentem: omitteret cœpta, nunquam ad exitum perducenda, inſiſteret viam, qua ingredi tot Juvenes ætate florentes videret, arduum eſſe toto vitæ curſu alienis imperiis mancipari, caſta lilia æterna vigilantia tueri. Uteretur copia ac fortunis cælitus datis, excelſam indolem, animique dotes honoribus deſtinatas, ultro aſcitis paupertatis ſordibus ne commacularet. In lectulo tunc Romerus erat, cum animum his inſidiis peti ſenſerat, improbæ molitionis authorem facile novit; qui, ut ne porro negotium faceſſeret, opportuniſſimum conſilium arripit: exilit ſtrato, DEO teſte ſancte vovet, ſua quidem voluntate Societatem Jesu nullo unquam tempore deſerturum. Hoc telo victus

receſſit hoſtis, neque deinceps reliqua vita fortiſſimum pugilem, ut propoſitum deſereret, aggredi eſt auſus.

Caput Secundum.

Quædam ſpecimina virtutum & ad Indias navigatio.

FErtur: ſingulis diebus, numerato quinquies centum vicibus DEO præſentem ſe ſtitiſſe. Delicias oderat, aſpera amabat. Virtutes complexus eſt arduas, nec unquam ab ſevera conſtantia remiſit, ſeu ſtudiis vacaret, ſeu ad populum verba faceret. Mexicanæ Societatis provinciæ Procurator perſpecta ejus virtute, multo conatu flectere volebat hominem, ut ſuæ provinciæ adjiceret animum; at Romerus aliud non repoſuit, quam ſe Indiarum deſiderio teneri, a Superioribus tempus locumque navigandi ſe indies præſtolari. Millanus Garcia creditus eſt cælitus didiciſſe, Joannem Romerum non Mexicanæ, verum Peruanæ expeditioni deſtinari, id ubi cognorat, lubens volensque cum Ferdinando Mendoza Sacerdote noſtro, Marchionis Canietenſis Peruviæ Proregis Fratre, vela ventis in Auſtralem Americam ferentibus permiſit. In itinere Proregis animum magnopere ſibi devinxit, quod ardentiſſimis ſermonibus, rude illud nautarum vulgus non tantum in officio contineret, verum etiam ad virtutem accenderet. Limæ ad populum tanta famæ celebratione dixit, ut Archiepiſcopus Torribius, nondum Sacerdotem audire vellet, auditoque Romero; ſingulari Ordinem noſtrum benevolentia complecti cœpit.

Caput Tertium.

Primi ejus in Tucumania labores.

JOannes Sebaſtianus Peruviæ Provincialis anno 1593. Sociorum ſubſidia miſerat in Tucumaniam, ac Paraquariam: Gaſparem Monrojum, Joannem Vianam, Marcellum Lorencanam Sacerdotes; Joannem Aquilam laicum, Europæos omnes. His cum poteſtate præfecit Joannem Romerum, qui, ut res depoſcebant, in varias provincias diſpertivit Socios, ipſe nullo loco fixus, more providi Ducis ubique promptus aderat, & utili conſilio, & fertili opera. Tucumaniæ Prætorem adeo ſibi conciliavit, ut Clariſſimi Viri humanitas, non modo benevole complecteretur hominem, verum etiam penum ſuam omnem commodis Romeri liberaliter offerret. Epiſcopus, æmulo cum Prætore ſtudio, virtutem Viri clam admirari, palam collaudare facta, & omnibus officiis colere perrexit. Romerus interea campum ardori nactus ampliſſimum: huc illuc difficillimis itineribus ferebatur, barbaras gen-

gentium linguas condidicit, ſæpe inter rebelles populos caput pro animarum ſalute in omne diſcrimen conjecit, multa barbarorum millia a vitiis ad virtutem traduxit, ac tandem in Paraquariam ſe intulit.

CAPUT QUARTUM.

In Paraquaria egregie laborat.

COllecta, quadringentarum leucarum itinere, non vulgari meſſe; Paraquarienſes Socios pro munere ſalutavit. Aſſumptionis urbem ingreſſus: Barſenam, Salonium, Lorencanam, reperit, quos inter diviſis officiis, univerſos Paraquariæ ordines, ipſe ex more Societatis, curandos ſuſcepit. Sacerdotes urbis, cum pene omnes in procinctu ad ſeditionem commovendam videret, miris artibus, exiguo tempore Vicario conciliavit. Publicas Juventutis offenſiones longe amovit, corruptos mores, amoresque, & jurandi conſuetudinem, per ſe, ac cenſores conſtitutos ſuſtulit. Præcipuum ſtudium atque operam Indis adhibuit. Quapropter in Gvairanicam linguam condiſcendam totus incubuit, eſtque tam feliciter conſecutus, ut cum Barſena in ſuburbana excurſione Gvairanice dicentem audiret, plenus admirationis ad ejus pedes provolveretur, ac ſumma veneratione oſculo ſtringeret. Adeo inclaruerant Romeri & Sociorum geſta, ut omnium oculos in ſe converterent, tantis incrementis in ſublime ferebatur Eccleſiæ dignitas, ut palam triumpharet virtus, erubeſcerent vitia, puderet barbaros vaniſſimæ ſuperſtitionis. Communis ardor erat populorum ad res divinas, at Templum deerat. Igitur Magiſtratus ac cives urbis Aſſumptionis, ære, opera, conſilio collatis, domum Cœli Domino moliri cœperunt, ac, ut videbatur, non levibus impenſis. Perſæpe Romerus interceſſerat, ac deprecabatur, ne ſplendorem affectarent, ut ne cives nimium attenuarent ærarium; uno ore reſponſum: nihil quæſtuoſius fieri poſſe, quam pro domo JESU pretioſiſſima quæque profundere. Anno 1595. eatenus aſſurrexerat, ut Numen Euchariſticum ad accendendam urbis pietatem induci poſſet, quod & Romeri opera factum ſolenni apparatu. Undique opportunum jam erat, ut Patres latius ſpargerent Evangelicam ſementem: igitur Salonius & Lorencana in Gvairaniam dimittuntur, Socios illic inſpecturi, & quoad opus eſſet, adjuturi. Romerus ad oppidum a Sancta Fide dictum ſecundo Paraquario & Parano devehitur. Ea in urbe ſeſquianno commoratus eſt, inter eadem Ordinis noſtri miniſteria, quibus nuper Paraquariæ Metropoli adjumento erat. Concurſus fiebant maximi, varietas linguarum tanta, ut interpretum auxilia fuerint advocanda. Fructus ſecuti ſpe ampliores, ſpem ulteriorem ſuſtentabat egregia civium voluntas; quæ literis ad Peruviæ Provincialem datis: inprimis Romerum collaudavit, tum perpetuam ſedem obtulit.

CAPUT QUINTUM.

Tucumaniam per multos annos excolit.

ANno 1597. ſeptem Socios per omnem Tucumaniam diſperſos collegit, ad Sacra imprimis Divi Ignatii otia, deinde, ut in commune conferrent; quæ potiſſimum provinciæ, Sociorum ope indigerent, quæ potiſſimum artes adverſus ſuperſtitionem valerent. Multa ſalubriter conſtituta ſunt, & quas inter ſe ſortiti ſunt terras, adierunt: Romerus ad Saltanenſes & Chucuitenſes abiit, biennio poſt Ripennium Indorum oppidum, quod ad flumen Dulce ſitum eſt, & infame erat ab execrandis ſceleribus, præter omnium ſpem tam feliciter correxit, ut deinceps pietatis exemplum haberetur. Ad eos deinde digreſſus, qui ultro citroque flumen accolunt, multis ſaluti fuit. Memoriæ proditur: ea excurſione Indum deſiderio expiandæ conſcientiæ ſimulque ex metu ne occaſio elaberetur, triduo inediam ſuſtinuiſſe. Alios flumina transnataſſe rigente hyeme. Malqueſiis pariter & Queſoſiis populis, Apoſtolicam operam commodavit. Atque ſic per Tucumaniam oberrando, plus terrarum cum Sociis emenſus eſt, quam tota Hiſpania contineatur, ac iſtud quidem cœleſti ſolatio, abundantiſſimo animarum lucro.

CAPUT SEXTUM.

Cordubæ ſedem ponit, atque eam regionem Apoſtolice percurrit.

ANno ſeculari 1600. recens e Peruvia venerant Joannes Darius, Ferdinandus Monrojus, Joannes Arcos Sacerdotes, Joannes Rodriques laicus. Lætus ſubſidio Romerus, reliquos diſperſit, Darium ac Rodriqueſium attinuit, ut ſecum in Cordubenſi agro deſudarent. Cordubam cum perveniſſent, præclara benevolentiæ ſigna urbs oſtentabat, atque ex animo; nam fundum & amplitudine ſua & ſitu opportunum, & domicilium, atque una adſitum Sacellum obtulit, quæ omnia ita capeſſiverat Romerus, ſi idem Peruviæ Provinciali videretur. Poſtquam in paratas ædes migratum eſt, ac conſtabilitæ domi res, laborque noſtrorum hominum in agro Domini civibus probaretur quam maxime; de templo condendo cogitarunt. Stetit illud non longo temporis interjectu apparatiſſime, tanta fuit alacritas civium atque ſolertia domi; foris tantis ſucceſſibus decurrebant miniſteria Societatis, ut millia ad baptismum convolarent, vaga matrimonia ſtabilirentur omnia, ſummi concurſus fierent ad pœnitentiæ tribunal. Cujus ut conſtans copia fieret tum urbi, tum accolis, Darium Romerus novæ ſedi præfecit. Ad arduam ipſe Diaguitarum expeditionem ſe accingit.

CAPUT SEPTIMUM.

Apud Diaguitas multos baptizat cum Monrojo.

DIaguitæ Calchaquinorum populi, ducentis leucis a Corduba abſunt, gens barbara ac ferox. Anno 1601. ejus gentis legati ad Romerum venerunt cum nuncio: Societatem JESU ſibi fama notam, ac eo nomine charam eſſe, quod Indos a venatu abſtineret, adirent tuto ſuam vallem, non male receptum iri. Romerus inclinabat, id unum retrahebat hominem, quod & linguæ & locorum ignarus foret. Quod ubi Joannes Abregus Tucumaniæ nuper Prætoris filius cognorat; Romerum adit: ſe in viæ ducem, & domeſticos Kakanæ linguæ interpretes offert. Romerus igitur cum Gaſpare Monrojo, & illuſtri illo comitatu cruce armatus, genti appropinquat, proſpero ſane eventu: namque in primo aditu octoginta partim ethnici, partim Chriſtiana nomina ſortiti, in Chriſti legem jurarunt. Pagus reliquus transactis cum Joanne Abrego conditionibus, admiſſo baptismo in fidem, clientelamque Hiſpanorum lubens ſe dedit. Progreſſi, proximum oppidulum ad deditionem ſolicitant, nemine refragante, omnes Chriſtiana ſacra, & item legatorum leges amplexi ſunt. Sparſa deditionis amicæ fama, quidquid circum pagorum fuit, iisdem Sacris, iisdem legibus, ut ſibi vivere liceret, ultro flagitavit. Baptismo igitur initiati ſunt, ac quoad fieri poterat, Chriſtianis legibus inſtituti.

CAPUT OCTAVUM.

Numeroſum ejus gentis oppidum ad Chriſti partes trahit.

PRæclaras has curas interpellarant nuncii, qui retulerunt, non longe admodum abeſſe oppidum, copioſum, atque in Patrum voluntates pronum; maturarent iter, dum una omnium mens eſſet, & pacata a bello omnia. Eo igitur ambo contendunt, mille & amplius capita erant Diaguitarum. Romerus accommodata oratione blandiſſime invitavit ad perennia cœli gaudia; hæc porro citra dubium conſecuturos, ſi Chriſti fidem amplexi, vitam moresque exigerent ad diſciplinam e cœlo latam; velle ſe aſſeverabant. Mane id erat, ſobrio adhucdum oppido; inclinante ad veſperam ſole, longe alia rerum facies. Sive vino largiter poto, ſeu præſtigiis corrupti, tumultus ciebant, concrepant arma, concurritur, demum Primores loci magno comitatu, atque eo cultu, quo ad cædes accinguntur, ad Socios irruunt. Prior Romerus intrepide alloquitur, ac per interpretem monet: meminiſſent ipſi, quam præclare de ſua, liberorumque ſalute mane cogitaſſent, ne prætermitterent bene gerendæ rei occaſionem, ſine Chriſti

fide

fide ac lege æternum perituros. Patres non hoſtili odio, ſed animarum amore per immenſa terrarum ſpatia ad ipſos veniſſe, atque ex propinquo quidem, invitatos. Ferociter exceperat hæc unus e barbaris ac pro omnibus reſpondit: ſe denique non aliter atque inſtituto Majorum, ac moribus vivere velle. Hæc effatus cum omni comitatu e conſpectu Sociorum ſe eripit. Incertum erat Patribus, quo res evaderet, periculum ſuberat manifeſtum. Quare ad preces converſi: ſummi Numinis opem implorant. Ratas habuit divina bonitas; namque ubi illuxerat inſequens dies, & heſternum vinum digeſſiſſent barbari, confertim aderant, deprecati Patres; pocula accuſabant. Certatim & ſe & infantes omnes baptizandos dederant; ut paucorum dierum ſpatio ultra mille ſacris undis abluerentur, & trecenta conjugum paria legitimi vincula matrimonii depoſcerent.

Caput Nonum.

Quatuor Pagorum converſio.

Fama rei feliciter geſtæ perfertur interea ad quaternos ethnicorum pagos; valuitque ad imitationem exemplum, ultro accerſiverunt Patres cum nuncio: ſi venirent, nihilo ſe ſegniores futuros ad imperata facienda, in ſignum obſequii comas ſe poſituros. Cum certiores redditi fuiſſent de adventu Sociorum, municipes locorum obviam effuſi ad leucas tres, & amoris & honoris ſignificatione vias repurgant, & ingenti lætitia hoſpites accipiunt. Placide ibant animarum negotia, inſtructi ſunt, expiati ſunt quatuor ordine pagi. Atque ut futuræ conſtantiæ luculentum ſpecimen darent, inſpectante Romero, uno omnes impetu in fanum Solis ruunt (Solem gens adorabat) impia anathemata refigunt, comminuunt omnia, ac ludibrio habent; demum inter hilares juventutis jocos flammis concremant. Cruces ſubrogatæ a Patribus in ſingulis oppidis, frendente orco; quod ubi ſuperſtitio late dominata eſſet, ſalutis trophæum triumpharet.

Caput Decimum.

Cum eodem Socio vita periclitatur.

Non diu compreſſit iram dæmon graviſſima in Socios concitata procella. Cum etenim ſub idem tempus privati quidam homines, præter ordinem Diaguitis, neſcio quid ſervitii ac oneris imponerent, ita gens exaſperata eſt, ut in Romeri ac Monroji caput conſpiraret, nonnullis palam vociferantibus, communes eſſe Sociorum cum cæteris Europæis rationes, id eos omni conſiliorum

& artium ope moliri, ut omnem eum orbem ſub triſtiſſimum jugum mittant. Certa cædes erat, ni ſenex barbarus, magnæ apud populares ſuos authoritatis vim inhibuiſſet, etiam, atque etiam commonefaciens ferocientes: ne quid temere auderent, Socios JESU Hiſpanis eſſe chariſſimos, atque in pretio, quorum necem æterno bello vindicarent. Profuit ſenis authoritas, non tantum ad reprimendum impetum, verum ad exprimendam quoque ſubiti furoris pœnitentiam. Quare poſitis armis, Socios deprecantur, ut conceptam ex amore libertatis ferociam excuſarent ipſi; libertate nihil ſe in terris habere pretioſius. Socii contra profeſſi ſunt, nihil ſe de intentato ſervitio cognoviſſe, daturosque operam, ne cui recepta Religio fraudi ſit. Quoniam porro id genus pericula fertilia eſſe ſolent, unum enim ex alio naſcitur; tacite ſe ſubduxere Patres ante, quam graviora imminerent.

Vix pedem retulerant ex infido ſolo, monentur: ab alterius oppidi municipibus, eadem de cauſa ad necem ſe quæri, maximis igitur itineribus properabant, ut crudeles manus evaderent. Dum ſic feſtinant, fugamque præcipitant, adeſt barbarus turbato vultu, voce anhela, inclamat Patres, rogatque, ut ad interiorem vallem iter relegerent, inde ſe venire, miſſum ab Caſiquio loci Domino, eum cum morte luctari, baptiſmum ſummis votis flagitare. Quid agerent? impellebat zelus, referebat metus. Prævaluit unius animæ ſalus corporum periculis. Ergo innuunt barbaro, duceret modo. Itum eſt per abrupta montium, ac ſedecim leucis confectis, in tempore aderant Patres, Caſiquium jam jam moriturum baptiſmatis fonte luſtrant cum bis centum præterea infantibus, quos omnes lues tum graſſata ſuſtulit, ac Cœlitibus indubie miſcuit. Dum his rebus Socii diſtinentur, furioſa phalanx barbarorum prætergreſſa eſt, diuque vagata; necquicquam quæſitis Patribus domum rediit. Romerus cum ſocio per avia, deviaque e valle evaſit, atque ſic clementiſſimum Numen periculum periculo avertit.

Caput Undecimum.

Reliqua ejus acta usque ad fundationem provinciæ Paraquariæ.

EX hac expeditione redux Romerus, Tucumaniæ Epiſcopum per literas monet, ut novello Neophytorum gregi de idoneo Paſtore provideret; nemo repertus eſt, qui ſe Diaguitarum furori objicere vellet. Ipſe cum Sociis ad disjectos, vagosque populos digreſſus, variis adjumento fuit. Saltæ in Tucumania, Stephanum Paës Peruanæ provinciæ Viſitatorem convenit, ſubſidia impetravit. Ex præſcripto Paëſii, Socios unde unde collegit, ut ſolennibus exercitiis D. Ignatii animos ſuos exacuerent; qui mos deinde etiam in terris barbaris tenuit. A Sacro otio ad animarum negotia rurſum divertit.

Ad

Ad portum Boni aëris plano terrarum tractu, centum viginti leucarum itinere profectus, magno concurſu barbarorum auditus eſt. Ut ea propter Societatem Epiſcopus Magnetem diceret, quæ ferrum ferreosque homines traheret, ac ſibi copularet. Poſterioribus annis, usque dum Societas nova provincia, Peruana nempe augeretur; in eodem animarum ſtudio verſatum fuiſſe Romerum accepimus quam utiliſſime, in tanta rerum inopia, ut beate tum ſibi eſſe diceret, cum rete penſile pro lecto, turcicum granum pro cibo, goſſipium pro veſte ſuppeteret.

CAPUT DUODECIMUM.

Acta ejus in Procuratione Romana.

POſteaquam per Paraquariam & Tucumaniam Sociis, quatuordecim annis præfuiſſet; Paraquarienſi provincia ad annum 1607. jam rite inſtituta, Cordubæ Tyrones rexit. Congregatis dein in Chileno regno Patribus, Procurator Romanus renunciatus eſt. Inde reverſus, in portu Boni aëris ſedem Societati poſuit. Itinere Romano ab Rege Catholico impetravit; ut diploma munificum renovaretur, vi cujus Socii omnes inter Indos degentes ex ærario Regio alerentur. Tranſactis Romæ rebus, Ulyſſippone exſcenderat cum magno Sociorum ſubſidio, graviter afflicta valetudine. Quum nihilominus progredi vellet, atque tum medici, tum Luſitani Patres majorem in modum hortarentur, ne ſe mari crederet, neve vitam certiſſimo periculo objiceret, vices alteri delegaret, valetudinem in Europa curaret denique; reſpondit: jacturam ſui levem fore, grande contra provinciæ vulnus, ſi ſuo exemplo, deinceps & alii arrepta quavis occaſione, Indis neglectis, in ſinu Europæ ſegniter ſe confoverent. Multo ſe lubentiſſime propter amorem atque commoda provinciæ ſuæ, omnia pericula aditurum.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Reliqua ejus munia & mors.

PIum ac conſtans Viri propoſitum ipſa *fortuna* adjuvit. Ex Europa in Americam, Ulyſſipone in portum Boni aëris, & diligenti remo & ventis ſecundis uſus intravit, nuperque poſitæ ſedi præfuit, anno inſequente Collegio Eſterenſi, tum Collegio S. Jacobi in Chileno regno, ſubinde in urbe Conceptionis Collegio atque annexis domiciliis. Vice-Provinciæ Chilenſis gubernacula primus tractavit triennio integro. Munus regendæ provinciæ Paraquarienſis ſibi delatum deprecabatur conſtanter, ſenium atque imbecillitatem obtendens. Impetrata igitur a publicis muniis quiete, ad mortem pie oppeten-

ten-

tendam, quæ poſt ſemeſtre ſpatium conſecuta eſt, ſe comparavit. Pauló ante Viri mortem, fæmina cœli favoribus inclyta, horrificos canum latratus audiens, didicit ab Angelo, furores eſſe dæmonum, gloriam cujusdam e noſtris mox in cœlis coronandi invidentium. Dominica Palmarum præſagio quodam dixiſſe videtur, ſe ultra Paſchatis ferias non victurum, namque ipſo eo die, anno 1629. vitam finivit. Cum morte prope colluctatus, unum e Senatoribus Regiis monuit, ſua colligeret, brevi moriturum, eventus fidem comprobavit; namque poſt trimeſtre tempus Romerum ſecutus eſt. Nondum pro funere elatus erat Romerus, cum in veſte Sacerdotali ſpectabilem ſe dedit Matronæ, a vitæ probitate palam notæ, dubitantique, num piacularibus flammis attineretur; confirmate dixit, ſe ipſis cœli deliciis perfrui, atque cum hæc dixiſſet, mira quadam luce circumfuſus videri deſiit. Cadaver vibicibus informe fuit, quod ferreas catenulas & flagra etiam in ſenio frequentaret. Dictitare ſolitus in vita, ſe non vereri; ut ob indulgentius tractatum corpus, in altera vita pœnas det. Ex S. Dominicanorum Ordine graviſſimus Vir palam aſſeruit: *Romero amiſſo, non tantum Societatis JESU in Chileno regno, verum omnium Religionum columnam cecidiſſe.* Alius quiſpiam: *Neminem unquam Romero utiliorem in Chilenſe regnum adveniſſe.* Vulgata Viri morte, templorum omnium æra lugubriter inſonuerunt. Humeris Senatorum elatus eſt. Epiſcopus ſolenniter ad aram operari adorſus, obortis lacrymis & ſingultibus, cantum proſequi non potuit; interciſa igitur, ac ſubmiſſa voce reliquum Sacrificium abſolvit. Veſtimenta, cæterasque ejus exuvias vulgus diripuit ad privatum cultum. Corpore Romerus erat procero, vultu ſevero, nec decoro. In domeſtico regimine ad rigorem deflexiſſe videbatur.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De cæteris ejus exercitationibus & virtutibus.

VIta virtutesque Viri ejusmodi fuere, ut Illuſtrium Virorum ordini, quem perſequimur, ſplendor ac dignitas quædam ab Romero accedat. Orator erat robuſtus ac vehemens, longe a picto ſermonis cultu. Hieronymus Florentia, cum dicentem Madriti audiret, omnibus imitandum propoſuit. In Aſſumptionis urbe & alibi propter ſuas ipſe lacrymas, & coortum Auditorum planctum, medium ſermonem abrumpere debuit, populo mærorem per compita & plateas ſaluberrime proſequente. Multa præter ordinem impetraſſe fuſis ad DEUM precibus creditus eſt: ignem e vicinis campis agro imminentem oratione ſtitit. In immenſis ſolitudinibus facile ad centum leucas porrectis, aberrans a Sociis, Superum auxilio, in viam reductus eſt. Juvenem in agone ab omni confeſſione noxarum abhorrentem, his verbis:

verbis: *Sanctus DEUS, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere ei*, ad pœnitentiam flexit. Pleraſque regni Chilenſis lites ſua authoritate compoſuit. Regius Senator a morte Patris Romeri geminari judiciorum laborem in ampliſſimo ordine pronunciavit, quod tanti Viri conſiliis deſtitueretur. E Tucumania in Chilenum regnum profectus, a Marina Quiros nobili Matrona pauxillum olei ſtipis nomine rogavit, illa ad fundum everſo vaſe, quod habuit, elargita eſt. Poſt pauculos dies reviſens penum, vas illud non modo plenum, verum etiam redundans probatiſſimo oleo reperit; ut tota circum terra a liquore reſtagnaret. Neque hic ſtitit prodigium; nam præterea oleum hoc triennii uſibus non parce admenſum, ſuffecit. Exacto triennio illud ipſum vas alio oleo repleverat pia Matrona, ut ſuffixam Divo Antonio lampadem nutriret; mirum dictu! quinque ipſis annis non defecit. In Chilenſis regni urbe principe, Hiſpanæ gentis una, maritum, Tuſcum profectum, diu abſentem, precibus Romeri commendarat; Romerus memorem ſe apud DEUM futurum receperat. Interea Tuſci ille blandæ pellici, obſeratus operam dabat, uxorem liberoſque oblitus. Adeſt repente Romerus, atque intus in ergaſtulo præſentem ſe ſiſtit, quanquam centenis & amplius leucis abjunctus. Viſo Viro, adulter impelli animum ſubito ſenſit ad patrios lares reviſendos, pellex ſocia pariter, re omni cognita, prioris vitæ inſtitutum abjecit, ac triduo poſt ſacro velo ſuſcepto, in monaſterium Virginum ſe abdidit. Eidem homini iter in patriam relegenti, ſe rurſus ſpectandum præbuit, uxoris reviſendæ deſiderium ingerens; quo, cum incolumis perveniſſet, effigiem Romeri jam vita functi expingi curavit, quam beneficii memor tota deinceps vita coluit. In agro Cordubenſi calvaria hominis defuncti, ignea ſpecie, & currules equos, & ſeſſorem, aſſidens diu infeſtaverat, nulla arte abigi pertinax larva poterat, donec Romerus ex uſu Eccleſiæ ſacris carminibus, quidquid id monſtri erat, penitus abigeret. Eodem remedio lemures diſpulit ab domo Matronæ cujuſdam. Joannes Aroſta in Eccleſia Eſterenſi, choro Præfectus, quanquam Societati parum æquus eſſet, legitimo inſtrumento teſtimonium fecit, Joannem Romerum in Templo a ſe conſpectum vultu reſplendente, ac radios evibrante; demum mulier quæpiam bis acuto lateris dolore, & ſemel coarctati pectoris malo, Romeri patrocinio eſt liberata.

GASPAR MONROJUS VALLISOLETANUS.

Caput Primum.

De vitæ primordiis.

ANte conditam, inſtitutamque Paraquarienſem provinciam, duo per Tucumaniam Monroji erant, Apoſtolus uterque. Ferdinandus alter, qui Tucumanicæ expeditionis perbreve tempus, laborum magnitudine & rerum geſtarum gloria illuſtravit. Alter Gaſpar Monrojus diuturnus ejus provinciæ incola & cultor. Illum Lucilli in Toletana Diœceſi natum Nierembergius inter ſuos Heroes refert. Narrant Monrojum hunc Lucillanum, cum aliquando de genibus coronam Marianam volveret, a fulmine velut conteſtum ac clauſum, ope SS. Virginis incolumem ſervatum. Ac alias a Chriſto Servatore ſibi conſpicuo didiciſſe: chariſſimum orandi genus DEO eſſe, grates æterno Patri referre pro collato mortalibus pane cœleſti in Ven. Sacramento. Inclaruit & aliis cœleſtibus favoribus, quos enarrare hoc loco, non eſt mei inſtituti, qui Paraquariæ limites mihi præſtituerim. Neque ambigo, Peruanos, apud quos plerumque ætatis exegit, id pro dignitate facturos. Ad Gaſparis igitur Monroji vitam inter nos actam narrationem refero, ea prætergreſſurus, quæ in Romero, communi utriusque laude copioſe dixi. Gaſpar Monrojus Valliſoleti natus eſt. Anno 1582. Societati nomen dedit. Ad Indos undecimo poſt anno navigavit Procuratore Didaco Zuniga. Non longe poſt cum Joanne Romero ab Sebaſtiano Parricio in Tucumaniam miſſus Apoſtolici Viri nomen, ut factis meruit, ita fama eſt conſecutus.

Caput Secundum.

Ad Omaguacas proficiſcitur.

OMaguacæ, in Tucumaniæ finibus degunt, qua parte hæc Peruviæ confinis eſt. Occupata ab Hiſpanis provincia in ſervitutem ipſi ſe dabant, ac Chriſti fidem receperant. A triginta fere annis jugum pertæſi, ut penitus abjicerent; & Sacerdotes, & quos nacti erant Hiſpanos, uno impetu contrucidarunt. Ex

illo tempore cædibus ac latrociniis infames, viam Peruvianam, ac ſparſas undique villas, atque oppida infeſtant. Nullus ad ferociſſimam gentem aditus, ita ſe crudelitate ſepiunt. Admoverant & artem, & vim Hiſpani, fruſtra erant omnia. Ethnici pariter ac Chriſtiani, & connubiis & moribus permixti, veteri ſua lege vivunt, id unum cavent, ne rurſum in Europæorum ſervitutem relabantur, ac perfidiæ pœnas dependant. Gaſpar Monrojus pulchræ mortis avidus, ſpe cœlo fixa tentandam rem putavit. Accingitur ad iter cum Joanne Toletano laico, ſola cruce armatus; vehementer diſſuadebant, veluti temerarium factum Hiſpani, ibat tamen, ac præter ſpem a barbaris vultu, verbisque benignis eſt acceptus.

CAPUT TERTIUM.

Omaguacarum multos baptismo abluit.

DIvini ſermonis vi, fera pectora ita edomuerat, ut paucorum dierum intervallo quinque ſe oppida dederent, & erudiri, & Chriſtiana Sacra flagitarent. Primo congreſſu trecenti baptismum impetrarunt, octodecim Chriſtianorum paria legitimum conjugium inivere. Neque in procurſu pii operis portenta defuerunt: ethnica mulier nuper Chriſtianis ſacris initiata, ad condictum baptizandis diem ac locum a Monrojo invitata, venire recuſavit, ac propterea in agrum egreſſa repente diriguit. Infans clam in latebras abditus a parentibus, ut ne ſacro fonte lavaretur, ſubito vitæ curriculum confecit. Cœli minis perterriti barbari; ut jam iras ipſas pœnasque præverterent, turmatim ad Monrojum ruebant *baptiſmum, baptiſmum* inclamantes. Animadverſum quoque, iis temporibus, quibus Catechumeni ſolenni cerimonia ſacro fonte tingebantur, canes præter morem in forum conveniſſe, ac dirum in modum latraſſe, ut nihil dubitaretur, dæmonum rabiem fuiſſe, ab invidia exſtimulatam.

CAPUT QUARTUM.

Piltipiconem ſibi conciliat.

PIltipico, Omaguacarum gentis ferociſſimus latro obſtabat vaſtioribus Monroji conſiliis. Interiores, ac maxime reductas populi regiones bellua hæc habitabat, ac tandem procedente tempore cuidam oppido aſſueverat. A triginta annis omni ſcelere obſtrictus; & Sacerdotum ſanguine manus imbuere, & concremare Divorum Templa, evertere cruces, oppida ac villas populari, adoriri ex inſidiis viatores, crumenam ac viſcera ipſa ferro ſcrutari, odio præcipue Chriſtiani nominis in more habuit. Et crudeliter & impune graſſaba-

ſabatur, & quod mirere, homo quondam baptismo initiatus. Tucumaniæ Prætor querelarum ſatur, undique èniti cœpit, ut monſtrum hoc aut procul amoliri, aut obſtringere ſibi poſſet. Blanditias adhibere, muneribus colere, inſidiis diſpoſitis circumvenire, minis terrere, armorum vi frangere identidem tentabat; omnia nefarius ille riſu excepit, eluſitque. Monrojus ipſe dubius animi erat, quid ageret, neque perferre poterat obſtrui Evangelio viam, neque congredi cum perdito homine tutum. Repente cœlo confiſa magnanimitas invaſit Virum. Socium ſe ſequi jubet, certus aut pro fide vitam ponere, aut oppoſita feritati fortitudine, ſanguinarii illius animum quoquomodo emollire. Recta ad Piltipiconem contendit; ſenſerat ille venientem Patrem, & ſuperbo faſtu excipit; contra Monrojus erecto præſentique animo, gravi oratione occupat, & per omnia ſua ſcelera verſatum aliquandiu ſuſpenſum tenet, ac contemplatur. Animadvertit tyrannum poſito ſupercilio ſenſim miteſcere, atque ad humanitatem redire. Quid plura? cucurbitam viatoriam deprompſit, Monrojo propinavit; qui quamvis ab ea potione abhorreret, quod ſciret vinum confectum eſſe e turcico tritico, vetularum dentibus commolito; reluctante ſtomacho tamen deguſtavit, tanta approbatione hominis, ut illico Sacerdoti ſe permittens, pleroſque oppidanos ſuos, Chriſtiana doctrina, & Sacramentis initiandos coram ſtiterit.

CAPUT QUINTUM.

Per Omaguacarum regionem excurrit, & pacem ſancit.

COnciliato hunc in modum Piltipicone, commeatum ad ulteriores Omaguacarum populos & petit, & impetrat; apud quos magno cum fructu ſemen verbi divini ſpargit. Redux Piltipiconem rurſum convenit, paciſque optatæ conditiones utrinque proponuntur. Qua de re cum referretur ad Joannem Velaſcum Ramirez Tucumaniæ Prætorem, lætitia exultans, datis ad Gaſparem Monrojum honorariis literis, legitima confirmatæ pacis inſtrumenta, ſua, & Urbani Magiſtratus authoritate firmata miſit, rogans ut illa publico nomine Piltipiconi explicaret. Iſthoc negotio ex animi ſententia confecto, finitimæ Hiſpanorum urbes, gratulationis ſigna conſpicua ediderunt, pacem, vitam, fortunas, Templa, urbes, conjuges ac liberos, omnia denique Gaſpari Monrojo referentes in acceptis.

CA-

Caput Sextum.

Cum Petro Agnaſco rurſum Omaguacas inviſit.

PEtrus Agnaſcus Majorum imperio, Socius Monrojo datur anno 1596. quod Meſſis ſub manu creſceret. Auctus opera Monrojus, rurſum ad Omaguacas inviſit. Conſtat utriusque ſudoribus & laboribus magnam barbarorum multitudinem partim recens Chriſti partibus additam, partim reconciliatam. Memoriæ proditum eſt, & hic transverſum incurriſſe Piltipiconem, ac conatus Patrum inhibuiſſe, quo minus ſuperſtitio omnis iis terris evaneſceret. Pacem is cum Hiſpanis omnino ſancte coluit, cum DEO tamen amicitiam redintegrare priſtinæ libertatis dulcedine ineſcatus abnuit. Didacus Telujus Omaguacarum potentiſſimus, perinde priſtina gentis inſtituta non ſegnis defenſabat. In hæc exempla ibant Primores populi, & reliquum vulgus trahebant.

Caput Septimum.

Acta Monroji in Cucuiſenſi urbe.

INter ardua hæc Societatis miniſteria labefactatus, ac quod etiam febriles ardores ſe inſinuarent; in Cucuiſenſem urbem Omaguacis finitimam ſeceſſit cum Petro Agnaſco. Dum valetudini operam dat, ac uterque moratur, ſermo crebreſcit: Omaguacas (Piltipicone & Telujo impulſoribus) cum Chiriguano, bellicoſo populo fœdus iniviſſe, ut junctis viribus Cucuiſenſem urbem invaderent. Quanquam vero ea fama ſine idoneis authoribus ſpargeretur, commovit tamen Hiſpanos, ut & Piltipiconem & Telujum e ſua valle protraherent, ac vinculis utrumque onerarent. Immiſſa pariter militum cohorte, Prætoris juſſu captus eſt Caſiquius alter, homo potens & turbulentus. Poſterior hic Caſiquius, mox ab adventu, Chriſtiana Sacra depopoſcit, eſtque a Patribus ſpondente pro eo Tucumaniæ Prætore ad baptismum admiſſus. Cerimoniæ inter civium ac militum hilaria ſunt peractæ. Non longe poſt ſeptuaginta Omaguacæ, dum ex amore ac deſiderio Heros ſuos in urbe requirerent, Chriſto nomina dederunt. Demum Piltipico ille tot parricidiorum reus, lethali morbo proſtratus, divina aſpirante gratia, ante mortem per Gaſparem Monrojum DEO eſt reconciliatus. Omaguacarum gente eatenus ſubacta, Socii in diverſa abiere, omni Apoſtolicæ exercitationis genere in id intenti, ut quamplurimos Eccleſiæ aggregarent. Expeditio hæc cum ſummo fructu producta erat ad annum usque 1607.

PETRUS AGNASCUS PERVANUS.

IN Petri Agnaſci vita ac geſtis compendia rerum ſequar, propterea quod immortalia Viri merita jam in Barſena ac Monrojo commemorata ſint, quibuscum per univerſam Tucumaniam communis ei laborum campus, par palæſtra, eadem diſcrimina fuere, atque idem laudum cumulus. Quæ porro alibi privatus geſſit, per modeſtiam hominis omnia ſua reticentis prodita non ſunt. Eam poſt ſe famam reliquit, quæ etiamnum cum laude viget, neminem ullum, inter omnes Ordinis noſtri homines, quos Tucumania quidem viderit; vitæ ſanctitate Petro Agnaſco clariorem extitiſſe.

CLariſſima domo ortus eſt. Limanum Alegambe, Arequipenſem Joannes Paſtor voluit, nos cum Peruanum dicimus, neutri adverſamur. Antequam vitam Religioſam auſpicaretur, adoleſcentulus adhuc, cum æger eſſet, cœlorum Reginam auguſta ſpecie vidit, quæ clientem complexa conſanavit, ac monuit, ut ſub Filii ſui ſignis militaret. Memoriam beneficii recolebat ſæpiſſime, atque toties viva Virginis imago mente recepta, pariter rediit, eſtque ea contemplatio mira ſemper ſuavitate peracta. Si quando in juveniles errores animadvertere vellent parentes, illico ad Divam Virginem recurrit, ac certum ſemper invenit patrocinium. Cum de voluntario penſo Mariano quidpiam negligeret, adverſitatula quapiam ea ſe die ſenſit caſtigari. Inceſſerat eum ardor, interdum ſubitus, aliquid pro Chriſto patiendi; quos primos nactus eſt, vernas & mancipia rogitabat, quin præmiis provocabat, ut alapis ad acerbum ſenſum cæderetur. Præ aliis animi dotibus, tres maxime eminuerunt: Oratio jugis & ardens unicum in omni otiolo negotium ac ſolatium. Obedientia integerrima; ut ſi quid aliud innuerent Majores, non dubitaret ſomnum, contemplationem, Sacrificium omittere. Animi demiſſio; ut negligi, neſciri, ſperni vellet. Ægris diu noctuque accubare, cibos in os ingerere. Indorum ulcera tractare, vermes detergere, ſaniem plenis patellis ſorbere, plagas ore fovere, ad exemplum magni Xaverii ſolebat. Blandus erat erga omnes, Sociorum labores domi foriſque relevabat, atque etiam pio dolo præverterat; ſe arcte contenteque habuit, flagellis quotidie excruciabat. Pericula contempſit, tigridem aliquando catelli inſtar blandientem mulcere manu viſus eſt. Novem barbarorum linguis locutum fuiſſe Alegambe perhibet. Quot porro, earum præſidio

totis

totis quindecim annis apud Tucumanos barbarorum ad ſuaviſſimum Chriſti jugum adduxerit? incertum. Cordubæ Tucumaniæ anno milleſimo ſexcenteſimo quinto nona Aprilis, communi omnium luctu elatus eſt. Joannes Romerus per Agnaſcum invocato JESU nomine ex ardenti febre convaluit. Ad ejus ſepulchrum graves Viri preces fundere viſi ſunt. Alegambe ob barbaricarum linguarum monumenta, Agnaſcum inter Scriptores Societatis, & ob heroica facta Nierembergius inter Illuſtres Viros collocat.

LUDOVICUS VALDIVIA
GRANATENSIS.

CAPUT PRIMUM.
De ejus dotibus.

ETiamnum inter arbitros lis eſt, quo in genere plurimum Ludovicus Valdivia excelluerit. Nam & eloquentiæ laude floruiſſe accepimus, ut eum Hiſpaniarum Rex mirari ſoleret. Et Hiſtoriam ſuæ provinciæ Viros Illuſtres complexam magno ſermonis cultu conſcripſit, & reconditas de DEO ſcientias Limana in urbe cum clariſſima nominis fama docuit. Et in conſcientiæ quæſtionibus atque omni aſcetica diſciplina, tanta fuit Viri doctrina atque authoritas, ut in quam partem inclinaret, conſtaret ſententia. Et arte regendi tantam approbationem tulit, ut multis annis, non niſi gubernacula commutaret. Chilenſes noſtros primum rexit, deinceps varia Collegia, ac minores ſedes, plurium ipſe domiciliorum author & inſtitutor. Tantis ornamentis præditus cum eſſet, Academiarum lucem & Præfecturas fugit, ac barbarorum commodis ſe addixit.

CAPUT SECUNDUM.
Primi in Chileno regno labores.

ANno 1593. Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis voluntate Chilenum regnum adiit Societas. E primis fuit Ludovicus Valdivia, qui cum e littore Peruanæ ſolveret, adeo fœda tempeſtate jactatus eſt, ut nautæ nuſquam ſe alias perículoſius navigaſſe affirmarent. Votis conceptis placato cœlo, tandem Chileni

regni

regni non ignobilem portum tenuit. Excenſione cum Sociis facta; Coquimum urbem, duabus leucis a portu diſtantem, nudis pedibus petiit, vota pro diſcuſſa tempeſtate in æde PP. Franciſcanorum ſoluturus. Civium bona gratia, ampla domus Patribus habitanda obtigit, ſed in omnes incolas ab lemuribus infeſtiſſima. Ac prima quidem nocte tanti fragores erant, ut omnia verti evertique viderentur. Religione Patrum ac precibus ita expiata ſunt omnia, ac repreſſi turbulenti ſpiritus, ut jam ſequenti nocte & deinceps nihil usquam audiretur. Coquimo ad S. Jacobi urbem Chileni regni caput, Valdivia contendit, ſexaginta leucarum itinere. In Peripato concluſus Philoſophiam explicare coactus eſt, magno præter noſtros, Auditorum concurſu & publica utilitate. Illud præterea cives in admirationem rapuit, quod cum a literis parum otii Viro eſſet, tamen implicatiſſimam Indorum linguam, intra quindecim dies ita perdidicerit, ut aures pœnitentibus ſine interprete præberet, ac menſe vix exacto, publice ad concionem diceret. Adjecit & alteram Guarporum linguam a priore multum diſcrepantem pari celeritate, adjuvante ingenium, & memoriæ fidem animarum ardore. His armis inſtructus, dexterrime regebat barbarorum animos, ac tam placide, ut deſperatione exagitatiſſimi, cupide de conſcientiis ſuis ad eum referrent. Evoluto his in laboribus anno uno, ad Præfecturam Collegii Chileni transfertur, in qua adeo ſe Sociosque commendarat, ut paſſim propoſitis ſedibus, per regnum Chilenſe expeterentur. Verum conſilia hæc coortus bellorum turbo intervertit. Bello fervente, utilis fuit Eccleſiæ, rudium aſſidua inſtitutione; utilis Indis, quos cum periculo capitis ſtrenue defendit; quam ob rem celebratiſſimum toto regno Valdiviæ nomen fuit. Annis aliquot hæc acta ſunt; dum in Peruviam revocatus, in Limana urbe Theologiam publice docere juberetur.

Caput Tertium.

Rebellantes Chilenos componit.

ALphonſus Garzia Ramon, Præturam Chilenſem adeptus cum eſſet, jamque iter pararet Limam, interpoſita Pro-Regis authoritate ab Societatis Provinciali Ludovicum Valdiviam itineri Socium flagitat, ea ſpe, ut Viri authoritate atque artibus, ſeditioſam gentem componat. Annuit perlibenter voto Pro-Regis, provinciæ Præſes. Ergo Valdivia faceſſere juſſis Theologiæ curis anno 1605. cum Prætore Ramonio navim conſcendit, quæ gemino malo, tempeſtate atque incendio pene periit. Tempeſtatem, ut creditum eſt, avertit invocatum Divi Ignatii patrocinium. Incendium vigilantia Valdiviæ, qui cum primus intempeſta nocte puppim fortuita flamma ardere conſpexit, opportune nautas admonuit, & omnium in reſtinguendo ala-

cri-

critatem acuit. Utroque periculo defuncti, ſecundis ventis ad Conceptionis portum delati ſunt. Vixdum pervenerant, quum profectionem novus Prætor indicit ad caſtella & pagos barbarorum, quæ Hiſpanici juris quoquomodo eſſent. Iras ac hoſtilem animum barbari gerere videbantur. Prætorem tuebantur cohortes Regiæ; ſed enim plus præſidii in Ludovico Valdivia erat, quam in militum armis. Quippe barbari, ubi Valdiviam adeſſe compererant, & reſpirare viſi ſunt, & tranquilla omnia præſeferre, quod fama pariter atque uſu ſcirent, eum Virum eſſe, qui gentem ſuam ab injuriis militum, jugoque ſervili perſæpe vindicarit. Igitur quaqua ibant, confertim lateri adhærebant Indorum Primores, Parentem, Tutorem, corporum, atque animarum ſolatium vocitantes. Viciſſimque Valdivia gratari de præclara in ſe voluntate, ac ſenſim eo ferri ſermone, quod præſentis erat inſtituti; demum lente ac ſuaviter Regis Catholici, nec minus vero Chriſti partibus conciliabat. In caſtro quopiam, cui Leon nomen, viginti Caſiquii convenerant, qui audito Valdivia, cum de immortalite animæ cæteriſque Fidei myſteriis diſputaret, petierunt Chriſtianis accenſeri. Ætate grandiores dilati ſunt; donec morum conſtantia ſe probarent. Infantes promiſcue ſacro fonti ſunt admoti.

CAPUT QUARTUM.

Interiores hoſtium populos adit.

Circa Paicavim Hiſpanorum Caſtrum quadraginta Caſiquii Tucapelanæ factionis conſederant, amicitiam aſſimulantes, cum hoſtes eſſent. Ab his Valdivia impetravit, ut depoſita fraude ſinceram cum Hiſpanis pacem colerent; coluiſſent vero etiam, niſi aliunde prolatæ injuriarum faces, novum bellum accendiſſent. Rurſum in Valdiviam recidit res, Prætore hortante, ut ſi belli ſemina, injuriarum tricas, penitus diſſuere non poſſet, ſequeſtræ ad minus, & temporariæ pacis author eſſet, dum firma ac conſtans coaleſcat. Valdivia non tam barbarorum in ſe ſtudiis, quam ope DEI confiſus, non niſi quinque militibus præſidio admiſſis, hoſtes adit. Venientem barbari humaniter accepere; Caſſiquiis plurimis, honoris cauſa ad eum concurrentibus. Poſt prima urbanitatis officia, animarum rationes tractare cœpit, ſepoſita interea, ob quam venerat, cauſa, ac de finibus bonorum malorumque prolixe & graviter dicebat. Dicentem barbarus aliquis interpellabat, quærens: unde eam doctrinam hauſiſſet? reſpondit: id aſſeruiſſe DEI Filium. Tum barbarus: igitur DEUS veſter uxorem habuit, qui Filium genuerit. Oblato Ludovicus ſermone, magnificis verbis myſterium divinæ generationis evolvens, adeo dilucide, tanta contentione de Incarnationis myſterio diſſeruit, ut qui aderant, veritatis luce ac ora-

tionis vi perſtringerentur. Alia ſubinde, barbaris propria ſubnata eſt quæſtio: cur Chriſti lex ebrietatem & uxorum pluralitatem prohiberet? dato reſponſo, multa deinceps percontati barbari, ſermonem cum Sacerdote in multam noctem produxerunt. Sub auroram e longinquis oppidis Caſiquii viginti aderant, quibus, cum perhumaniter pro conſuetudine ejus gentis, amplexum obtuliſſet Valdivia, Catholici Regis, præclaram erga eos voluntatem, benevolentiam, clementiam, explicato indulto, copioſe oſtendit, quas ipſi querelas attuliſſent, in codicillos retulit, curæ ac cordi futuras pollicitus. Quibus barbarorum fiduciam erexit, ac ſibi majorem in modum conciliavit. Avilum quempiam ex Caſiquiis potentiſſimum incitaverat ardor diſputandi; neſcio quod peregrinum numen tuebatur, quem Pater cum dedocet, facto a militibus inſidiarum indicio, quaſi aliud agens ad Hiſpanorum munimenta ſe retulit.

CAPUT QUINTUM.

Hoſtes conciliat.

VAnus erat ſociorum militum metus; nam iidem Caſiquii fide publica ad Valdiviam venere, polliciti, ſi ad intimas regni ſedes, ipſa comitiorum fora ſequi vellet, ſe inter hoſtes, pacis ſtabiliendæ arbitros, ac corporis cuſtodes futuros. Non abnuit Valdivia, ſecutus Caſiquios itinere arduo, donec tandem eo perventum eſſet, ubi hoſtium Duces convenerant, & armata Juventus; ut belli paciſque negotia & ipſi inter ſe, & cum legatis in commune bonum exigerent. In eo colloquio indulta Hiſpaniarum Regis prolata ſunt ac explicata; agitatum præterea, quibus legibus ſtabiliri pax Indos inter, ac Hiſpanos milites poſſet. Item de Chriſtiana lege promulganda. Et ſane apparebat, ſi vexationum cauſæ abforent, non gravate barbaros ad Fidem Chriſti tranſituros. Tres barbaricæ militiæ ductores exſtimulante Valdivia ſpoponderunt, ſe Hiſpana ſigna ſecuturos. Nec Religio ſine proventu fuit: Inda mulier morti proxima per baptiſmum dæmoni erepta eſt, & portento Chriſtiana Fides apud barbaros aſſerta. Quippe cum puerpera ægrum infantem ſacris undis ablui nollet, metuens ne Chriſtianis ritibus ſubito extingueretur; incolumitatem promiſit Valdivia; & vero ſimul ac infans ſacro fonte tinctus eſt, ſanitatem recuperavit. Miraculo hoc perculſa infantis Tritavia, jam centenaria baptiſmum Fidemque recepit. Hunc in modum conciliatis Indorum plurimis, cum eodem comitatu incolumis Valdivia ad Hiſpanos rediit. Ubi barbaram mulierem admirabili prorſus modo, e patria ſua ad Caſtrum Hiſpanorum delatam, ſolennibus cærimoniis abluit.

CAPUT SEXTUM.

In Peruviam navigat.

QUum Valdivia per Hiſpanorum urbes & Indorum oppida, potiſſimum in eam curam incumberet, ut tranquillitatem publicam inveheret, ac certis legibus affirmaret; fide publica; iterum ac ſæpius hoſtes adibat, querelas miſerorum collegit, Hiſpanos orabat, ne colonias ſervitiis onerarent, ne irritarent ſeveriori dominatione, remitterent tantiſper a rigore, dum jugum colla diſcerent, dum conſueſcerent parere. Cum rogitando parum proficeret, ſemel, atque iterum in Peruviam navigavit, primum ad Comitem Montis Regalis; eo morte ſublato ad Marchionem, Clarorum Montium Proregem. In eandem ſententiam locutus eſt: pacem diuturnam ac firmam cum Indis amicis eſſe non poſſe, cum Chileno regno bellum perpetuum fore Hiſpaniæ, Religionis proferendæ ſpem nullam; niſi gens utraque mitius tractaretur, præſenti jugo nimium offendi barbaros, provideret pro ſapientia ſua atque authoritate. Marchio reſpondit: non eſſe ſuæ poteſtatis addicere, quæ flagitaret, quanquam conſilium probaret maxime; deinde Senatus-conſulto Valdiviam ad Regem ablegat, ut de omnibus referret, rediretque cum opportunis mandatis.

CAPUT SEPTIMUM.

In Hiſpaniam proficiſcitur.

IN Hiſpaniam ſecunda navigatione delatus, cum ad Philippum Regem perveniſſet, atque Rex imponeret, ut quæ attuliſſet, libere ediceret, ac quæ ipſe ſentiret, pari libertate adjiceret, opportunitate uſus; barbarorum querelas, belli cauſas, remedia, dilucide ac copioſe expoſuit. Quæ cum Regi placuiſſent, Senatus-conſulto decretum eſt, ut quemadmodum Valdivia vellet, bellum Chilenum ne proſequerentur Hiſpani, novis procurſionibus ne irritarent barbaros, intra ſua ſe præſidia continerent, ab hoſtibus impetiti ſua duntaxat tuerentur, neque ultra. Deligerentur duodecim e Societate Patres, quos per præſidia diſperſos, ærarium Regium aleret. Ut Indorum rebus caveretur, Rex Valdiviam, Epiſcopum Chilenſem creari volebat. Id ob Inſtituti noſtri rationes deprecatus eſt Valdivia; alterum amoliri non potuit, quod Rex diſtricte vellet, & jam Claudius Aquaviva aſſentiret. Nempe ut Viſitator Regius per Chilenum regnum, pacis arbiter, adminiſter Epiſcopatus, ampla cum poteſtate conſtitueretur. Sciſcitanti deinde Regi; quem putaret ea tempeſtate, Chileno regno regendo maxime idoneum? Valdivia repoſuit: Alphonſum Riberam, Præ-

turæ, quam antea geſſerat, reſtitui poſſe, quod in homine belli artes, agendi dexteritas, obluctans difficultatibus animus ineſſet. Datum, acceptumque conſilium. Ludovicus Valdivia cum auxiliaribus Sociis, ſubinde in Americam Regiis ſumptibus navigavit. In Peruvia Proregem de Senatus-conſulto, ut Rex juſſerat, docet. Cui cum non repugnaret Prorex, celeri navigatione ad Chilenſe regnum, quo Alphonſus Ribera Prætor jam præierat, revertitur.

CAPUT OCTAVUM.

Catarajanos ad partes Regis Catholici pertrahit.

Quamprimum poterat a reditu, Socios, quos adduxerat, ad hoſtium fines, Hiſpanorum præſidiis impoſuit. Communicatis dein cum Alphonſo Ribera conſiliis, rerum ab ſe in Hiſpania geſtarum famam, apud hoſtes per captivos libertate donatos late ſpargit. Catarajanam vallem primus rumor implevit. Commoti incolæ, eatenus rebelles, ſubito nuncios ad Valdiviam dimittunt, poſtulantes, ut ſi vera quidem ea fama eſſet, quæ ad ipſos perlata eſt, veniret ipſe, ac cum gentis Primoribus colloqueretur, pacem non diſplicere. Non detrectavit Valdivia colloquium, ac ut auſpicato iret, in Araucana arce Ven. Sacramentum exponi juſſit, precesque publicas fundi pro felici rerum eventu, ipſe data utrinque fide ad conſeſſum hoſtium proficiſcitur. Quinquaginta Ulmeni (ſic gentis Primores appellant) ex Araucana, Tucapelina, & Purena vallibus, nivoſisque montibus convenerunt, aderant militiæ ductores, & cohortes in armis ſtabant. Ad quos, multa de Regis maximi clementia, de laboribus abs ſe eorum cauſa ſuſceptis dixit, Regias literas per interpretem legi juſſit, pacis commoda, belli mala expoſuit; quæ item felicitates ab Religione, a vera Fide, a DEI cultu provenirent. Ad captandos deinde, atque copulandos animos adjunxit ſe, Sociosque, quos recens adduxiſſet, operam daturos, ut ne deinceps ipſis ægre facerent Hiſpani, ſuffultos ſe ad eam rem auctoritate Regia, & ne quid ad ſempiternam ſalutem conſequendam deſit, præſto ſe pariter eſſe omnibus adminiculis. Ad orationem vehementer omnium commoti ſunt animi, ut plerique inter lacrymas atque oſcula, ejus dexteram prehenderent, affirmantes, ſi belli cauſæ tollerentur, Regis Catholici imperata ſe facturos. Atque ita demum utrinque diſceſſum eſt, ut omnes exiſtimarent almam pacem præ foribus eſſe.

CA-

CAPUT NONUM.

Interiores populos conciliare ſtudet.

HÆc cum ad fines gentis proſpere ceſſiſſent, viſum eſt progredi oportere, atque interiora regni ſcrutari, & pertentare. Chileni rebelles in varias claſſes diſtracti, tot Duces habent, quot provincias. Ad eos Alphonſus Ribera & Ludovicus Valdivia ſingulos nuncios miſerunt; a plerisque pacis reſponſa rediere. Qua ſancita, Horatium Vechium, Martinum Arandum, Didacum Montalvanum noſtros, cum Utablane quopiam, Valdivia ablegat Liecuram, ut eos quoque populos ad ſtudia pacis pertraherent. In eo cum eniterentur, accurrit Aganamon Dux cum ſicariis, ac muto furorem ſilentio premens, recta irruit in Caſiquios, quod pacis authores fuiſſent, novamque pararent, & barbare trucidat. Dein converſus ad Patres, breviter ac confuſe exprobrat, quod ab Hiſpano milite ereptæ ſibi pellices eſſent, tum ſingulos telo petit, & nihil reſiſtentes pari atrocitate dilaniat. Atque ſic tres e Societate in Chileno regno, honeſtiſſima cauſa, pulcherrimam mortem oppetiere.

CAPUT DECIMUM.

Quatuor Societatis ſedes erigit.

CÆde peracta uno veluti momento pax evanuit. Qui jam ſe antea in amicitiam inſinuaverant; alieni facti verecundia recesserant ſenſim, dein ultionis metu penitus ad hoſtes defecerant. Catarajanorum tamen octo millia in fide permanſerunt. Hiſpani totis caſtris, pleno bello, & parricidas & omnem illam perfidam gentem perſequi parabant. Reſtitit Valdivia cohortatus: abſtinerent vindicta, Patrum pias animas Cœlitibus mixtas id minime depoſcere, qui Reipublicæ cauſa & Religionis proferendæ ſtudio, ſe ultro devoviſſent. De Caſiquiorum nece propinqui, liberique viderent. Obſtare vehementer aulam Hiſpanicam, ne quid Chileni offenderentur. Demum ſi bellum exardeat, peritura quatuor Sociorum domicilia, quæ jam belle ſurgerent, & Regiis ſubſidiis quatuor millium aureorum numum, quot annis adjuvarentur. Pace denique ali ſpes bonas, bello extingui. Ad hæc conquieverunt animis. Interea tum ex Hiſpania, tum e Peruvia navigabant Sociorum auxilia, quæ cum adveniſſent, Valdivia in Araucanam, Sanctæ Spei, Chilenſem ſedes jam ſtabilitas diviſit, erexitque ſecundam in Conceptionis urbe, ex qua omnes moderabatur.

CAPUT UNDECIMUM.

In defenſione Indorum multa agit patiturque.

Conſtitutis domi rebus, Indorum querelis indulſit, quos premi quotidianis nunciis didicit. Illud indigniſſime tulit, quod Regiam voluntatem obtenderent Præfecti, cum miſellos torquerent. Ergo Chilenſe regnum pervagatus, quæ fierent, coram inſpexit, injuriis modum poſuit, decem Indorum millia ut Alegambe ſcribit, a nimiis ſervitiis in libertatem vindicavit, Neophytos magna oneris parte relevavit. Vexatores pro poteſtate ab Rege accepta, legibus coercuit, captivos redemit. Per frequentes nuncios, & eos, qui recens defecerant, & qui nondum in pacta ierant, ad concordiam ſolicitavit. Nihil denique non egit, quo animi mitigarentur, tranquilla pacis otia redirent, Religio effloreſceret, & barbaræ illæ terræ aliquam formam bene moratæ Reipublicæ acciperent. Quæ res cum amorem gignere debuerat, invidiam peperit. Multa obtrectatores moliti ſunt in famam & facta Valdiviæ, ut a propoſito abſterrerent. Oppoſuit ſe, ut par erat, animo imperterrito, ac ne minimum quidem ab inſtituto deceſſit. Atque ut malevolorum conatus infringeret, & nondum matura conſilia veluti in cunis præfocaret, Gaſparem Sobrinum, ſumma prudentia & dexteritate Virum, cum legitimis, quæ eatenus egiſſet, documentis, in Hiſpaniam mittit. Quæ cum Rex Philippus, æquus rerum æſtimator, inſpexiſſet, omnia comprobavit. Aſſenſus eſt Senatus Regius, tum Peruviæ Prorex; omnes demum, quibus cordi erat barbarorum ſalus, Valdiviæ in Religionem, ac Rempublicam ſtudia miris laudibus ornarunt.

CAPUT DUODECIMUM.

Multis millibus baptiſmum largitur.

Repreſſis adverſariorum machinis, novo ardore in ſalutem Indorum incubuit, numeroſos barbarorum manipulos alias, peſte vero graſſante ſexcentos ſacro fonte abluit. Anno 1618. rurſum Regium decretum protulit, ac ſua Inſpectoris poteſtate uſus, voce Præconis publicum fecit, Chilenorum multos, qui velut pari jugo juncti gemebant, in libertatem aſſeruit. Dein aliquot Sociorum in communionem laborum aſſumptis, eorum pagos, qui ad Bovium flumen incolunt, luſtravit; trimeſtri opera quatuor Araucanorum millia Sacramento baptiſmatis Chriſtianæ Religioni innexuit.

Caput Decimumtertium.

In Hiſpaniam redit. Moritur.

INterea inimicorum furor, contacto nuper ſeverius ulcere, recruduit; voce, calamo, omnibus artibus adeo petebatur Valdivia, ut tametſi utiliſſimus illi orbi eſſet, ſubtrahendus fuerit invidiæ. Igitur Madritum in Hiſpaniam revocatur. Philippus Rex profuſas Viro gratias egit ob recte adminiſtratam provinciam, legesque ab eo conditas in Indorum emolumentum, æternas voluit. Præterea in Senatorem Regium cooptaverat, niſi ab ea dignitate ob Inſtituti noſtri rationes abhorruiſſet Valdiviæ animus; eam itaque modeſtiſſime deprecatus, Valiſoletum petiit. Tres Indorum linguas apprime calluit, omnibus tribus Lexica, Grammaticam, Catechiſmos, confitendi methodum conſcripſit, ac typis vulgavit. In ultima ſenectute votum vovit Domino de repetenda India; ſi Superiores, ſi vires admitterent. Valiſoleti in Hiſpania ſexennio Theologica ſtudia moderabatur, in domo ſubinde Profeſſorum conſcientiis regendis admotus, permultos utiles libros compoſuit. Demum anno 1644. in Onietenſi Collegio de utroque orbe meritiſſimus Vir, vitam clauſit.

MARCELLUS LORENCANA LEGIONENSIS.

Caput Primum.

De ejus vita usque ad Miſſionem Paraquarienſem.

MArcellum Lorençanam Nierembergius Heroibus Societatis Jesu adnumeravit. Eum mundo dedit Legio urbs, cognominis regni caput. Patrem habuit Rodericium Lorencanam Equeſtris Ordinis Virum, Matrem Ponciam de Leon illuſtri ſanguine prognatam. Neque vero Marcellus traductam ad ſe Parentum nobilitatem obſcuravit. Legione, ac Compluti omni diſciplinarum genere excultus, virtutem literis adjunxit; incertumque reliquit, cum utroque excelleret, utro præſtaret. Societatem ſummis votis ambivit & facile ob præclaras animi dotes conſecutus eſt. Sub Joanne Peralta Aſceticæ, ſub Ludovico Palma Philoſophiæ, ſub

Fran-

Franciſco Suario Theologiæ operam navavit. Divinis, humaniſque literis per clariſſimos Magiſtros auctus, cum in Europæ luce ſummo honoris gradu conſiſtere poſſet, in Americam cum Didaco Zuniga Peruviæ Procuratore navigavit. Circiter annum ſuperioris ſeculi nonageſimum ſecundum Limam appulſus, Theologiæ docendæ in Quitenſi regno deſtinabatur. Refugit ab hoc munere, atque in Paraquaria, quo eum venti ac vota ferebant, barbaris docendis ſe totum quantum addixit.

Caput Secundum.

De prima ad Paraquarienſes Indos Miſſione.

ANno 1593. ad Paraquariæ Metropolim delatus, Superiores majorem in modum oravit; ut ſibi adverſo Paraquario ire liceret, barbaris opitulandi cauſa. Impetrata Miſſione, tenui viatico inſtructus, in iter ſe dedit, atque ut prona in paludes ea loca ſunt, neque littore continentur; cum imbres ingruunt, adeo increſcunt, ut refuſi maris quandam ſpeciem præſeferant; hac iter agebat, tanta corporis incuria, ut collotenus aquis immerſus, per incerta paſſim vada erraret cantillando: *No ay tal andar como buſcar a Criſto: No ay tal andar, como a Chriſto buſcar*; pericula contemneret, modo ut animarum potiretur. Ex difficili itinere morbum contraxit; acceſſerat immodicus iis locis ſolis ardor, nebularum gravitas, inſolentes cibi, quæ imbecillem ad extrema deduxere. Incertum qua ope, inter vivos permanſit, ac ubi vires rediiſſe ſenſit, rurſum in campum prodiit, multos barbarorum atque ſilveſtrium hominum quinque menſium ſpatio Eccleſiæ adjunxit, Sacramentiſque procuravit. Centum leucas hac expeditione confecit. In reducem conſpiravere Pajaquæ, quorum manus cœlo opitulante evaſit. Gvaicuræorum inſidiis, iisdem opitulantibus elapſus, Aſſumptionis urbem tandem tenuit.

Caput Tertium.

In Gvairaniam & alia loca excurrit.

HIc cum aliquanto tempore utilem civibus operam locaſſet, in Gvairaniam abiit, cænoſis rurſum ac difficillimis itineribus. centum quinquaginta leucis ſuperatis, ad primos ejus regionis pagos pervenit, ac per uſitata Societatis miniſteria amplisſimum fructum collegit. Procurrit ad duas Hiſpanorum urbes octoginta leucarum ſolitudine inter ſe diſtantes, quas cum erroribus ac vitiis mire ſilveſcentes reperiſſet, opportunis remediis ad exactas Chriſtianæ Religionis leges identidem revocavit. Inde digreſſus ad Huibai fluminis

littora,

littora, præter complures barbarorum familias Chriſto aſſertas, ferociſſimum quendam præſtigiatorem, & andropophagum, earum provinciarum peſtem, ſermone emollitum e duriſſima ſervitute dæmonis eripuit. Poſt reditum in urbem, omne genus hominum complexus: pueros Fidei ac literarum elementa docuit, Indos ad omnem probitatem, ac virtutum cultum expolivit, amplificandæ Religioni undique intentus: ſæpe domi, ſæpe in propinquis urbi locis ad populum dixit, quæ dum ageret, ei ſedi a Superioribus præfectus eſt.

CAPUT QUARTUM.

Fructuoſe laborat.

ACciderat, ut ſeverius urbis mores e publico loco perſtringeret, Prætor provinciæ ea verborum acrimonia ſe peti ratus, vehementius exarſit, eamque injuriam cum Lorencana graviter expoſtulavit, additis non parce minis: niſi ab hoc ſermonis genere abſtineret deinceps, ſe de re omni minutatim ad Societatis Generalem & Proregem relaturum. Per internuncium earum minarum, hæc Prætori referri jubet: Lorencanam cum vitiis perpetuum bellum ſuſcepiſſe, atque inſectaturum quoad viveret, ſcelera ſe nominare, ac etiam expingere conſueſſe, ut pateant cujusmodi ſint, & ſive fæditate, ſive atrocitate ſua horrorem ingerant. Perſonas ſe eatenus tacuiſſe, quod pacem cum omnibus colat, ac Viros quidem in authoritate conſtitutos etiam ſuſpiciat. Perſæpe evenire, ut ſummorum ac infimorum eadem ſint errata, atque ea propter generatim ferri ſermonem ſacrum, in neminem ullum proprie. His auditis, Prætor ut erat ingenii non pervicacis, acquievit. Lorencana aliquot deinceps annis in eo laborum curriculo diverſatus, pro barbarorum pariter ac Hiſpanorum ſalute utiliter deſudavit. Anno 1602. in Tucumaniam revocatur; namque Stephanus Paës, qui a Præpoſito Generali Inſpector Peruviæ nominatus erat, deferendam Paraquariam decreverat, quod ejus Metropolis ſeptingentis leucis ab Lima abeſſet, atque a Peruviæ Provincialibus regi haud poſſet. Abeunti Lorencanæ, Magiſtratus Eccleſiaſticus ac civilis publico nomine, Primores urbis privato affectu literas dedere ad Claudium Aquavivam Generalem, Peruviæque Provincialem, quibus reddi Socios Paraquariæ quantocyus, flagitabant. Has geminaverat ſuis Lorencana, tanto verborum pondere, ut Præpoſitus Generalis conſilium arripuerit fundandæ Paraquarienſis Provinciæ.

CAPUT QUINTUM.

In Paraquariam redit.

TRiennio in Tucumania exacto , literæ Roma redierunt ab Præpoſito Generali Claudio , quibus ad Senatus populique preces Marcellus Lorencana jubebatur Paraquariæ reſtitui. Eo navigantem cum Joſepho Cataldino Socio impigro , adeo fæda tempeſtas excepit, ut rate cum vectoribus merſa , communi naufragio vix ſe ſubduxerit. Ejecto ad littus, in vaſta ſolitudine ac ſterili ſolo, alterum a fame vitæ periculum imminebat; immenſum reſtabat iter, cibi aderat nihil. Rurſum divina providentia ſervatus eſt. Namque eodem fere tempore, Illuſtriſſimus Epiſcopus Ignatius Loyola , ſecundo flumine Paraquario ad portum Boni aëris navigans , ad naufragantium Sociorum littus impulerat navim , conſpicatus Lorencanam tenero amplexu ſtrinxit, diplomate ampliſſimo ad res animarum gerendas in ſua Diœceſi , & viatici ſui parte liberaliter inſtruxit, beneque precatus, iter proſequi juſſit.

CAPUT SEXTUM.

In Aſſumptionis urbe ac ditione labores redintegrat.

UBi in Aſſumptionis urbem cum Cataldino pervenit ; partitus in omnes ordines ſtudium, nullam bene de ſingulis merendi opportunitatem prætermiſit. Pari ardore oppida circumſita complexus, per vices curabat , tanta virtutis opinione , ut cum cætera laudarent maxime ; tum præcipue illud ; quod a muliebri vultu oculos conſtanter deflecteret, & ciborum delicias averſaretur ; atque ea propter per Paraquariam Socii, Patres abſtemii paſſim vocitari cœperunt. Lætiſſimus curſus Evangelii iterum turbabatur. Dum ad populum diceret in Eccleſia Principe , forte eorum avaram inclementiam redarguerat, qui innocuos barbaros carcere ac vinculis premerent , ut copiis ſuis augendis plus æris e miſerorum crumena extunderent. Hæc dicentem, Vir Eccleſiaſtica dignitate conſpicuus ; atque theſauro illius Eccleſiæ præfectus ; elata voce interpellat : ne verbum amplius adderet, concionem abrumperet , ac tanquam importunus declamator domum ſuam ſine mora ſe auferret. Contumeliam hanc ſumma animi æquitate tulit, finem dicendi fecit , abiit concione univerſa ad patientiæ miraculum attonita. Vix dum e Templo exceſſerat , importunus interpellator aſſurrexit, ſuam ipſe temeritatem accuſans, Virumque, qui cœleſti fervore utilia ſuaſerit, omni laudum genere proſecutus. Quidquid porro recantaret, & vivus & mortuus pœnas dedit. Tantis etenim ob eam proterviam diſcruciatus eſt conſcientiæ ſtimulis , tanquam domeſticis furiis,

ut

ut nullam quietem capere potuerit, neque diu poſt vixerit. Cadavere in tumulum illato, umbra hominis obſervabatur nocturnis horis Templum frequentare, longos catenarum tractus ducere, vox pariter audita eſſe, *Lorencana me cruciat.* Quod portentum plus valuit ad reprimendam vim quorundam Indis illatam, quam ſi Lorencana peroraſſet.

CAPUT SEPTIMUM.

Ad ethnicos Chriſto lucrandos mittitur.

ANno 1609. fundata jam Paraquarienſi Provincia, Primores Indorum, qui Paranam fluvium accolunt, & eatenus rebelles erant, ſupplices legatos ad Paraquariæ Prætorem dimittunt, deprecantes, ut Chriſtianæ legis Doctorem ſibi ſubmitteret. Abnuerat Epiſcopus, quod ea gens omni crudelitate infamis eſſet, cædes facere atque ipſis hominibus veſci conſueſſet. Didacus Torres Paraquariæ Provincialis aderat, cum Prætorem inter & Epiſcopum ea res gereretur; ad utrumque converſus: ego vero, inquit, Rectorem Collegii, quem præter, idoneum nullum habeo pro Reipublicæ Chriſtianæ bono, cuivis periculo, nullo militum præſidio adjutum lubens objicio. Mox domum reverſus Socios congregat, ac Lorencanam unum intuens, re omni expoſita, *quem, inquit, mittam, & quis ibit nobis?* cui ille, in genua provulutus *ecce ego, mitte me.* Ratum habuit Provincialis, atque ad iter ſe accingere cum Franciſco a Sancto Martino Sacerdote jubet. Fama ſubito urbem implevit, Lorencanam veteranum urbis incolam, Collegii Rectorem, ſanguine, literis, virtute ornatiſſimum, ad andropophagos deſignari, ac propediem abiturum. Dici vix poteſt, quantis ea propter laudibus celebrata ſit Societas, quæ ne ſummis quidem Viris parceret, ſumma etiam pericula ſperneret, ubi campus majoris DEI gloriæ ſeſe aperiret. Poſteaquam Lorencana ſemet itineri commiſit, Primores urbis decem leucas proſecuti ſunt chariſſimum ſuum Parentem, ac amore adverſus ipſum incitati, identidem commonebant, quæ, ac ubi pericula eſſent cavenda. Nec inanis erat metus, ſi immanem gentis barbariem, fædis ſuperſtitionibus involutam, implacabili odio Europæi nominis innutritam ſpectes.

CAPUT OCTAVUM.

Oppidi fundamenta ponit.

ITer emenſus in primo barbaræ gentis pago ſtationem fixit, viculos ac diſperſa Indorum tabernacula excuſſit, ad ſocietatem vitæ cohortans, quotquot in abditis locis reperit. Cum ſenſim coiſſent, ac creſceret numerus, oppido aream circum-

ſcripſit, primumque de luto ac paleis Sacellum erexit, dein omnes machinas, omnes Apoſtolicæ induſtriæ artes exprompſit, ut pertinaces Evangelio animos frangeret, a deliriis veteratorum revocaret, ſanam inderet mentem, qua DEUM agnoſcerent rerum conditorem, ac Judicem reformidarent. Fruſtra fuit; identidem redibant ad ſua inſtituta. Ut primum novum oppidum inſederant, vetus ſodalitium celebrabant, inter vociferationes, cachinnos, & diros ululatus; aderantque certa indicia diſpoſitam Patribus fuiſſe necem inter inſanos barbarorum tumultus, quam Superum bonitas avertit. Lorencana furori, manſuetudinem, effrænatæ licentiæ, miſerationem oppoſuit, pie cohortans: Cœlum aſpicerent, meminiſſent ſe morituros, reſpicerent ad aliorum ſuæ gentis exempla. Hoc leni ductu illapſus in animos tantum profecit, ut pleroſque morum ac vitæ ſuæ puderet, & tandem ſalutares undas baptiſmatis ipſi ultro expeterent. Lorencana diſtulit, ac proximas inter ſpes procraſtinando in annum integrum protraxit, ut morum conſtantiam exploraret. Valuit pia ars plurimum & mirum in animis ardorem ſuſcitavit, usque adeo, ut concionantem puer interpellaret alta voce inclamans: *nolo jam differri, volo abjurato dæmone DEI filius eſſe.* Eo ob inſolentiam rei ſolennibus cerimoniis luſtrato, alii, atque deinceps alii, etiam ex gentis Primoribus id beneficium ſunt conſecuti.

CAPUT NONUM.

Ad necem cum Neophytis quæritur.

FAma facti Paranenſem quandam mulierem adeo commovit, ut clam marito e patria fugeret cum filia, ſalutis & ipſa remedium quæſitura; quæ res Lorencanæ, cauſa pene Martyrii fuit. Etenim barbarus fuga conjugis ferox, popularium iras & arma ad ultionem accendit. Ea re nunciata, non dubitabatur bellum eſſe propinquum. Quapropter Neophyti cum Catechumenis & ipſi arma capeſſunt pro Paſtore decertaturi. Non longe poſt Hiſpanorum quoque cohors Resquino Duce, & tercentum armati Indi in ſubſidium venerant, qui junctis viribus Paranenſes adorti fuderunt ac fugarunt, nullo e noſtris deſiderato. Parta victoria, Resquinus vehementer obteſtabatur Lorencanam, ne ſe porro tantis periculis objiceret; urbem repeteret, affore rurſum Paranenſes, atque ocyus quam putaret; incertum porro eſſe, an ipſe in tempore opem allaturus eſſet. Lorencana repoſuit: ſe non eſſe mercenarium, qui lupis adventantibus oves in extremo diſcrimine deſtituat. His fortiter dictis ab amplexu Hiſpanorum divulſus, Catechumenorum ac Neophytorum commodis ſe totum dedit.

CAPUT DECIMUM.

Oppidum D. Ignatii reædificat & multa patitur.

AUcto colonorum numero, oppidum ac Templum commodiore loco Lorencana poſuit, atque Ignatianum dixit. Interea Paranenſes clade ac pudore exaſperati, ac præterea Chriſtiani nominis odio barbaram ferociam ſtimulante, novi oppidi ruinam machinantur, multoque majore, quam antea numero, pictis ad formidinem corporibus fluvium transmittunt, ac oppido proxima ferro & igne devaſtant. Quod ubi per exploratores nunciatum eſſet, magnopere trepidatum eſt. Nam Hiſpani abierant cum Resquino, & hoſtes numero præſtabant. Arctis his rebus Lorencana, conjecta in DEUM ſpe, primum Sacra, ne profanarentur, comburit, tum Catechumenos raptim baptismo expiat, Martyrii coronam, ſi pio prælio cadant, ſpondet, imbellem turbam in ſilvam rejectat, omnia denique boni Paſtoris munia in ea rerum perturbatione exequitur. Nec defuere ſibi Neophyti, armis animisque. Dum ſic bello accinguntur, incertum quis metus hoſtes intra fines ſuos retulit, atque ſic ingens belli tempeſtas ſe ipſa reſedit. Socius tamen Lorencanæ eo armorum terrore perculſus, in inſaniam incidit. Animo ſane opus eſt forti & impavido inter barbaros tumultus, mille ac mille vitæ diſcrimina.

CAPUT UNDECIMUM.

Immodici ejus labores & nova pericula.

PErvagata periculi fama, alteram Hiſpanorum cohortem excivit. Submiſſa ea ab Prætore erat ad retrahendum Lorencanam. At enim hic in ſententia priore ac ſtatione permanſit. Ad urbem tamen negotiorum cauſa tantiſper excurrit, ubi altero Socio auctus oppidum reviſit, pro pace, quam reliquerat, bellum reperit; namque hoſtes eo abſente finibus egreſſi omnia permiſcebant, atque impune graſſabantur. Bellum peſtis excepit, ex peſte oborta Neophytorum fuga, nonnullorum etiam alienati animi, ut Vir ſanctiſſimus ludibrium fieret, & tanquam malorum omnium author, ad pœnas & verbera damnaretur. Pertulit omnia placido vultu, & Apoſtolicis artibus denuo reduxit Neophytos oppidumque novis incolis firmavit, & meliorem in ordinem redegit. Hoſtium Paranenſium ferociam beneficiis expugnavit, hoc potiſſimum facto, quod tres eorum, capitis reos, morti ac vinculis eripuerit. Viciſſimque ab iis tres captivos jam ad infames andropophagorum epulas deſtinatos ære redemerit. Sub hæc Gonſalvium Rochum, quem laborum Socium anno hujus ſeculi undecimo accepit, ad

Paranam luſtrandam ablegavit, oppidoque eidem commendato, Majorum juſſu ad Paraquariæ Metropolim reverſus eſt.

Caput Duodecimum.

Reliqua ejus munia usque ad mortem.

REcuſato Collegii S. Jacobi regimine, in Chileno regno præcipui nominis domicilio Aſſumptionis urbis præficitur, ſimulque Sociis, qui Gvairaniam & Paranam provincias, itemque Gvarambaræos, & Gvaicuræos ſuſceperant excolendos. His authoritate, conſiliis, commodis, ac præcipue quæ ad Templorum cultum ſpectant, affuit opportuniſſime & largiter. Paranenſia oppida Provincialis vicario munere functus inſpexit. Dum in Gvairaniam iter flecteret, Paraquarum Indorum regionem adivit. Gens hæc eatenus indomita, multiplices inſidias Viro ſtruxit, quas providentia Numinis eluſit; nam tametſi ſæpe in parricidarum conſpectum veniret, ac incitarent greſſum prædones, nunquam tamen conſequi ac comprehendere Sacerdotem poterant, occulta vi (ut referebant ipſi) nunc detenti, alias in ambages acti. Iisdem prope vitæ periculis defunctus eſt itinere altero, quo e Paraquario ad Paranam fluvium ſilvas inter atque paludes, tigribus & informibus infeſtas anguibus tranſierat. Hiſce procurſionibus lætiſſimas fruges retulit. Demum adverſo Parana, Paranapanæoque navigans, ſemente jacta Evangelicæ doctrinæ apud accolas fluminum, ad oppida recens a Sociis condita pervenit. Ubi cum multa in commodum utriusque Reipub. ſtatuiſſet, eo, quo venerat itinere, confectis itu redituque quadringentis paſſuum millibus, Aſſumptionis urbi ſe reſtituit. Hic ad reliquas domeſticas virtutes, pulcherrimum tolerantiæ exemplum addidit. Lis erat inter loci Præſulem ac Lorencanam, cumque iſte Sociorum jura rite tueretur, ira commotus ille, Lorencanam domo ſua ejicit, atque dum impotentius furit, vitra ocularia frangit. Nihil conturbatus ad inſolens factum, id unum Præſuli reverenter dixit abiturus: ſe facile alteram portam reperturum, qua in domum ejusdem ac gratiam regrederetur, mox Collegium repetens cryſtallina vitra, illis terris admodum rara per unum e noſtris ſubmiſit, ut pro fractis uteretur; valuitque munuſculum ad redintegrandam amicitiam, cauſamque æquioribus oculis contemplandam. Cordubæ Rector cum eſſet, de exhauſto dolio mel promere juſſit eo ſucceſſu, ut quotidianis præcipui ejus Collegii rationibus ſufficeret. Altero dolio aliunde allato, & in penuariam cellam collocato prodigium deſiit. Multa præterea variis in locis in Hiſpanorum & Indorum utilitatem ab eodem admirationis pleniſſima ſunt patrata. Anno 1632. in Aſſumptionis urbe fatis conceſſit.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De quibusdam ejus factis & virtutibus.

ADdo ad extremum paucula, quæ de tanto Viro ex idoneis authoribus comperi. Compluti in Hiſpania Dux Feriæ in domo noſtra diverſatus erat, cura hoſpitis Lorencanæ obtigit. Is percontatus Sacerdotem de Parentibus ac patria, cum reſponſum a Lorencana accepiſſet, Parentes patriamque ſuam eſſe Societatem, dicto laudem modeſtiæ, ac contemptus mundi ab Duce juvene tulit. Valetudinem contraxit gravem, cum intelligeret deferendum ſibi munus Provincialis, nec relevatus eſt, niſi re diſturbata. Per quadraginta novem annos in ſummis Paraquariæ caloribus præter cœnæ ac prandii tempora nunquam bibit, ſi ternas vices excipias, quibus potum tanquam medicinam admiſit, per triginta annos nunquam fere panem deguſtavit. Nec acetum, nec ſalem, nec alias guſtus illecebras cibo addere viſus eſt. Herniæ, ſtomachi & capitis doloribus acerbe vexatus, perraro quietem in lectulo captabat, aut Sacrificio abſtinuit. Stragulis non niſi ſenex & æger uſus eſt. Commiſſarii ſanctæ Inquiſitionis munus ac onus perdiu ſuſtinuit, erecto ſemper adverſus malevolos animo, æmulorum malas artes, & ſuſceptas cum Societate inimicitias placide tulit, palam profeſſus: *nihil perinde ſibi cordi eſſe, quam bene agere, ac multa innocenter pati.* Caſtimoniæ integritatem remediorum inſolentia tueri ſolebat. Non matronarum, non virginum ullam, quibus pœnitentibus aures dabat, de facie noverat poſt tot annorum curricula, quos in Paraquariæ Metropoli exegerat. Neque filias appellabat, neque Paraquarice alloquebatur Hiſpanas, quod utrumque neſcio quid blandi haberet. Paranenſem gentem in avidas libidines projectam, puritate animi ac caſtiſſimis moribus plus quam eloquentia, tum ad legitima conjugia, tum ad Fidem amplectendam flexit. Mirabantur barbari hominem perinde carneum, inter nuda paſſim corpora, ut ſi cadaver eſſet, nihil tangi. Obſervantiam erga Majores tum præcipue nos docuit, cum juſſus eſt Paraquariam deſerere. Diſpoſitam ad meſſem habebat, multarum provinciarum ſalus in proximo erat, Aſſumptionis urbs totis viribus repugnabat, ut ne abiret, ille tamen ne tantillam quidem moram ſuſtinuit, qua ultimi amplexus a cupidiſſimis afferri poſſent. De opitulandi ſtudio, & animi demiſſione luculentum extat teſtimonium Petri Oniaci Paraquariæ Provincialis, qui ſcripto aſſeverat; ſe per Hiſpaniam & Peruviam ſeu charitate, ſeu animi demiſſione Lorencana præſtantiorem nullum noviſſe. Multa antequam evenirent, cœlitus noſſe creditus eſt. Vitam ejusdem Didacus Bonoa peculiari libro eſt complexus. Nieremberg. Tom. I. Virorum Illuſtrium.

⁂ ⁂ ⁂

JOAN-

JOANNES DARIUS
ALTAVILLANUS.

CAPUT PRIMUM.

De ejus Vita usque ad Tucumaniæ Miſſionem.

JOannes Darius Altavillæ in Neapolitano regno natus, pueritiam, adoleſcentiamque partim Neapoli, partim Salerni pietate ac literis excoluit. Supremum in utroque jure Doctoris gradum adeptus, juri dicundo ſe addixit. Quæ inter ſtudia cum unum e clientibus ſuis, doloſus Judex e liquidiſſimo jure deturbaſſet, averſatus periculoſæ artis technas, Sodalitio Virginis MARIÆ ſub Petro Antonio Spinello Neapoli, tum Societati Jesu anno ætatis vigeſimo quinto ſe mancipavit. Exacto Religionis Tyrocinio Sub-miniſtrum in domo Profeſſorum, ac deinceps in Seminariis Græcorum, Germanorum, & Nobilium Miniſtrum egit. Inde clareſcere Viri virtus, expetique pro altioribus miniſteriis cœpit. Sed enim ille altius provectus votis, incitante intus Numine, Indicas Miſſiones ambiebat. Ac ne fors ſubito fervore abreptus ſemet ipſe in avia ferret, JESUM ſuum ſupplex adiit, orans, obteſtansque: regeret in dubiis, indicaretque, quid ſequendum foret. Viſus ſibi audire eſt loquentem in hunc ſenſum: *O Dari, ſi in Indias navigas, multæ te manent cruces;* ſimul inſolitus ardor occupat pectus. Quare de oraculi fide minime dubius, cum Claudio Aquaviva Generali rem tranſigit, a quo ſubſidiariis Sociis in Peruviam navigaturis (nam Procurator Peruanus in itinere obierat) præficitur. Abeunti Clemens Octavus bene precatus Indos commendarat. Quæ vox Pontificis Maximi plurimum valuit ad confirmandum inter Indicas ærumnas animum, primumque fervorem ſi tepeſceret confovendum. Cusquenſi Epiſcopo Americano hoc itinere a Confeſſionibus fuit, qui perſæpe poſtea Darii cum laude meminit. Julide in Peruvia annum commoratus, Arinanam linguam didicit, uſurpavitque

magno gentis commodo. Ab Joanne Sebaſtiano Provinciali demum in Tucumaniam proficiſci jubetur.

Caput Secundum.

Cordubenſem ſedem ſtabilit.

TUcumanicas inter curas primæ erant: Cordubenſi domui fundamenta moliri, atque late urbis agrum Apoſtolico more percurſare. Regio ad ea tempora omnino barbara fuit, & in ſumma rerum cœleſtium ignoratione. Frequentibus tamen excurſionibus, & crebro admonitu tantum profecit, ut multi baptismo ſignarentur, multi id ipſum ardentibus votis poſtularent. Si quid ab his vacaret, Templo condendo, civibusque erudiendis operam dabat, adeo benigna fama, ut Sanctum illis terris Viri nomen eſſet. Et ſane decebat domum, in provinciæ caput, & Apoſtolicorum Virorum Seminarium a DEO deſignatam, eum haberere Parentem primum, a quo ad poſteros luculenta religioſæ vitæ exempla profluerent.

Caput Tertium.

Calchaquinam vallem Chriſtianis legibus erudit.

FUndata jam Paraquarienſi provincia, Didacus Torres, qui eam primus regebat, Joannem Darium cum Horatio Morellio ablegaverat ad Calchaquinorum rurſum rebellantium vires & animos inſpiciendos, ſi qua ratione ad pacem & Chriſtiana ſacra flecti poſſent. Vixdum barbari, Patres adventare intellexerant; quidquid in finibus erat, obviam ſe effudit. Neque a pace, neque a Sacris noſtris abhorrebant; id unum deprecabantur, ut Hiſpani aliquando ab injuriis abſtinerent, & Socii in eorum valle conſiderent. Succeſſerunt interioris vallis incolæ, eadem ſpoponderunt, eadem flagitarunt. Interpoſito compromiſſo, pax coaluit; tum ambo Socii in pleraque vallis oppida ſummis (pro modulo gentis) lætitiæ ſignis editis, invecti ſunt. Eo ipſo itinere in undecim pagis totidem Sacella ad uſum Sacrorum erexere. Barbari baptismum & Chriſtiana ſacra frequentes petiere; neque tamen (ſi quingentos infantes excipias) ex adultis reperti ſunt plures ducentis, qui in mortis articulo id meruerint. Hos inter Calchaquinæ vallis Dux, & tres alii Caſiquii numerabantur. Proſpera hæc Virgini Matri merito Darius tribuit, cujus ope ad diſponendos multitudinis animos, ter per abrupta montium cacumina difficillimis itineribus, inter vitæ pericula, pedes omnem vallem peragravit. Multa ſuis manibus idola evertit ac concremavit. Sub tecto ex levi palea & luto confecto

noctes agere ſolitus, in regione perfrigida algorem trita lodice arcere, præter turcicum granum & legumina, nihil in cibum adhibere, inter quotidianos furibundorum hominum tumultus, ferarum rugitus, dirabella, tanta mentis quiete perfrui, ut ſe cœli ipſis deliciis affluere datis ad provinciæ Præſidem codicillis teſtaretur. Horatius Morellius narrabat, Darium occulta quadam virtute adeo venerabilem barbaris viſum, ut omnia Viro deferrent. Sæpe inter incitatas utrinque barbarorum acies medium conſtitiſſe, & jam pugnaturas authoritate ſua inhibuiſſe, compoſitaque pace domum remiſiſſe. Perhibent eum, pro tuendo grege in medias hoſtium ſagittas ſe præcipitaſſe, & tametſi ſub ejus oculis unius oppidi municipes ad unum omnes trucidati fuiſſent, nihil tamen expaviſſe, Socio Morellio paria audente. Neque ſemel factum, ut rabiem Calchaquini in Socios converterent, quod putarent Patrum conſiliis incitari Hiſpanos in ſuam gentem. Igitur ad diluendam ſuſpicionem, e valle egreſſi ad Tucumaniæ Prætorem, cum multa in favorem barbarorum impetraſſent, regreſſique referrent; Fidem amicitiamque affirmarunt, ac biennio integro gentem mirabili tolerantia excoluerunt. Inde ad Saltenſes digreſſi: rurſum multis ſaluti fuerunt, Gvapacharum gentem infenſam, infeſtamque Hiſpanis conciliarunt; ea Saltenſis urbis gratulatione, ut Magiſtratus pleniſſimis literis utriusque Sociorum utiles labores Provinciali majorem in modum commendarit, rogaritque, ne ditionem ſuam tantorum Virorum præſidio deſtitueret.

Caput Quartum.

Diaguitas ad pacem & Chriſtum traducit.

Interjecto tempore, Prætor, Societatis Provinciali ſignificat; Diaguitas rurſum ferocire, conſurrexiſſe omnem gentem, injurias ab Hiſpanis acceptas accuſare, atque armis ulciſci velle. Neque aliud rebus remedium eſſe ſuper, quam ſi Socii pro ſalute communi in victimas ſe offerrent. Re omni cognita, Provincialis Joannem Darium & Didacum Boroam eo deſtinat. Per iter, Tucumaniæ Metropolim Societati Darius conciliat; infenſam ſibi urbem ea propter habuit Societas, quod cives commonuiſſet, ne *perſonali* (ut ajunt) ſervitio Indos oneraret. Ejusdem provinciæ Prætorem emeritum cum Epiſcopo diffidentem ad concordiam revocavit. Vallem Aconguincam, & Joancavillis proxima loca peragratus, baptismo, cæterisque Sacramentis multos Chriſto adjunxit. Diaguitarum fines cum contigiſſet, promptos ad vota habuit, arma bellumque poſuerunt, atque in fidem Sociorum ſe dederunt, in quibus ſalutem ſuam præſidiumque omne repoſita eſſe non ignorabant. Tum Gvaſſanos, Mallæos, Huachaſſes, Andalgalas adiit; quingentos ex his barbaros ab Socio adjutus

luſtra-

luſtralibus aquis mundatos in numerum Chriſtianorum retulit. Quaqua ibat, idolorum monumenta in ruinam egit, crucibus ſuffectis; nulla ethnicorum offenſione, plurimorum ſummis votis; ut Socii domicilium inter ipſos figerent.

CAPUT QUINTUM.

De muniis ab eo geſtis & quibusdam virtutibus.

OMnia percenſere non vacat, quæ in Societate munia geſſerit, quibus vitam virtutibus illuſtrarit, paucula igitur de utrisque ſeligam. Cordubenſem domum, provinciæ nunc caput, primus rexit, Calchaquinam vallem poſita ſede primus occupavit. S. Michaëlis, Eſterenſis, & Riocenſis Collegiorum fundamenta poſuit. Reliquam vitam aliis domiciliis regendis, inter Apoſtolica officia cæterasque Religionis noſtræ exercitationes maximo barbarorum commodo traduxit. Per annos quadraginta, nocte nulla tres ultra horas dormivit, reliquum tempus orando exegit. Ad arcendum ſomnum, in cœna carnes non guſtavit. A veſpertino domeſticorum alloquio perpetuo abſtinuit, ut cœleſtibus rebus plenius vacaret. Chriſti patientis doloribus, Virginis MARIÆ laudibus, Angeli Tutelaris favoribus, Divi Ignatii & aliorum virtutibus contemplandis, ſingulorum dierum intervalla ſepoſuit, hauſtam inde lucem ad regendas pro DEI voluntate actiones referens. Ajebat: cogitationes, & divinitus affuſam lucem perpetua veluti occupatione confovendas eſſe, ut fertiles evadant. Verni Jejunii, aut Jubilæi tempore (quibus ob cumulatos labores rerum ſpiritualium exercitatio interpellatur frequenter, aut feſtine decurritur) ſomno ſe ſuo defraudabat, ut tempus illud orationi adjiceret, ac contra quam alii, dimenſa ſpatia extendebat, alimenta pœnitentibus & auditoribus de cœlo petens, ajebatque: *Nutricem, ſi plures ab ubere infantes alat, & ipſam largius ali oportere;* illud quoque uſurpabat: *quomodo eructabit cor meum verbum bonum; ſi ex menſa DEI parce comedam?* Si quiſpiam prolixitatem in Sacro faciendo objectaret, in hunc ſenſum repoſuit: *ſi tu me mediatorem inter te & Prætorem in gravi negotio conſtituiſſes, non querereris utique, prolixe me rem tuam agere.* Quidquid fere audiret, aut videret, ad cœleſtia referebat. Cum fluentes rivos cerneret, exclamabat: *Ah! cur eodem impetu anima mea non currit ad Dominum?* Potoſinum montem aliquando contemplatus & contenta mortalium ſtudia in eo eviſcerando: *Quam ſtultæ*, ajebat, *& inanes hominum ſunt curæ! Chriſtum in quo ſunt omnes theſauri, glebulæ auri poſtponentium.* Cum conſcientiæ moderatoribus colluſtrationes cœlitus acceptas detegeret, largos imbres dicebat ſanctarum feraces lacrymarum. Precum jacula aſſidue in cœlum vibrabat, ac ut in promptu haberet,

beret, multa ejus generis in libellos retulit, & item quæ ei divinitus patefacta ſunt; extant hæc etiamnum ad poſterorum admirationem.

CAPUT SEXTUM.

De animi demiſſione & tolerantia.

Corpus ſuum arcte habuit. Verberabat quotidie, diſcruciabat cilicio, defraudabat ſomno, quem carpebat breviſſimum aut ſedens, aut incubans aſſeri. Cum Romæ in tribus Societatis domiciliis Miniſtrum ageret, ad infimas culinæ & ſervulorum ſordes devolvebatur nocturnis præcipue horis. Hiſpali propitios ad navigandum ventos præſtolans, per Triremes, Noſocomia, & Angiportus, ea edidit fervidi operarii exempla, ut Præpoſitus domus Profeſſ. pluribus de eo retinendo ageret, pollicitus: ſi annueret, rem ſe cum Generali tranſacturum. Quanquam vero eum vitæ curſum tenuerit, ut Majoribus ſatisfaceret, ſui ſimilibus ad omnem virtutem & heroica facinora eſſet incitamento, in ſe nihilominus ſemper reperire ſibi viſus eſt, quod reprehenderet. Solitus ſe comparare puello nobili, quem mater ſummo ſtudio coleret comeretque mane, ac nitidis veſtibus ornaret, quas ille diurna petulantia luto ac ſordibus fædaret. *Pater meus*, inquiebat, *quotidie in contemplatione matutina, Sacrificio, Exomologeſi, ſua gratia tanquam nitida veſte belle me ornat, quam ego velut petulans puer pulvere ac luto imperfectionum fæde commaculo.* Quapropter tanquam a nullius frugis puero, in examine veſpertino ab ſe delictorum pœnas exigebat acriter. Adverſus Darium dæmon ſe ſane pro hoſte geſſit: ſæpe noctu ipſum aggreſſus inflictis plagis mulctabat. Nempe perditum aliquem ad frugem reduxerat Darius, id indignatus avernalis hoſtis, furorem in Patrem effudit, atque adeo fæde ei naſum concerpſit, ut Medici judicio de vita periclitaretur. Nec defuere cenſores malevoli, in famam innocentiſſimi hominis proterve graſſati. Has ille cruces jam Romæ ſibi promiſſas, ſic, tanquam divini amoris pignus & complexus eſt dulciter, & tulit conſtanter.

Huc pertinent tot ardui labores animarum cauſa ſuſcepti, tot barbarorum regiones percurſæ, multiplices itinerum difficultates, adita vitæ pericula, præcipue peſte ſæviente, ac Calchaquinis furentibus, & plura hujuſmodi, quæ percenſeri non poſſunt.

CAPUT SEPTIMUM.

De prono erga pauperes & afflictos animo.

EA adverſum pauperes in Dario cura ſe prodidit, ut Patrem pauperum Tucumania omnis diceret. Rector cum eſſet, nemini ſtipem negavit, privato nunquam defuit, quod daret. Corbes & id genus penuaria vaſa, in cubiculo prompta ac patentia habuit, in quæ locupletes certatim piam ſymbolam conferebant, Darii manibus in mendicabula dividendam. Exhauſta penu oblongam crucem, quam geſtare ſolitus erat, vacuis corbibus impoſuit, palam ac fidenter pollicitus: cruce allectrice eſcam obventuram: neque inani confidentia; mox enim aderant opportunæ largitiones. Anno 1630. & ſequenti, ea erat in Tucumaniæ Metropoli annonæ caritas, ut abundantiſſimi etiam egerent. De ſuo Darius promptuario tamen ſemper quidpiam protraxit, ac quanquam concurſus tum civium, tum Indorum creſceret, exhauriri non potuit. Rector Collegii id non niſi miraculo fieri poſſe dicebat, neque Darius negabat. E Tucumania, e Peruvia identidem ſubmittebantur a ſummis Viris pecuniæ, qui largitiones ſuas, veluti Darii manibus conſecratas volebant. Percunctantibus Sociis, quo artis adminiculo id fieret, ut eo Rectore Collegia abundarent? reſpondit: *largiter ſua pauperibus diſtribuenti nihil deeſſe poſſe.* Si qua inopia premeretur, aut die inter charitatis opera exacto tardior rediret, neque ſuppeteret domi, unde famem ſedaret, DEO ſupplex fiebat, dicebatque: *Pater mi! hodie tibi ſervivi, tuum igitur eſt me nutrire.* Aderat filio Pater munificentiſſimus: cives cœlitus permoti large comportabant cibaria, ut laute etiam cœnaret, alias cum concurſus hoſpitum ad eum fieret, neque culina reſponderet, conjectis in cœlum oculis, apparatiſſima ei cœna incertum unde advenit. Domi oleo deficiente, vetuerat ſebo ignem ante aras nutriri, fertilis ea liberalitas erat; namque poſtridie, quam oleum adhiberi præcepiſſet, grandia duo olei vaſa, in plurimos menſes ſuffectura, ſunt ſubmiſſa. Neque ab ære tantum miſeris præſto fuit; verum omni præterea beneficiorum genere. Hiſpanos conſilio, Indos auxilio recreabat. Noctu diuque ægris accubabat. Veſte ſe ſua ac neceſſaria ſupellectili exuerat, ne quid cuiquam deeſſet. Obvios efflictim rogabat, ut ſua opera uti vellent, incredibili perfuſus lætitia, ſi id obtinuiſſet. Demum tot & tanta in domeſticos, peregrinos, Indos, Hiſpanos, Noſocomia, Monaſteria, carceres contulit, ut primis harum terrarum Eleemoſynariis accenſendus eſſe cœlo teſte videatur.

Caput Octavum.

Continuatio Materiæ.

TUcumaniæ Prætor matutinis horis aliquando ingreſſus Collegium S. Jacobi perturbato non nihil vultu, Darium convenit, quem ſic affatus fuiſſe fertur. Equidem, inquit, fidem ſomniis temere non habeo, tamen tibi o Pater, quæ nocte hac per quietem objecta mihi ſunt, referre conſtitui. Viſus ſum videre ſcalam pede terram, ſummitate cœlos contingentem, & huic inſiſtentes omnis generis pauperes, qui te o Pater de manu in manum ad ſidera usque protollebant, cum vero & ipſe te ſecuturus eo eniti vellem, ter repulſus ſum cum dicto: *ſi Darium aſcendentem ſequi lubet, ejus in pauperes beneficentiam imiteris oportet.* Ad hæc cum ſomno imago evanuit. Experrectus ad te venio, ſancte promittens omnia mea deinceps in tua poteſtate futura. Hæc Prætor; qui ne verba dediſſe videretur, magnam pecuniæ vim addidit in pauperes diſpergendam; neque ab hoc largitionum ſtudio remiſit dum vixit. Darius noſter peccata acriter, peccatores in publicis perinde ac privatis congreſſibus blande tractabat, miſereſcere fragilitatis humanæ, indolere lapſis, ajebat præcipuum antidotum, ac reconditam quandam artem; qua ſane ipſe plurimos a vitiorum illecebris abſtraxerit, diras inimicitias compoſuerit, non paucos in Societate vacillantes confirmarit.

Caput Nonum.

De ejus Concionibus.

IN urbe S. Fidei curam Collegii ſuſcepit, ac munus ad populum dicendi lætiſſimo ſucceſſu. Vix e pulpito auditus eſt, civitas univerſa, & circum omnis regio concurrit, ut Templi anguſtiæ deſerendæ, ac cum omni concione in amplius forum migrandum fuerit. Fervori Oratoris multiplex fructus ab omnium ordinum hominibus reſpondit, præcipuus fuit: criminum deteſtatio & expiatio. Atque hæc acta ſunt ab homine Italo terris alienis, nullis humanæ eloquentiæ præſidiis adjuto, linguæ obtuſioris, qui Hiſpanum idioma impeditiſſime tractaret, ac conceptam mente orationem vixdum verbis informare noſſet. Quam rem admiratus prudentiſſimus Vir e Divi Dominici illuſtri Familia, e publico ſuggeſtu non dubitavit aſſerere, Darium de illis Viris eſſe, quibus pro eloquentia, vitæ innocentia, & caſtimonia, pro luxuriæ antidoto, cæteræque virtutes pro aliorum vitiorum alexipharmaco eſſent. Sæpe numero digeſtam

ſtam jam ac memoriæ traditam dicendi materiam, novo atque obvio argumento intus DEO concitante commutavit. Sic cum Tucumaniæ Prætorem in urbe S. Michaelis Templum noſtrum æſtate ingreſſum, audiret voce alta ad ſequaces dicentem: o quam hujus urbis clima calidum eſt! Darius audita hac voce, ex tempore pro concionis themate verba Prætoris repetens: quam non calidum eſt S. Michaelis clima, ſi conferretur cum inferni ardoribus. Adeo ferventer id comprobavit, ut Prætor, poſtquam peroraſſet; ei ſe ſiſtens conſcientiam expiarit, grandem pecuniæ vim pauperibus elargiendam tribuerit, ſaluberrimo circumſtantibus exemplo. Alias: Tucumaniæ Epiſcopo, & Prætore, nec non Primoribus urbis Circumciſionis Dominica die ad Templum noſtrum cohoneſtandi Feſti cauſa confluentibus, quod multa mortuorum oſſa ad pulpitum procedens offendiſſet, præterita nominis JESU laude, de morte dixit tanta cœleſtis eloquentiæ vi, ut omnium oculos lacrymis impleret. Poſt ſupplicationem Hebdomadæ Sanctæ, ſermonem de Chriſto patiente jam jam habiturus, quod vaniculum quendam inter auditores eo die ſericas veſtes immoderate oſtentantem conſpicatus eſſet, in eum contorta oratione invectus eſt, adeo nullius offenſa, ut omnes tanquam Oraculum, & cœlo lapſum hominem audirent.

Caput Decimum.

De reliqua ejus Vita & Morte.

FErtur multa prædixiſſe cœlitus abs ſe cognita, antequam evenirent. De multis pauca tranſcribam: Archidiaconus Eccleſiæ Cathedralis S. Jacobi, juratus, dicto ſcriptoque affirmavit, ſororis ſuæ partum, & eventa parientis omnia ſibi narrata fuiſſe ab Dario abſente, prius, quam humanitus ea cognoſcere potuiſſet. Europæo homini, Indorum vexatori, remedium profligatiſſimæ vitæ pertinaciter recuſanti, prænunciavit fore, ut aliquando irati Numinis pœnarum plenas manus ſentiret. Dicto adhibita fides eſt, homine illo ſine Exomologeſi, morte miſera ſublato. Uni e noſtris imminentes moleſtias, alteri ſeriem vitæ deinceps traducendæ, alii denique aliud prædixit, eventu nulla in re fallente. Mortis ſuæ tempus præſciviſſe non vanis indiciis ſuſpicati ſunt nonnulli. Morbum lethalem tum ex mærore animi, quod delictum cujusdam impedire non poſſet, contraxit, tum quod ſub ardente ſole ferventius diceret. Suborta febri, antequam deliraret, ultimis Sacramentis procuratus eſt. Porro ægrotantis deliria erant Sacerdotes a peccatis abſolventes imitari, & aliæ id genus piæ actiones. Divulgata ejus morte, tota urbs communiter luxit, non ſecus ac ſi quæque domus Patrefamilias adempto, ad orbi-

tatem

tatem devoluta foret. Provincialis ad Præpoſitum Generalem ſcribens, aſſeruit tantam ob Darii mortem urbis S. Jacobi turbationem fuiſſe, quanta futura crederetur, ſi mundi exitium nunciaretur. Indis præ aliis immodice in ejulatum effuſis. Civitas univerſa funus cohoneſtavit. Tucumaniæ Prætor, & Eccleſiæ Cathedralis Decanus cadaver extulere. Nemo fuit, qui inter parentandum non diceret; præcipuæ Sanctitatis Virum efferri. Nierembergius inter Illuſtres Societatis Viros eum jure optimo recenſuit.

FINIS DECADIS PRIMÆ.



DECAS
SECUNDA.

DIDACUS TORRES HISPANUS.
MARTINUS ARANDA CHILENSIS.
HORATIUS BECHIUS ITALUS.
DIDACUS MONTALVANUS MEXICANUS.
JOANNES VIANA NAVARRUS.
MELCHIOR VANEGAS CHILENS.
JOSEPHUS CATALDINUS ITALꝰ.
SIMON MACETA NEAPOLITANꝰ.
JOAN. VASÆUS GALLOBELGA.
JOAN. PASTOR ARAGONENSIS.

DIDACUS TORRES VILLALPANDANUS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus Origo, & Pueritia.

MEmoriæ proditis eorum Virorum geſtis, qui fere ante fundatam Paraquarienſem provinciam longe lateque claruerunt; conſentaneum mihi viſum eſt, hanc Operis partem, ab Didaco Torres ordiri; qui eam non modo primus inſtituit, verum etiam illuſtribus factis ornavit. Patrem habuit Didacum Bolium, qui origine e montibus Burgenſibus ducta, Beneventi in Caſtella veteri natus eſt, ac pro Comite ſtabuli Caſtellæ, Beneventum patriam ſuam, & deinceps Comitis Montis Regalis oppidum, integro ſemper tantorum Principum favore, Præfecti titulo gubernavit. Mater ſpectata virtute fœmina, Centurionis filia fuit, qui ſub Carolo V. militavit. Hæc

patre, matre, marito, quatuor prolibus amiſſis, cum duabus, quæ ſuperſtites erant filiabus, Sanctæ Thereſiæ Inſtitutum amplexa, ſancte coluit. His genitoribus ortus Didacus noſter, Villalpandi primam lucem aſpexit Anno 1550.

Ubi per ætatem licuit, primis literis in patria admotus eſt, tum Salmanticæ ſub patrui Sacerdotis tutela Magiſtros audivit, ubi dum omnibus diſciplinis, ut amplæ domus unicum hæredem decuit, imbuitur, Societatem concupivit. Ergo iis, quæ apud pueros prima ſunt, faceſſere juſſis, cœpit ſæpicule ſacrum tribunal adire, divinæ menſæ accumbere, latera cilicio conſtringere, inedia, flagellis ſe excruciare, atque cum in his nimius eſſet, valetudinem afflixiſſe creditus eſt. Patruus ejusdem, ſuſpicatus intempeſtiva hæc pietatis exercitia e ſcholis noſtris proficiſci, ac præludia ineundæ Religionis eſſe, puero ſevere interdixit Sociorum conſortio. Quod cum ne animadverſionibus quidem impetraſſet; Didacum ad parentes Palentiam remiſit, ut domeſticis illecebris, ab ſeverioris vitæ conſilio abſtraheretur. E domo paterna non longe poſt, ad Valliſoletanam Regis Catholici aulam eſt translatus.

CAPUT SECUNDUM.

Adoleſcentia & de ſtatu deliberatio.

VAlliſoleti, dum honorarius cliens in domo Principis Viri verſatur, ita Herum corporis & animi dotibus ſibi devinxit, ut primus apud eum in amoribus eſſet. Atque ut bonam ille adverſus clientem ſuum gratiam rebus ipſis teſtaretur, & honeſtiſſimi in provincia muneris, & nobiliſſimi matrimonii ſpem ex propinquo oſtentabat. Quod utrumque Didacus ſane conſecutus fuerat, ni transverſum fatum intercurriſſet: nempe DEUS juvenem ipſis jam mundi laqueis irretitum, pia miſeratione fortuito evolvit. Vir ille, cui obnoxius Didacus erat, vetitis amoribus ſeſe dediderat, ſummo ardore, & impune; nemoque erat qui auderet potentis Viri vagam licentiam, & effrenos amores cohibere. Didacus noſter, ſcheda in manus data, officii Chriſtiani hominem commonefacere non dubitavit; addidit ſupplices preces, ut æqui bonique conſuleret clientis audaciam, quam anxia ſolicitudo de Patroni ſalute ſuggeſſit. Iras ſat acres commovit factum; præterquam enim, quod conſultorem juvenem verbis ille acerbe caſtigarit, & matrimonii ſplendidi, & muneris conſequendi ſpe dejecit, ac demum e clientela domoque ejecit. Injuriam placide Didacus tulit, parentum voluntate Patronum commutavit, non diu poſt, frequentibus DEI voluntatis motibus, ad religioſum ſtatum capeſſendum incitatus, aulæ nuncium remiſit. Ut porro de tanta re deliberaret conſultius, ad Montis

Rega-

Regalis urbem, quam pater gubernarat, ſe contulit. At enim charybdim quam fugerat, ſcylla excepit.

Urbs tota in florentiſſimi juvenis, Gubernatoris ſui filii, amorem effuſa, oblatis ultro deliciis adeo Didacum obſtrinxit, ut reſtincta pietate peſſimas illecebras admitteret primum, tum ipſe conſectaretur, neque finem fecerat ante, quam morbo divelleretur. Ex hoc tantillum convaluit; rurſum promittere habenas, & frena laxare cœpit, demum in omnia pericula incitatiſſime ferri. Rurſum immiſſa febri a DEO caſtigatur; tum enim vero premente malo, mentem ad ſaniora erexit. Renovatis veteribus votis, revocato priſtino ardore, totum ſe vocanti Numini permiſit. Recepta valetudine, ſine mora ad Alphonſum Rodriques Montis Regalis Rectorem contendit. Hoc duce uſus: diverſa Religionum ſcita inter ſe contulit, ac poſteaquam diu animi anceps hæreret, Inſtitutum denique Societatis præferendum ſibi eſſe putavit, cujus præclaram æſtimationem cœlitus ſibi fuiſſe immiſſam, & perſenſit, & tantam fuiſſe, devexo jam ſenio faſſus eſt, ut augeri quantumcunque prolata vita, non poſſet. Colluſtrata ſic mente, animoque obfirmato; perfacile ac jucundum erat juveni, inſidiantis puellæ pellaces illecebras ſpernere, reliquosque ſplendidæ domus laqueos abrumpere, & toto impetu ad ſanctiorem metam ferri. Ipſo igitur illo die, quo illuſtre ejus Sodalitium majore pompa ad ludos publicos provehebatur, pari ipſe cultu equo inſedit, ſed enim præterito circo, ad Collegium noſtrum iter flexit, Præſidis provinciæ pedibus advolutus, jurabat pedem ſe inde non relaturum, antequam Societati auctoretur. Movit ea petentis ſpecies Præſidem, annuitque velut invitus in rem ſibi optatiſſimam; elucebat enim in juvene ſpes ornandæ Societatis, ſi ſolitis artibus excoleretur.

Caput Tertium.

Religionis Tyrocinium & Studia.

IN Societatem admiſſus, ſub Alphonſo Rodriques Rectore, Divi Ignatii exercitiis excultus, ea pietatis incrementa fecit, ut optimi exempli cæteris tyronibus foret. Expectationem de ſe auxit luculento facto: nempe cum Medinam Campi ad Tyrocinium mitteretur, juſſus eſt Valliſoleti in veſte adhucdum ſeculari, eaque ad pompam apparata, rugoſum jumentum præ ſe agere; id fecit per frequentes plateas tanta oris conſtantia, vultusque & animi hilaritate, ut triumphare gaudio videretur. Medinæ Campi Societatis veſte donatus, Balthazari Alvarez erudiendus traditur. Tyro cum eſſet, eaque cura angeretur, num in Societate perſeveraret? votum voverat: ſi ab ea dimitteretur, peditem ſe in Urbem iturum, ad eam rurſum impetrandam; quod ubi Balthazar intellexit; ſecuro juvenem eſſe animo juſſit,

ajens: prævidere ſe futurum, ut in Societate Jesu multorum mortalium bono diutiſſime viveret, ac moreretur. Inter præcipuas poliendi ſpiritus exercitationes erat contemptio ſui, hanc perpetua contemplatione eo provexerat, ut ſuperioris vitæ noxarum memoria aſſidue occurrente nec in Sanctorum, neque in Virginis Matris iconem intueri auderet, donec confidentius cum Divis agere, atque alia meditari juberetur, ut ne ſcilicet præclaram indolem intempeſtive opprimeret. Ex illa tamen abjectione ſui præter alia, id etiam profluxit, ut a Majoribus ſuis identidem peteret, uti ſibi liceret ad infimum Coadjutorum gradum delabi, ſpe omni reſciſſa Sacerdotii adipiſcendi. Expleto Tyrocinio Valliſoletum ad ſtudia literarum abiit, inter ingenii exercitationes, primas pietati dedit, ratus: literas ſibi noxias futuras, niſi ſummæ virtuti conjunctæ eſſent. Connitentem incitavit Franciſcus Suares ſolida pietate in Superos, & vaſta eruditione orbi literato notiſſimus, ejus in Theologia per quadriennium Magiſter, ſuo exemplo docens: Scholaſticis Societatis, probitate nihil antiquius, & ſecundum hanc, nihil literarum ſtudio charius eſſe oportere. Quanquam vero non paucos in literis ſibi pares nactus ſit, virtute tamen omnibus antecelluit Majorum ſuorum judicio, ut eapropter in amore ac pretio foret; præcipue quod prudentiæ præterea laude emineret. Ad hanc cum aliquando reſpexiſſet Valliſoletani Collegii Rector, non dubitavit, ſe abſente domus pene totius gubernium Didaco nondum Sacerdoti committere.

CAPUT QUARTUM.

Navigatio ad Indias, & prima munia.

INde clareſcere Viri virtus animique dotes cœpere, & poſt quadriennem Theologiæ curſum ad ſumma deſtinari, evenerantque, niſi ipſe antevertiſſet, ambita ad Orientem Indica Miſſione. Hac impetrata, ſed graviſſimorum Virorum interceſſionibus impedita, alïorſum vota convertit. Venerat ex Indiis occidentalibus Balthazar Pinna Peruviæ Procurator, apud quem antiqua vota deponens, ſignificavit incredibili ſe Indiæ, & barbarorum ſalutis deſiderio flagrare: ſi Miſſionem a Præpoſito Generali impetraret; in ære ſe ejus æternum futurum. Placuit Pinnæ vehemens hic ardor; ergo Patronus cauſæ factus, negotium Romæ confecit. Sed enim divulgata rei per Hiſpaniam fama, adverſarios excivit plurimos: hinc Didaci parentes, inde Primores provinciæ ſuæ Patres, neutri patiebantur a tam charo capite divelli, utrique artes, nec leves admovebant, ut retinerent, quas tamen Didacus & conſtantia, & melioribus artibus ſuperavit. Neque contentus ſingulari ſacrificio, quo ſe Peruviæ devoverat, effecit præterea, ut Joannes Atienſa, Valliſoletani Collegii Rector, pro Balthazare Alva-

Alvares in Peruviæ Provincialem deſignato, & in Hiſpania retento, Indicam Miſſionem peteret, & audiretur. Hoc igitur Socio Gades profectus, ubi navigandi tempeſtivitas aderat, cæteris in Regium mioparonem receptis, roſtratam ipſe, ita volente Archithalaſſo, cum uno Sociorum occupavit; mox ita tempus omne digeſſit, ut ſua eſſent catecheſi, concioni, ægrorum ſolatio, piis collocutionibus, deſtinata intervalla. Paucos poſt dies ſane ingratiis Archithalaſſi vehiculum commutavit, hortatu Balthazaris Pinnæ, & noſtrorum, qui maligna aura contacti, morboque proſtrati unicum levamen ab Didaco Torres ſperabant, neque eos ſua opinio fefellit; namque in omnium commoda incredibili charitate incubuit, dum & ipſe malo pertinaci victus ſuccumberet, ac moriendum ſibi eſſe putaret. Evaſit nihilominus periculum, & transmiſſo Iſthmo, aliud mare, atque aliam navem ingreſſus, proſpera navigatione uſus Limam tenuit Anno 1580. percelebre jam erat Didaci nomen: eapropter Joannes Atienſa, Limani Collegii Rector deſignatus, ea conditione Rectoratum initurum ſe ſpopondit, ſi in Collegii Miniſtrum, & adjutorem Didacus nominaretur. Qua re haud ægre obtenta, ejus opera diligentiſſime utebatur, & conſiliis profecit, usque dum Provincialis optimis Viri votis ſubſcribens, Didacum Torres ad curam Indorum Julide degentium dimitteret.

CAPUT QUINTUM.

Julide Rectorem agit.

IUli, Peruviæ oppidum eſt, ad Titiacam lacum; huic quatuor Indorum Parœciæ ſunt obnoxiæ, has accurabant noſtri Ordinis homines, & Parochi dicebantur. Complures præterea Sociorum in ea domo degebant, vicesque Parochorum, cum res poſcebat, obibant. Omnibus unus præerat Rector, ut a forma Collegii contubernium iſthoc vix diſtingueres. Domicilium, de quo narrationem inſtitui, incolebant id temporis: Alphonſus Barſena, Didacus Martines, Didacus Gonſales Holquinus, præcipui nominis Viri, & alii præſtantes operarii. Hos inter Didacus noſter, tametſi Miniſtri munia diſtinerent, & Aimarram & Quichoanam linguam belle perdidicit, qua in exercitatione dum verſatur, Præſidum voluntate jubetur domui præeſſe. Porro antequam Magiſtratum adiret, aliquid intervenit a moribus noſtris maxime alienum: Rectori ſe novo quiſpiam opponere auſus eſt, ac dicere: Didacum jure Rectoratum non capeſſiturum, priusquam provinciæ Præſes mentem ſuam clarius aperiret; videri enim verbis ambiguis in demandato munere uſum. Didacus importunam interceſſionem non modo tranquille ac permodeſte tulit, verum etiam palam profeſſus eſt: nihil optatius ſibi fore, quam ejus muneris onere exſolvi. Relicto ſubin-

de, qui ſe abſente domum gubernaret, Vicario, atque aſſumptis Didaco Martines, & Gonſalvo Holquino Sociis (dum Provincialis abſens conſulitur) ad Aracaxenſem, & Camatenſem regionem proficiſcitur, quo Chuni præcipuæ feritatis ethnici, mercatum itare ſolent. Hos inter Apoſtolicis artibus eatenus profecit, ut permultos munuſculis expugnatos, tum rite inſtitutos, ſacratioribus undis perfuderit. Præſtigiatores quinque a ſceleratiſſima impoſtura retraxit, idola paſſim demolitus eſt, & ſalutare crucis ſignum erexit, ut omen eſſet Religionis in eas terras invehendæ. Plura paranti Provincialis literæ redduntur, quibus damnata temerarii interceſſoris molitione, jubetur quamprimum officium capeſſere, non ſine amica reprehenſione, quod ſe inconſulto, tam arduam expeditionem ſuſcepiſſet, tantisque in barbara gente periculis ſe objeciſſet. Adito Rectoratu: Indos huc illuc oberrantes in unum colligi, ac probe edoctos rudimenta Fidei, ſacro fonte expiari jubet. Ad Condeſuiſenſes profectus ipſe, plurimos ad ſalutares aquas allexit. Julidis ſedem, quam deſerendam nonnulli putabant, enervatis adverſariorum rationibus, ſtabilivit. Primus, accepta a Majoribus poteſtate, Parochorum officia certis legibus definivit. Chuquiabenſem Epiſcopum, Societati non undique benevolum, nihil jure agendo, quod alii volebant, verum modeſtiæ artibus Ordini noſtro conciliavit. Qua de re monitus Claudius Aquaviva Generalis, per literas ei gratulatus eſt, ac ſummopere ſibi placuiſſe eam agendi rationem ſignificavit, e ſchola Xaveriana depromptam; plus enim placida lenitate, quam juris tumultu, & obſtinatis litibus apud Illuſtres Viros profici. Ob rem Julide per ſexennium cum laude geſtam, ab Senatu Regio Procurator Indorum renunciatur, a quo tamen munere, quod obnoxium invidiæ eſſet, abſtinuit. Ad comitia provincialia profectus, intellexit, apud Patres congregatos accuſationem adornatam eſſe, atque ambitus ſe poſtulari, tanquam Rectoratum Julidis prorogatum ſibi vellet. Cauſa ſeveriſſime pertractata, omnium calculo damnata eſt leviſſimi accuſatoris temeritas, Didacus abſolutus. Delator prætereà (Didaco fruſtra deprecante) ab Claudio Generali injunctam pœnam religioſe ſubiit, ac deinceps utrinque certatum eſt ſummis amicitiæ officiis.

Caput Sextum.

Cuſcenſis Collegii Rectorem agit.

Regimine defunctus Julide, Cuſcenſi Collegio gubernando admovetur. Cuſcum Regia Ingarum ſedes, Solis templo, quem gens colebat, olim celebre, atque ante Hiſpanorum adventum, immenſa auri argentique mole conſpicuum. Mutatis Dominis, cultum auxit; namque pro uno ſacrilego fano, Regiaque barbarice extructa, Epiſcopale palatium, elegans ac magnificum, princeps tem-

Templum ornatiſſimum, Religioſæ domus, privata publicaque ædificia ſplendide caput attollunt. In hac urbe, ſub principium inſtitutæ Peruanæ provinciæ, Societas Collegium nacta eſt, cujus regimen, anno præterlapſi ſeculi octogeſimo nono iniens Didacus, tripartite curas diviſit: in domeſticos, Hiſpanos, atque Indos; præter communia numeroſæ domus miniſteria, quaquaverſum, ut uſus tulerat, excurrebat, idem per viculos & amplæ urbis vias diſſeminabat doctrinam Chriſtianam, accubabat ægrorum lectulis in Xenodochio, parthenias Sodalitates abs ſe erectas divinis ſermonibus informabat, reorum carceres per orbem obibat, odioſiſſima quæque miniſteria complexus accurabat ſolertiſſime. Quod quia cum ſumma urbanitate factitaret, tantum ſibi laborum cumulum impoſuit, ut prope fatiſceret. Neque defuit Viro invictum robur, & maſcula acrimonia, cum id rerum vices depoſcerent: ſacri quidam homines, famoſos libellos contra Societatem vulgaverant, quos criminis compertos, cum patientiæ ac lenitatis artibus nihil flecteret, ad Peruviæ Proregem detulit accuſationem, ac demum Epiſcopi, Judicis, Conſervatoris authoritate compeſcuit. Illud mirabile: cum forte vitia urbis notoria, pro concione ſeverius exagitaret, comminatusque eſſet, niſi reſpiceret, peſte cœlitus immiſſa mox caſtigandam; deriſus palam eſt ab Ordinis cujusdam Prælato, tanquam anilibus terriculamentis Senatum populumque percellere, atque in officio continere niteretur. Ecce vero cavillator ille cum cæteris Monaſterii Religioſis, eadem ipſa die peſte corripitur, docuitque: neque DEUM, neque DEI Miniſtros uſpiam impune ludibrio haberi. Rector vero immemor injuriæ, Religioſos eos Viros, adhibitis corporum, animorumque remediis ſolicita charitate procuravit. Atque hæc inter Hiſpanos. Quæ ad Indos pertinent, paria ſunt: miſſis quippe ad Aimarras, Vilcanos, & Condeſuiſenſes operariis, complures ab idolorum cultu atque ſalutis periculo vindicavit: Extremæ Unctionis uſum renitentibus Parochis induxit: peſte barbarorum præcipue corpora depaſcente, deſertiſſimum quemque ingeſtis in os cibis, tum animarum levamentis mirum in modum juvit: nihil usque adeo tetrum ac triſte objiciebatur ſenſibus, quod in viliſſimorum capitum gratiam, non contrectaret oculis, manibusque. Barbari duo peſte afflati, ex fœdis ulceribus, & purulenta ſanie tantam mephitim exſpirabant, ut nemo prope conſiſtere poſſet. Didacus Rector nihil refugit eorum mapalia ſubire; tamdiu omni opportuna ope adeſſe, donec animarum rationibus rite confectis, pene in ejus oculis morerentur. Collegium præterea ſuum, ædificiis, cenſibus, pretioſis Templi ornamentis ditavit. Demum poſt ſeptennium ad Quitenſe Collegium regendum translatus eſt.

CA-

Caput Septimum.

In Rectoratu Collegii Quitenſis multa agit memoria digna.

QUito cognominis regni caput, Ingarum itidem quondam Regia, Anno 1534. ab Hiſpanis coli cœpta eſt. Ac quanquam ſub Æquatore poſita ſit; deliciarum abundantes inter, ac ſplendidas novi orbis urbes habetur. In hanc Balthazar Pinna Anno 1586, Peruviæ Provincialis cum eſſet, Sociorum coloniam primus invexit, ac rexit. Quoniam vero quingentis ferme leucis a Peruviæ urbibus abeſſet, nec poſſet a Præſide provinciæ de more coram inſpici; exigebat Rectorem ipſi Præſidi provinciæ parem. Adde: quod ſub idem tempus Quitenſium plerique, novorum vectigalium metu in armis eſſent, atque omnia civili tumultu miſcerent. Regis partes tuebatur Senatus Regius, & Petrus Arana Archithalaſſus cum centuriis aliquot. Marchio Canietenſis urgebatur nunciis, ut auxilia properaret. Hoſtes feroces minas ſpargebant, ut minime dubitaretur rem in apertum, & diuturnum bellum erupturam. Hic ſtatus Quitenſis urbis erat, cum Didacus Torres gubernacula capeſſeret. Luculentum facinus edidit primis initiis; etenim Ducem adverſarum partium, cum quingentis ſclopetariis, appoſita oratione expugnavit, & ad Regias partes traduxit. Deinde ad divinum auxilium ſolicitandum converſus, inſtitutis ſuppliciis, ſevere Sociis interdixit, ne ullo pacto ſeditioſis aſſentirentur, publice ac privatim, conſtitutiones Regias, etiam cum capitis periculo propugnarent. Cum tumultus novas in dies vires ſumeret, ac præterea Collegii Rector ad necem quæreretur, propterea quod fama ferret, eum ipſum capitale decretum a Prorege miſſum attuliſſe; imperterrito animo in lucem prodiit, atque adverſum ora octingentorum hoſtium, tanquam pro concione aſſurgens, adeo fortiter peroravit, ut dicendi vi, plerorumque pectoribus concuſſis, geminos e præcipuis eorum Ducibus cum Senatu conciliarit; horum exempla ſecuti deinde civium plurimi, periculoſo negotio ſe ſubduxerunt, atque in verba Regis jurarunt. Cum tertium ſubinde ſeditioſorum Ducem Didacus ab partibus abſtraxiſſet, tanta Regiis copiis acceſſio facta eſt, ut jam paribus utrinque viribus prælio decernere luberet. Hic enimvero Didacus intervenit, ac Regiis author fuit, ut ſuſpenſa tantiſper pugna, moras necterent, reliqua curæ ſuæ fore: interea retractis aliis, aliis interceptis tumultus authoribus, adeo hoſtium robur infirmavit, ut pertæderet certaminis, plebs abjectis armis, ſenſim difflueret, demum civitas univerſa, commutato conſilio, vectigalia ultro admitteret. Prorex Peruviæ deprecante Rectore multitudini pepercit, feſtinatiſque ad Regem literis, Didacum exquiſitiſſimis encomiis ornavit, cujus authoritate, conſilio, bonis artibus, ſeditio omnis, ſine vi, ſine ſanguine civium compoſita eſſet. Tanti vero hanc rem Rex Catho-

Catholicus fecit: ut per literas ex Eſcuriali Sancti Laurentii Anno 1594. ſcriptor (quarum exemplar apud me eſt) ei pro fide, zelo, amore, grates agere non dubitarit, mirifice collaudata opera, quam ut porro commodaret Senatori (qui ad reliquas controverſias componendas ab ipſo juſſus eſt properare) rogavit.

Caput Octavum.

Potoſino Collegio præeſt, & alia munia obit.

SUbinde Didacus Torres ab Joanne Sebaſtiano Parricio Provinciali in Socium adlectus; interjecto tempore, ab eodem, Potoſino Collegio, cum Vicaria Provincialis per eum terrarum tractum poteſtate, præficitur. Quo in officio Chusquiſacenſis Senatus Præſidem cum urbe graviter diſſidentem, communi bonorum omnium gratulatione compoſuit. Ad condendum, ornandumque Templum, centum & viginti aureorum millia civium liberalitate accepit. Cenſum ſexcentorum aureorum, annuatim a Janitore Collegii ad mentem Rectoris diſtribuendorum inſtituit. Tres in rebus externis adjutores, ob pertinacem Sacerdotii ambitum a Societate dimiſit: quorum unus mox poſt adeptum Sacerdotium, elephantiaco morbo correptus, antequam ad aram Neomyſta faceret, miſere periit. Alter ad ſacros ordines in Tucumaniam properans; mula, qua vehebatur obtritus, documento fuit, quam tutum ſit ſua ſorte contentum vivere. Inſtitorem Potoſinum in Societatem admiſit: legerat is in Thomæ de Kempis libello ſententiam, qua de incertitudine vitæ admonebatur; hanc cum altius in animum recepiſſet, adeo res fluxas, periturasque faſtidivit, ut relictis ſine mora mercibus, ne occluſa quidem officina, verba lecta repetens ad Didaci pedes ſe abjiceret, neque prius ſurgeret, quam Societati auctoraretur. Trigeſima is ab inita Religione die moriturus aſſeruit: incredibili ſe gaudio perfundi, quod mortis tempeſtas ſecuro in portu paratum exciperet. Triennio Potoſii exacto, Peruviæ Viſitatori Stephano Paëz comes additus, ſaluberrime ſuggeſſit, ut Provincialem pariter in comitatu haberet, cum Collegia luſtraret; namque inde factum, ut ſingularia præſcripta ſtabilirentur domiciliorum uſibus opportuna.

Caput Nonum.

Peruanæ provinciæ Procurator multa agit in Hiſpania.

ANno 1602. Peruanæ provinciæ Procurator dictus, claſſe Regia ferebatur in Europam, facto ad Gaditanum fretum cum Anglis prælio, crucem manu prætendens, claſſiarios pluentibus undique telis fortiter animavit. Madriti liberali admodum bene-

benevolentia, ab Rege Catholico, & Duce Lermæo exceptus, cum juberetur ob operam utrique utiliter præſtitam, mercedem quam vellet, depoſcere, id unum flagitavit, ut Rex authoritate interpoſita apud Clementem VIII. ſummum Pontificem negotium urgeret, quod de Ignatio Patre noſtro inter Beatos referendo, nec non quod de controverſiis auxiliorum id temporis tractabatur. Illud præterea obtinuit, ut quinquaginta Ordinis noſtri homines, ſumptibus Regiis ſecum in Americam Auſtralem navigarent. Ab Regio Senatu rogatus: num armata manu in ethnicorum terras, Fides Chriſtiana induci poſſet? repoſuit: hanc Religionis defenſionem, cum Apoſtolorum moribus ac inſtituto non congruere. Illud ſingulari memoria dignum, quod Romam petenti evenit. Provehebatur e Burgenſi urbe, & partem itineris confecerat, cum mula repente ſtat. Acta verberibus, ut procederet, ne veſtigio quidem ſe promovit, donec in urbem regreſſus uni e noſtris, Indicæ Miſſionis candidato, qui ex verecundia cum eo de Indica vocatione non egerat, fidem daret, acturum ſe cum Generali, ut ſecum in Indiam navigaret. Data ſponſione, mula eum Romam vexit, revexitque in Hiſpaniam. In Aquitania Martini Gutierez inter noſtros clariſſimi Viri oſſa, diu multumque quæſita, poſtea Valliſoletum abs ſe tranſlata, ſumma felicitate recuperavit.

Caput Decimum.

Item in Italia.

Quantam porro ſibi in Italia laudem pepererit dictu difficile eſt. Certe Claudio Aquavivæ Generali, & Clementi VIII. ob ſingularem agendi dexteritatem, ac cæteras animi dotes, mirifice probabatur. Unde factum, ut omnia facile pro ſua voluntate conficeret. Summum Pontificem in Profeſſorum domo familiariter aliquando pranſum, ubi pedes oſculo veneratus fuiſſet, panegyrica dictione dilaudavit. Prudenterque commemoravit fore, ut ea Pontificiæ benevolentiæ ſignificatio, non parum retundat inſolentiam hæreticorum; qui ſuboffenſum Societati noſtræ Clementem ſuſpicabantur, gratulabanturque. Cubiculum Sancti Patris noſtri Ignatii pretioſis tapetibus, nomine Peruanæ provinciæ primus ornavit. Eapropter a Claudio Aquaviva lypſanotheca pectorali donatus, quæ dentem unum, & chirographum Ignatii continebat. Hujus virtutem experta dein Rhegii energumena fuit. Infeſtabatur hæc biennium jam ab ſtygio hoſte; ſacrarum exuviarum contactu repente ſalvam ſe liberamque ſenſit. Baronium Cardinalem ſcripto jurejurando firmato de ſtatu Hiſpanicæ, ac Indicæ Societatis edocens, ingenti emolumento fuit ad technas malevolorum eludendas. Ferebat id temporis rumor, Claudium Aquavivam in Archiepiſcopum

ſcopum Neapolitanum electum iri, qua re Societas non parum angebatur; metum ſuſtulit idem Cardinalis, qui ſecreto Didacum docuit, id neutiquam futurum, propterea quod fœmina ſanctitatis fama inclyta, Clementi VIII. indicaſſet, id DEO placitum non eſſe. In Urbe, varias Divorum exuvias in novum orbem transferendas, dono accepit. Cum in æde Lauretana ex animi pietate (annuente Cardinale Protectore) pernoctaſſet, tum præcipue imbutus fertur deſiderio, eandem pietatem per Auſtralem Americam latiſſime propagandi. Mediolani Federicus Cardinalis Boromæus tanti Virum fecit, ut conſcientiam totius vitæ, & maxima pectoris arcana, ipſi patefaceret, manum de genibus venerabundus oſcularetur, & ingentia quæque negotia, ſeu cum Rege Catholico, ſeu cum Archiepiſcopo Toletano, ſeu cum Lermæo Duce, aliisque Hiſpaniæ Magnatibus tractanda, ipſi committeret. Certe extant apud me hodiedum ejusdem Cardinalis literarum exemplaria, quibus præter alia ſummæ benevolentiæ teſtimonia, ſignificat: ſe, ſi ad ſummum Pontificatum eveheretur, procuraturum, ut e quovis mundi angulo, ſui ſolatii ergo accerſeretur.

CAPUT UNDECIMUM.

Et rurſum in Hiſpania.

IN Hiſpaniam redux, ejusdem Cardinalis nomine, Philippo III. Regi, cilicium Caroli Boromæi; ſacram vero veſtem Margaritæ Reginæ obtulit, id precatus: ut uterque ſuam authoritatem, ad Caroli Apotheoſim ab Clemente VIII. obtinendam interponeret. Nec minus in eadem cauſa elaboravit pro Franciſco Borgia, commemorato ſanguinis titulo, & adjecto ſacro munuſculo, de veſte, quam Borgias ipſe perhibetur conſuiſſe; valuitque donum præcipue apud Lermæi Ducis conjugem. Ab hoc quippe Duce poſt familiare prandium, ſingularia benevolentiæ argumenta perſenſit, eodemque annitente, offenſionem Regis Catholici, a quibusdam Ordinis noſtri hominibus, ſumma prudentia avertit. Sanxerat lege publica Carolus V. ne quis non Hiſpanus in Indias ſolveret. Societatis quoque homines ea ſub lege arceri volebant alii: at effecit apud Senatum Regium Didacus, ut Miſſionarii noſtri, utpote animas, non aurum in India quæſituri, huic edicto eximerentur. Author fuit præterea, ut impenſis Regiis erigeretur Seminarium, in quo Caſiquiorum Peruvianorum filii, longe a parentum vitiis ingenue educari, inſtituique poſſint. Illo referente, cum Rex cognoviſſet, defectu olei in multis Neophytorum Templis Venerabile Sacramentum non aſſervari, dedit diploma, quo in omnibus Indiæ Templis Regio ære lampades cohoneſtando Chriſti corpori alerentur. Ut Margarita Regina mentem adjiceret ad Salmanticenſe

Collegium, pro ſubſidio Indiarum dotandum; ipſe per ejus conſcientiæ moderatorem primus fecit. Ut Æthiopibus per univerſam regionem, in ſingulis Hiſpanorum oppidis, ſeparati ab aliis Sacerdotes Parochi conſtituerentur, Regi perſuaſit. Lermæus Dux honorariis literis Didacum noſtrum in Indiam renavigaturum, Peruviæ Proregi commendavit; monens, ut eum multa ab Rege mandata perferentem benigne audiret. Sed nuſquam Viri tanti virtus magis inclaruit, atque hac in re, quam narrabimus. Conſcenderat jam Regiam claſſem cum ſexaginta ſubſidiariis, omni ex Europa collectis; interim Socius Ariaga, res ſeu a Principibus dono acceptas, ſeu pro Collegiis Peruviæ, magno ſtudio coemptas, in cymba advehit, at enim ſerius, quam oportuit. Itaque eo non expectato, claſſis in altum vela facit. Ariaga cum rebus omnibus, inſequentis anni navigationem Gadibus præſtolari cogitur, ipſe Didacus nullis omnino rebus inſtructus in Peruviam renavigare. Is caſus, ne ſuſpirium quidem aut queſtum elicuit magnanimo Viro. Tarditatem, penuriam rerum omnium, eo animo, eo vultu tulit; tanquam ad alium hæc calamitas pertineret, grandem virtutem non abs re ſtupentibus ſingulis.

CAPUT DUODECIMUM.

Quitenſem Societatis JESU provinciam fundat.

IN Indiam appulſus, Claudii Aquavivæ voluntate, Carthagine nova, domum Societati erexit, eique Michaelem Perlinum præpoſuit. In urbe Sanctæ Fidei, quæ Granatenſis regni Metropolis eſt (miſſo cum Sociis quatuor, Antonio Funes viro impigro) domicilium locavit. Limam ſubſidiarios Socios invexit, & Peruviæ Provinciali tradidit. Ad Quitenſem provinciam, quæ Carthaginem novam, & Pananæ tractum, cum novo Granatenſi regno complectitur, admiſſus, omnia in proclivi habuit. Quitenſe Collegium, aliarum ſedium caput, (inducta ſtudiorum ratione) conſtituit. In Bogotenſi Sanctæ Fidei urbe, Partheniam Sodalitatem nobilium Virorum, ipſo Joanne Borgia, Beati Franciſci Borgiæ Nepote, & regni Præfecto, Protectore ſtabilivit. Curam Seminarii adoleſcentum, quod Bartholomæo Lupo Gverrero adnitente fundatum eſt; Societatis nomine ſuſcepit. Monaſterium Thereſianis ſacris Virginibus poni curavit. Indos lingua Hiſpanica doceri ſolitos, procurata catecheſeos verſione, vernaculo idiomate ut inpoſterum noſtri erudirent, pro ſuo imperio edixit. Concilium provinciale, authoritate, atque conſilio ſuo magnopere juvit. Quid porro in reliqua provincia regenda, ſtabiliendaque, pro Æthiopum Indorum, ac Hiſpanorum emolumento, pro ornanda Societate noſtra, pro augendo ſummi Numinis cultu egerit: quæ pericula terra, marique exantlarit? quas ethnicorum regiones per ſe, aut per Socios in Pananenſi,

nenſi, Carthaginenſi, Novogranatenſi, & Quitenſi latiſſimis regionibus ad Chriſti partes ſolicitarit? alii pro dignitate (nam alterius molis opus eſt) enarrabunt.

Caput Decimumtertium.

Ad fundandam Paraquarienſem provinciam proficiſcitur.

Biennium expleverat in digerendis, ac ſtabiliendis novæ Quitenſis provinciæ domiciliis, cum literæ Claudii Aquavivæ afferuntur, quibus ampliſſima ei poteſtas fiebat, ut ſatageret, maturaretque etiam, ad Paraquariæ provinciam a cæteris dividendam. Igitur Quitenſi regno relicto, Limam proficiſcitur, ut cum Peruano Provinciali in commune conſultet. Ab hoc Claudii Generalis voluntate duodecim Socios accipit, quos ardenti appoſitaque oratione, & inprimis exemplo ſuo permovit, ut ſe Divi Ignatii exercitiis, & totius vitæ noxarum expiatione, ad arduum ſexcentarum leucarum iter, & Apoſtolicam expeditionem compararent. Mediam Sociorum partem Didaco Gonſalvo Holguino, Socio ſuo, tradidit, ut eam coloniam mari in Chilenum regnum deferret. Ipſe cum reliquis terreſtri itinere tetendit; itineris ſubſidio ex ærario Regio accepto: Cuſci, Julide, Potoſii (quibus locis Rector erat) obviam effuſa multitudo adventantem peramanter ſalutavit, & liberaliter accepit. Chuquiſaca iter proſecutus, ſuperatis ægerrime ſinuoſis Peruviæ montibus; Omaguacas Societatis laboribus claros, Aimarra lingua uſus, partim ad Fidem capeſſendam, partim ad retinendam animavit. Cucuiſenſe, primum Tucumaniæ oppidum cum tenuiſſet, ſub finem Anni 1607. cives aderant, ſeque ſuasque facultates offerebant ad Templum & congruum Societati domicilium ponendum. Didacus, ne in aditu provinciæ copiolas ſuas diſtraheret, neve animos civium repulſa percelleret, ſpem fecit, ut creſcentibus rebus eorum votis fieret ſatis. Idem ſaltenſibus Hiſpanis cum ſpopondiſſet, tandem menſe Decembri Tucumaniæ Metropolim, magna Epiſcopi, Prætoris, Hiſpanorum, Indorumque gratulatione invectus eſt. Præſentia tanti hoſpitis capta Neophytorum *confraternitas*, ſupplicationem celebratiſſimam indixit, quam cohoneſtavit Provincialis ipſe, manu crucem præferens, catechiſmum in verſiculos digeſtum præcinens, tanta omnium approbatione, ut Prætor, Magiſtratus, frequensque Nobilitas, ad eum honoris cauſa certatim concurreret. Cum de Seminario Clericorum in ea urbe collocando ageretur, & Epiſcopus curam Societati deferret, Didacus Torres unum de Sociis interea præeſſe juſſit, negotium porro omne ad Generalem Præpoſitum retulit. Congregationem ſub titulo Annunciatæ Virginis, Primoribus civium in Album relatis erexit. Cura tum ad domeſticos converſa, Socios graviſſimis verbis allocutus, majorem in

modum hortabatur: meminiſſent quibus terris viverent, quam ſcopuloſo loco verſarentur, ſua etiam confirmatæ virtuti eſſe pericula; ſenſus proinde arcte contenteque haberent, in primis oculorum cuſtodiam commendabat. Rebus in Eſterenſi urbe conſtitutis, ſedeque Societati poſita; Cordubam, novæ provinciæ caput futuram, feſtinavit. Oppida omnia prætereuntem ſalutarunt, multa amoris ac grati animi ſignificatione, gratas & ipſe vices reddidit, diſperſis quaqua ibat inter Indos munuſculis. Cordubæ Tyrocinii domum e fundamentis eduxit, & mox prima Comitia provincialia indixit.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Geſta ab eo, primo fundationis provinciæ triennio.

LOcus Comitiorum erat urbs Sancti Jacobi, regni Chilenſis Metropolis, quæ a Corduba centum quinquaginta leucis abeſt; huc Didacus Torres provinciæ & Comitiorum Præſes, cum pauculis quatuor vota profeſſis, magnis itineribus cum veniſſet, initium rebus fecit. Electus primus Procurator eſt Joannes Romerus: Huic Patrum nomine literæ conſignantur ad Regem Catholicum, & Claudium Generalem, quibus ſupplementa Sociorum poſtulabantur; datumque Romero in mandatis, ut itinere ſuo Romano, in urbe Boni aëris Collegii fundamenta jaceret, quod is auſpiciis omnibus fecit. Solutis Comitiis, Præſes in Chilenſi noſtra domo primum, deinceps in aliis, Sacella Lauretanæ Virgini poſuit, ac pro viribus ornavit. In Araucana arce, Horatii Bechii, & Martini Arandæ opera provinciam domicilio auxit. Chiloenſes inſulas, Melchiore Vanega, & Joanne Baptiſta Ferrufino, primis Inſtitutoribus ſede occupavit. Chilenis montibus remenſis Mendozam delatus eſt; cives Societatem recipere detrectabant, horum Didacus (accomodata rebus ac tempori oratione) ita animos demulſit, ita conſilia commutavit, ut quam aſpernabantur, expetendam omnino Societatem putarent; igitur ſpretis paucorum odiis, urbe ac domicilio donati ſumus. Hæc cum impetraſſet, expeditionum Apoſtolicarum tempora, ac ordinem permagno earum terrarum uſu diſtinxit. Ob exagitatum *ſervitium perſonale* & aſſertam Indorum libertatem, malevolentia multorum petebatur, non modo in Chilenſi regno, ſed & Cordubæ apud Tucumanos, alibique; tantumque invidia potuit, ut Eſterenſem domum ad tempus deſerere oportuerit, atque ſtationem cum S. Michaelis urbe commutare; unde deinceps ad Calchaquinos ethnicos procurſiones Apoſtolicæ fierent. Conceptionis urbem per deſertam octoginta leucarum planitiem petens, antequam contingeret, literas a Magiſtratu accipit parum ſane officioſas. Namque iis aditu loci arcebatur; id vero prætendebant cives, permetuere ſe, ne Indos ab ſolitis ſervitiis averte-

ret. Didacus porro ne diſſimulatione malum creſceret, tantæ inurbanitatis authorem, per legitimum Judicem compreſſit, urbemque ingreſſus, Magiſtratum luculente docuit: nihil quidquam ſe, ſuosque moliri adverſum Catholici Regis placita, non invidere ſe urbi ſua compendia, non repugnare ſeu jure æquo debitis, ſeu mutua voluntate depactis Indorum ſervitiis; id unum pervelle, ut ne nimio pondere opprimantur. Mox Jubilæum promulgavit: tantumque in publicis privatisque congreſſibus placuit, ut odio in amorem verſo, Hiſpani omnes, conſcientias ſuas apud eundem, ac Socium deponerent. Recurrebat interea Frontonum ethnicorum miſeranda ſors, nulla adhucdum Evangelii luce colluſtrata; item Abipones, Mataguæ, Naticæ, Mogosnæ, Tonocotani, & gentes aliæ, Sacerdotum inopia dæmonum ſervituti miſere mancipatæ. Et ag-gemebat identidem, & jam ea conſilia volutabat, ut Americam relinqueret, ventis in Europam ferentibus vela daret, Academias per orbem circumiret, omnes commiſeratione tot populorum commoveret; ſed enim ſua arduitate conſilium hoc, ultra vota pia non profecit. Ex urbe igitur Conceptionis ſecundo Rubro flumine, & Paraquario adverſo, ad Paraquariæ Metropolim contendit, ut illic cœpti Collegii res foveret, ſtabiliretque, deinde vero ad Gvaicuræos, Paranenſes, & Gvairanos, abjunctiſſimos a ſe invicem populos excolendos, opportunas expeditiones ſuſcepit. Quod per Patres ſolerter fit; in Gvairania duabus ſedibus provincia aucta eſt, apud Gvaicuræos una, item una in Paranenſi regione.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Sequenti quadriennio in fundatione provinciæ ab eo geſta.

HIs triennio perfectis, ſecundo Paraquario, & Argenteo flumine ad portum Boni aeris proficiſcitur. Illuc contenderat & Joannes Romerus Procurator; quæ ex Europa advexerat, Sociorum ſubſidia Præſidi provinciæ traditurus. Didacus auctus copiolis, nutantem iſthic Societatis ſedem affirmavit. Franciſcum a Valle ad Sanctæ Fidei urbem dimiſit, ut alteri domicilio fundando vires, animumque admoveret; advenas ipſe Cordubam Tucumanorum, literis & omni virtute informandos deduxit. Cordubenſem ſedem in totius provinciæ caput deſignavit. Academicis noſtris, ut exempla proponeret; ſæpe abrupta montium, reductas valles, Indorum disjectos pagos, Apoſtolico ſudore madidus pererrare viſus eſt; domi ab ipſis virtutum incunabulis, ad ſolidam probitatem, vitæque ſanctimoniam verbo & factis viam commonſtravit. Ad alendos procurandosque Miſſionarios veſtium ſupellectilem, rem penuariam, viaticum, rem librariam, vaſa ſacra, cæteraque domus DEI ornamenta, ſumma contentione animi curavit. Neque vero interea ſinebat elabi memoriam Sociorum in ultimis

terra-

terrarum oris deſudantium, quos benevolentiſſimis literis ad ardua quæque audenda inflammavit: denique ſtabilita abs ſe domicilia precibus, monitis, vigilantia, prudentia ita tuitus eſt, ut incrementa pariter ac ornamenta acciperent. Rebus in Tucumania ſic ordinatis, ad Mendozinam urbem, regni Chileni appendicem, abiit. Hic cum Joannem Paſtorem ſedi præpoſitum in lacera, & pæne nulla veſte reperiſſet; detracta ſibi tunica donavit. Sacerdotem exterum, qui in unum e noſtris, turpiſſimæ notæ calumniam ſparſerat, falſitatis liquido convictum, per Judicem Conſervatorem, e Dominicano Ordine, ita repreſſit; ut turbulentus homo, officii privatione, & (ne exemplo officeret) exilio præterea fuerit mulctatus. Tum domus Mendozinæ, & expeditionum barbaricarum, per provinciam Cuioenſem inſtituendarum, rebus diſpoſitis; rurſum altiſſimorum montium juga tranſcendit, & in interiora Chileni regni penetravit, in cujus Metropoli, flagitante Senatu Regio, & urbis Magiſtratu, Nobilium adoleſcentium Seminarium excitavit. Suburbanas excurſiones inſtituit, literarum ſtudia ſuo ordine digeſſit, & ſtabilivit. Jamque latius prolata cura, ad Chiloenſes, & Araucanos ſinceræ Religioni devinciendos, animum convertit, Sociis maxime idoneis ad eas provincias expeditis. E Chileno regno in Tucumaniam regreſſus, Prætore poſtulante, Joannem Darium & Didacum Boroam ad componendos Diaguitas, de quorum novis molitionibus renunciabatur, proficiſci juſſit; eſtque Patrum felix opera mire collaudata. Franciſcum Alfarum Senatorem, & Inſpectorem Regium in Paraquariam ſecutus; magnopere Reipublicæ profuit, Indorum inprimis libertate vindicata. Novis Sociis in Gvairaniam, Gvaicuræorum regionem, & Paranenſem tractum immiſſis; ad Tucumaniæ Metropolim, ubi magnis conatibus Societatis reſtitutio urgebatur, trecentarum leucarum itinere contendit. In reddito nobis domicilio Eſterenſi, ita rem tractabat, ut, cum reipſa daret; beneficium accepiſſe videretur. Eadem in urbe Seminarii Nobilium curam Societatis nomine complexus eſt. In Chilenum regnum tertio delatus, Ludovicum Valdiviam, qui tum grandia moliebatur, inſiſtebatque Araucanis domandis, omni ope adjuvit, eidem Horatium Bechium, & Martinum Arandam, in rebellium terras poſtea ſe penetraturos addidit. Obortas hac Sociorum expeditione calumnias, religioſiſſime ſprevit. Quin repreſſa invidorum malevolentia, clariſſimam famam reportavit. Didaci enim auſpiciis, Valdiviæ opera, Regis Catholici munificentia, in iisdem rebellium finibus quatuor Societatis ſedes capita extulere. Chileno regno decedens, quadringentarum leucarum itinere confecto, Paraquariæ ſe reddidit; domicilia apud Gvaicuræos, & Paranenſes poſita cum luſtraret, & in præſentem rerum Paranenſium faciem intuitus eſſet; collaudavit divinam bonitatem, quæ de lapidibus, filios Abrahæ ſuſcitarit! Converſus ad egentiſſimam plebem, tanta eſt miſeratione commotus, ut itinerariam ſupellectilem: pallium, papilionem, mantilia & id genus

genus alia, in eorum commoda diſpertiverit. In Socios, quorum haud luculentior erat conditio: jumentum, quo ferebatur, linea laneaque velut ſtipem erogavit. Rocho Gonſalvio Iconem pictam B. Virginis, quam bono omine populorum debellatricem appellavit. Ad Gvaicuræos cum perveniſſet, gentis Ducem, cujus filium Chriſtianis præceptis rite imbutum ſalutari fonte perfuderat, ad Fidem capeſſendam hortatus eſt. Paraquariæ Metropolim reviſens, Patres varia munuſculorum largitione recreavit, Templique ſacram ſupellectilem auxit; impenſis in hæc mille tercentum aureis. Tum ſumma celeritate Cordubam Tucumanorum petiit, ut in tempore adeſſet ad Comitia provincialia cogenda. Electo in Procuratorem Joanne Viana, & admiſſa Gvarambæorum cura, confectisque variis itineribus, tandem ſub finem anni milleſimi ſexcenteſimi decimi quarti, literas Claudii Aquavivæ Præpoſiti Generalis accipit, quibus fundatæ abs ſe provinciæ Paraquarienſis curam in Petrum Oniatum transferre jubetur.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Status provinciæ Paraquarienſis ab Didaco Torres fundatæ.

DIdacus Torres in fundanda Paraquarienſi provincia ſeptennium exegit, ſolicita cura, improbo labore, ſecundo rerum eventu. Si quis res ab eo geſtas, itinerum curſus, quos confecit, terræ molem quam amplexus eſt, reputet, ægre in animum inducet ſeptennio congruere. Cum provinciam auſpicatus eſt, quaternos Socios, totidemque ſedes reperit; cum officiis decederet: centum & unum in novemdecim Stationibus Succeſſori reliquit. Ac ut dixi, quis credat tantillo tempore, tantillis copiolis, tres ampliſſimas provincias, quæ in longitudinem octingentis, & quinquaginta leucis procurrunt, & item utrumque mare: Athlanticum videlicet & Pacificum, continenti velut domorum ſerie connecti potuiſſe? Chiloenſes ultimi ferme terrarum populi, perpetuum Societatis domicilium accepere. In Araucanorum rebellium finibus ternæ ſedes poſitæ. In Chileni regni Metropoli Collegium ac Seminarium ſurrexit. Mendozæ ad Chilenorum montium radices, domicilium in ſpem Collegii idcirco ſtatutum erat, ut Chilenſe regnum cum Tucumania conjungeretur. Cordubæ in Tucumania: Collegium, Tyrocinium, Convictus. In Metropoli: Domus & Seminarium. In S. Michaëlis urbe: ſedes una fundata. Portus Boni aëris altera ſede occupatus, ſtabilita in Sanctæ Fidei urbe domo; Tucumania Paraquariæ commiſſa eſt. Ad hæc: Collegium Aſſumptionis in quatuor Indorum regionibus, totidem ſibi obnoxias accepit Societatis domus. Atque ſic in immenſam prope terrarum amplitudinem, Didacus Torres Societatem exporrexit.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Cordubæ & alibi multa agit memoratu digna.

A Petro Oniato Succeſſore, Præpoſiti Generalis voluntate, Collegii Cordubenſis Rector renunciatur. Quo in munere, Patris ſuaviſſimi & vigilantiſſimi Præſidis, omnes numeros implevit, ac domi, foriſque eam charitatis & prudentiæ laudem conſecutus eſt, qua non niſi ſummi Viri ornari ſolent. Cum Cordubæ ſuis conſiliis & incunabula Monaſterii & Inſtitutum Thereſianarum Virginum jam belle promoviſſet, ac permoleſtæ in progreſſu ſubortæ tricæ eſſent, tam dextere evolvit omnia, ut quæ inſtituerat, a Federico Cardinali Boromæo probarentur, & ab Paulo V. Pontifice maximo confirmarentur. Federicus hic anno 1617. præclara largitione rebus Paraquariæ provinciæ ſuccurrit. Sacras de viſceribus D. Caroli Boromæi Reliquias auro argentoque incluſas, dono miſit. Statuamque ejusdem Sancti; præcipui per Italiam ſculptoris opus. Tabulas aliquot mira arte & elegantia pictas. Viginti calices auro illuſos. Aras quoque permultas, & corollas Marianas, pluraque alia id genus, quæ omnia ad Didacum Torres perferenda dederat cum literis, ut his adminiculis, Fides creſceret, cultus Virginis Sanctiſſimæ, Divique Caroli (ad cujus genus ſe Federicus referebat) honor augeretur. Hæc cum accepiſſet, in Peruviam dimittitur, ad æs corrogandum numeroſo Collegio alendo. Per iter, Eſteci, Societatis ſedem Provincialis nomine confectis legitimis tabulis admiſit. In Peruvia, a Prorege ſexcentos aureos annuos, pro inſtituendis in Calchaquina valle inter indomitos eatenus Indos, duabus Societatis ſedibus de ærario Regio impetravit. E Peruvia redux contracta octo millium aureorum ſtipe, Collegium Cordubenſe, domum Eſtecenſem, & Socios inter Indos agentes magna ope, majori affectu recreavit. Mox depoſito Cordubenſi Rectoratu, poſt duo de quadraginta regiminis annos, impetrato a Præpoſito Generali otiolo ita frui cœpit, ut inſequentibus annis, omnium ordinum hominibus eſſet utiliſſimus.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

Utilem operam Æthiopibus navat.

QUamquam vero communiter omnium commodis ſtuderet, intenta tamen magis cura ferebatur in Æthiopum levamen. Orto de baptiſmorum Angolæ collatorum valore, dubio, Sociis author fuit, ut adhibita conditione rurſum tingerentur. Anno hujus ſeculi quinto, dum Quitenſi provinciæ fundandæ inſiſtit, ac undique excubat, animadvertit, multa quotannis Æthiopum millia

ex

ex Affrica in Americam commigrare. Curionem miſellæ genti dedit Alphonſum Sandolavium, qui deinde de reſtauranda Æthiopum ſalute librum multis encomiis celebratum conſcripſit, ac Didaco dedicavit. Mox mille prope Æthiopes interpoſita cautione gravibus de cauſis reloti ſunt, & procurabantur deinceps a pluribus Ordinis noſtri hominibus, iterabaturque lavacrum in portu Boni aeris, atque alibi pro ratione periculi, ac quam cautiſſime ſemper. Adeo incitarat hominem gentis Æthiopicæ ſalus, ut aulam ipſam Catholici Regis pulſaret, a quo obtinuerat, ut in Americæ urbibus peculiares pro Æthiopibus Parochiæ inſtituerentur. Carthagine author fuit, ut mancipia Affricana in quatuor Paræcias curiatim dividerentur. Synodo Chusquiſacenſi ſuaſit, ut ſuo decreto juberet in examen vocari Affricanorum baptiſmos. In Didaci epiſtolis præclaræ extant clauſulæ, quibus ad id muneris Socios hortabatur. Ad Petrum Helguetam ſcribens, etiam atque etiam monebat: ne pigeret ſementem in terram nigram jacere, eam ſibi præ aliis fertilem videri. Joannem Guardiam orabat: ut permagni faceret conchas nigrioris coloris, quod illic omnium candidiſſimæ margaritæ reſiderent. Percelebri porro oſtento, ad eam curam Didacum Torres permotum olim fuiſſe, ab Joanne Salas, rei ſpectatore didici: rem brevi narratione complectar. E Panamenſi tractu in Peruviam Didacus navigabat, morti proximum Æthiopem ſub conditione iterum abluerat; is cum e vivis exceſſiſſet, appenſis cadaveri ponderibus, ex navi in mare præceps datus eſt; navis faventibus ventis provehebatur. Interea Didacus Æthiopem ſuum usque & usque memoria repetens tandem ad circumſtantes converſus: *Quam cuperem*, inquit, *fata ulteriora defuncti noſſe; ſi poſſem!* mirum dictu: quanquam jam pluribus horis navigatum, longeque a funeris loco proceſſum foret, ante ora omnium defunctus Æthiops in ſummis aquis apparuit, toto vultu in cœlum converſo, geminæ aves nive candidiores corpori inſiſtebant. Nihil dubitatum a nautica gente, ſpectaculo hoc, reloti non fruſtra Æthiopis feliciſſimam ſortem deſignari, ac Didaci vota fuiſſe expleta.

CAPUT DECIMUMNONUM.

In Peruviam reverſus Potoſii fructuoſe laborat.

ANno 1627. Peruviam, quam viginti ab hinc annis deſeruerat, reviſit, ea præcipue de cauſa, quod vegetus boni ſenis jamque octogenarii animus, arctos ſibi limites præſtitui non ferret, infrequentiam Cordubenſis tractus identidem accuſaret, amplum labori campum, denſiſſima Æthiopum examina, depoſceret. Pauci admodum diſceſſum Viri probabant, quod quanquam animus emicaret vividus, cætera tamen jam vietus eſſet. Tota provincia retinere

videbatur conditorem ſuum ac Patrem deſideratiſſimum, ut extremum ejus ſenium omnibus officiis proſequi domi poſſet, & cum fata ferrent, defuncti oſſa in gremio ſuo componeret. Demum ceſſum eſt ſeniculo, ſi minus opere, tamen authoritate in Peruvia multum præſtituro. Corduba digreſſus, per iter ducentos Æthiopes conditione adhibita ſacro fonte de integro lavit, Sociosque per Tucumaniam ſparſos, id ipſum ut factitarent, majorem in modum hortatus eſt. Eſtecenſium civium graves ſimultates ſedavit. Emenſo ducentarum leucarum ſpatio, Potoſium attigit, urbem argenti fodinis toto orbe celeberrimam. Rimandis hic venis, eruendoque argento, quinquaginta Indorum millia, partitis vicibus tum operam dabant. Europæorum ſex millia, Æthiopum itidem ſena millia cenſebantur. Horum præcipue curam Didacus complexus totus erat in examinandis eorum baptiſmis. Interea ob Potoſini ſoli cœlique gravitatem morbo infeſtari cœperat; ergo voluntate Majorum Chuquiſacam, duodecimo inde lapide peramænam ſalubremque urbem receſſit.

Caput Vigesimum.

Ejus acta Chuquiſacæ.

Urbem Chuquiſacam Senatus Regius & Archi-Epiſcopi ſedes ornant. Huc lites devolvunt Tucumaniæ, Paraquariæ & fluminis Argentei, Præfecti, atque ex Senatus ſententia componunt. Huc deportantur ex portu Boni aeris Æthiopum manipuli, ut per Peruviam diſtrahantur ſeu ære, ſive merce mutata; ut adeo Didacus, ſi uſpiam alibi, hic certe agrum nactus ſit pro genio ſuo amplum atque apparatum. Nitentem undique adjuvabant, & Archi-Epiſcopi, & Præſidis oblati favores. Evicit apud Synodum provincialem, ut inquiratur ſedulo de baptiſmis Æthiopum, ut pueruli clam in plateas ejecti etiam cum baptiſmi teſtimonio (ob errores ſuboriri ſolitos) ad normam Concilii Mediolanenſis cum cautione iterum baptiſmo admoveantur. Ea Vir ætate, non dubitavit omnem Peruviam pererrare Æthiopum cauſa, quorum mille quingenti Chuquiſacæ eo adnitente appoſita conditione reloti ſunt. Æthiopicæ linguæ artes, præcepta, & rudimenta Fidei Chriſtianæ, typis mandavit. Ut Ordinis noſtri homines ad Æthiopicas literas perdiſcendas deſtinarentur, effecit. Vulgata per Peruviam & Europam, octogenarii ſenis, magnaque ſui parte præſepulti, erga miſerrimam gentem ſolicitudo, & publicam apud vulgus famam Viro peperit, & privatas gratulationes excivit: Federicus Cardinalis Boromæus, Archi-Epiſcopus Limenſis, & alii Peruviæ Præſules, Præpoſitus Societatis Generalis, ac quamplurimi graviſſimi Viri, Apoſtolicum miniſterium, poſt tot adminiſtratos Magiſtratus, fundationem duarum provin-

vinciarum, tot Collegiorum gubernium, ampliſſimis verbis collaudarunt, quas ille prædicationes ſic admittere viſus eſt, ut non ſentiret; præfocaverat nempe blandum hunc guſtum nova ſitis animarum. Indi ab Mamalucis latronibus dire vexabantur; ſæpe a miſerorum jugulis tela hoſtium avertit, ſubmiſſis diplomate Senatus opportunis auxiliis, quibus ſæviſſimi mortalium, eorum finibus exigerentur. Ut ad Chiriguanos ethnicos Religionem proveheret, Socios collegit, atque ære affatim inſtruxit. Creditum eſt Didaco apud Superos deprecante, hominem prædivitem cœlitus permotum fuiſſe, ut Miſſionem hanc & præſenti pecunia, & annuo poſtea quingentorum aureorum cenſu juvaret. Turcam nullis antea machinis victum; ut ad amplectendam Fidem animum adjiceret, primo congreſſu ita cepit, ut Sacramentum baptismi ultro flagitaret. Hiſpanam mulierem (matre indicante) primo Sacramento nondum expiatam ſecreto ſacris undis admovit. Viros geminos baptismi pariter expertes, vitam regularem in ſpeciem profeſſos (ut alia id genus taceam) eodem beneficio affecit. Honeſtiſſimi hominis uxor, mala diverticula quærebat, thorique legitimi ſatur, peregrino amori ſe mancipaverat, jamque apertam fugam molita, maritum incredibili mœrore complevit. Dum malo remedium quærit, divinitus accepto indicio Didacum adire jubetur, qui, uſurpatore graviſſimis verbis increpito, mulierculam conjugi authoritate interpoſita vindicavit. Sacram exomologeſim alius præcepti tempore intermittere cogitabat, derepente allapſam ad aures vocem perſenſit, qua monebatur, ut ad Didacum Torres properaret, jam rei præſcium & expectantem. Franciſcum Diaſtanium pro Paraquaria Procuratorem, Romam iturum, multo ante prædixiſſe ex literis ejus familiaribus didicimus.

Caput Vigesimumprimum.

De cæteris ejus Virtutibus & felici morte.

Quaternas ſingulis diebus horas, atque interdum noctes integras, in rerum cœleſtium contemplatione exigebat. Altaris Sacramentum modis exquiſitiſſimis coluit: Sacerdotale munus, dignitatibus orbis univerſi præferebat. Virgini Matri addicebatur tenerrime, ejus honori Sacellum domeſticum Chuquiſacæ ad privatam pietatem poſuit, atque in eo dum potuit optimus ſenex quotidie ad aram faciebat. Nervoſa in concionibus, non curioſa ſectabatur. Ne noſtri juvenes conſueſcerent limatulis ſermonibus; hujus moduli ſcriptores a Bibliotheca longe arcuit. Sanctorum Patrum, & gravium authorum opera ſuffecit. Tribus poſtremis vitæ annis ex paralyſi lecto affixus, ut ne gravis eſſet valetudinis curatoribus, interpoſitis Divi Ignatii meritis, accelerari ſibi mortem a pio Numine efflictim flagitabat. Voti

compos, octogeſimo ætatis anno, initæ Societatis ſexageſimo octavo, profeſſionis quatuor Votorum quinquageſimo, placidiſſime fatis conceſſit. Si regendi artem, ardua quæque negotia pertractandi facilitatem, magnitudinem, varietatem rerum geſtarum, Principum favorem, domeſticorum ac exterorum congeſta in eum ſtudia, cumulatiſſimas laudes, ac quod præcipuum, divinas Viri virtutes, ad calculum revoces, undique Magnum dices. Chuquiſacenſe Collegium eo mortuo iſtud pro monumento inſcripſit: *Cecidiſſe unam e firmiſſimis Societatis noſtræ columnis.* Favorem Clementis VIII. quorundam Cardinalium, Regis Catholici, Magnatum Hiſpaniæ, Societatis Generalium, & plerorumque Peruviæ Præſulum promeritus, eo ſemper uſus eſt ad majorem DEI gloriam provehendam, miſeroſque moleſtiis relevandos. Funus cohoneſtarunt: Senatus Regius, Magiſtratus civicus, & Eccleſiaſticus, Religioſi univerſi, urbs demum tota. Mœſti omnes Viro maximo ſinceris lacrymis parentarunt.

MARTINUS ARANDA
CHILENSIS VILLARICANUS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus Natales & Militia.

MArtinus Aranda, Valdivianæ Proſapiæ innexus ab illuſtri ſanguine ortum accepit. Villaricam Chileni regni urbem natalem habuit, quæ poſtea ab rebellibus Indis capta, everſaque eſt. In patria puer latinitate tinctus magis quam imbutus fuiſſe fertur. Vixdum congrua ætas appetebat, Marti ſe addixit. Neque longe poſt, & nobilitatis & virtutis adminiculo, ad militares honores eluctatus; ſub Marchione Cajetenſi, Chileni regni tum Prætore, turmam equitum cum laude ductavit. Idem Marchio cum ex Prætore Prorex Peruviæ renunciaretur, Arandam, ob fortitudinem militarem, cæteraſque bellicas laudes, Riobambenſi Præfecturæ, in Quitenſi regno admovit. Nierembergius, & Alegambe narrant, ante initam hanc Præfecturam, S. Ignatii ſacris exercitationibus inſtitutum, ne libato quidem eo honore, ad caſtra Societatis tranſiviſſe. Et enim uterque ex eodem fonte turbidam aquam hauſit: conſtat enim iſthic terrarum luculente, Martinum Arandam Coloniam Riobambenſem

duxiſſe,

duxiſſe, & ejusdem regionis Præfecturam honeſtiſſimis facinoribus decoraſſe, eaque geſta, cum ad altiora deſignaretur, rebus caducis nuncium remiſiſſe.

CAPUT SECUNDUM.

Riobambenſem Præfecturam exercet.

IN adminiſtranda ea Præfectura, mox a principio Regi ſe magnopere probavit: turbulento homine novas res moliente, provinciamque ad defectionem ſolicitante, comprehenſo, atque ad Proregem transmiſſo. Memoriam quoque poſterorum meretur id, quod ſubjicio; jam tum Aranda late inclaruit. Forte convenerant cum Martino Aranda frequentes cives, facienti ad aras Sacerdoti adſtituri. Atque ecce cum pro more Sacerdos Sacroſanctum Chriſti corpus populo adorandum jam jam ſublevat, impius aliquis, incertum unde emerſerit, magna vi per denſiſſimum populum ſe ad aras penetrat, in Sacerdotem involat, Hoſtiam rapit in partes diſcerpturus. Cohorruit Aranda primum ad enormitatem ſceleris, tum cives circumſpectat, hi velut conſilium Præfecti ſui perſenſiſſent, derepente diſtringunt enſes, & ſacrilegum hæreticum, ante aras ipſas confodiunt. Mirum dictu! quanquam innumeris vulneribus data via ſanguini eſſet, ne guttula quidem profluxit, dum monſtrum hoc in Templo extenſum jaceret, vixdum ejectum eſt, ita ante foret ebulliit, ut quotquot erant vulnera, totidem cruoris ſcaturigines viderentur, caverat nempe cœlum, ne Sacrarium illud inter profana eſſet, cujus aram Riobambenſes cives Hiſpana pietate expiaverant. Ergo ad perpetuam rei memoriam Aranda ſtatuit, ut cum nova urbs eatenus ſcuto caruiſſet, deinceps hierothecam corporis Chriſti & infra illam cadaver hæretici hominis enſibus perfoſſi haberet, ac portis urbis prætenderet, quod ſtemma Marchio Canietenſis, & Peruviæ Prorex confirmavit, atque æternum piæ urbi voluit. Iſtud quoque inter Arandæ laudes commemorant: decertaverat is cum æqualibus equeſtri curſu, ac incautius laxaverat ſonipedi habenas ad promptiorem greſſum; defert ille incitatiſſime ſeſſorem ad eum locum, ubi campus in ingentem hiatum apertus, præcipitium oſtentabat; conclamatum jam erat ab omnibus. At vero is præſenti animo firmoque corpore impetum jumenti ſaltu foſſam prævertentis ſuſtinuit, equoque domito incolumem ſe ſpectatoribus ſtitit. Anxium mœrorem de Arandæ ſalute, lætæ voces, ac hilaris gratulatio eſt conſecuta.

CA-

CAPUT TERTIUM.

Ejus converſio, Religionis Tyrocinium, ſtudia.

AC ſane ſi famæ prædicationem audimus, nullus in Peruvia equitum velitationibus præſtitit Arandæ. Eapropter Proregis animum ſibi penitus copulavit, cui ſtudio cum vulgi favores acceſſiſſent, viam ſibi patefecerat ad ampliſſimos honores. In lætiſſimo hoc rerum curſu, a DEO ſe ad animi curam vocari ſenſerat, quam admodum neglexerat. Vocem ille divinam ſecutus Divi Ignatii exercitiis primum, tum Prorege ægerrime annuente Societati ſe tradidit. Tyronem Prorex honoris cauſa inviſit, a quo didicit beatius ſecum agi in hac umbra portuque, quam nuper in ſeculi luce ac præcipitiis. Expleto probationis tempore, inter rerum externarum Coadjutores mereri voluit, at repulſam paſſus eſt. Triginta annorum vir juſſus latinitati ſtudere, cum primis rudimentis colluctabatur. Secundum id Votis obligatus, Cuſci; triennio Patrem Joannem Perez Menaccium, Americanæ Sophiæ miraculum, de moribus & conſcientia diſſerentem audivit.

CAPUT QUARTUM.

Ad Chunchos Chriſto aſſerendos deſtinatur.

COnfecto literarum curriculo ad Chunchos abiit anno ſeſqui milleſimo nonageſimo ſexto, Michaeli Urreæ Socius futurus. Julide adverſo anni tempore profectus, paucis Indis comitatus ſalebras occurrentium montium, & ſaltus, denſitate impeditiſſimos ægerrime ſuperavit. In deſcenſu ardua magis omnia, ut viæ comites pene omnes dilaberentur. Ipſe nihilominus porro perrexit, & tumentes eluvione torrentes magnis animis ſæpe tranſivit. Zupimarim ſinuoſum fluvium quadragies (quamvis hybernus tunc eſſet, & rigeret) umbilicotenus merſus, pervadavit. At quoniam centies omnino adhuc pertentandus foret ante, quam ea via ad Chunchorum fines perveniretur, & jam formido periculorum occupaſſet animum; quod raptatus a vorticoſo torrente ægre mortem evaſiſſet, inſilientem lethiferum anguem vix repreſſiſſet; occurrerentque identidem novi metus a viperis & ſerpentibus; de hyberna inter eas ſalebras ſtatione cogitavit. Deinde vero, cum itineris Socii rareſcerent, & progreſſu increſcerent fluvii; plus atque plus redundarent aquis campi; deficeret commeatus, febrisque ſeſe ſuis intervallis inſinuaret; conſilium de reditu prævaluit. Igitur Zupimarim rurſus quadragies redeundo tranſivit, repetitisque in aſcenſu & deſcenſu iisdem montium aſperitatibus, decimo nono ab diſceſſu die, proſtra-

ſtratis viribus, febri pene confectus, duobus nixus baculis, altero pede vix repens, Camatatam Hiſpanorum ſtationem, & deinde Julidem tenuit. Hic dum operam valetudini dat, viresque revocat, dilata in meliorem ſpem tanta expeditione, nuncium accipit de Michaële Urrea, Socio impigro, apud Chunchos cruenta morte ſublato. Quo nuncio accepto, aliorſum vota vertere jubebatur.

Caput Quintum.

In Araucana arce ſedem ponit.

INterjecto tempore patrium ſolum repetiit, ubi in regni Metropoli, quod Chilenæ linguæ ſcientiſſimus eſſet, ante fundatam Paraquarienſem provinciam, utilem admodum operam navavit, usque dum ab Didaco Torres Araucum mitteretur. Araucum Hiſpanorum arx eſt, in cognomine valle ſita, a qua valle & indigenæ, & cæteri Chilenſis regni rebelles paſſim Araucani vocitantur. Caſtrum, indigenarum multi id temporis inſederant, Hiſpani quingenti tuebantur. Alia circum caſtella, Jumbellinæ regionis, ad Biobium flumen erecta; Indi milites, & ſexcenti Hiſpani, præcipuum robur, adverſum rebelles barbaros defenſabant. Vicinia late omnis, ethnicorum viculis erat reſperſa, Hiſpanoque parebat. Europæi pariter atque Indi ad corruptiſſimos mores defluxerant; ac fœde vivebant. Quippe ad has orbis terrarum ultimas plagas (qui quidem militiam ſecuti ſint) non undique optimæ indolis confluere ſolent; multos male acta domi vita huc extruſit, multos auri ſpes, & prædandi licentia, alios impunitas ſcelerum allexit. Didacus Torres ad hanc gentem excolendam, præ cæteris Martinum Arandam, & Horatium Bechium elegit, ratus: Arandæ commilitonis exemplo, milites Araucanos exiſtimaturos; non eſſe nimis arduam ad virtutem viam, & ethnicos peregrinæ Bechii dexteritati ſuccubituros. Regni Metropolis a Conceptionis urbe, unde diſceſſerant, octoginta leucis abeſt, hoc itinere terra marique confecto, ab regni Prætore amiciſſime ſunt excepti, qui cognito conſilio ſtabiliendæ Societatis apud Araucanos, ut id ratum gratumque ſibi fore oſtenderet, domum ſuam Araucanam in arce ipſa ſitam habitandam dedit, juſſitque, dum Rex moneretur, utrumque interea ſumptibus Regiis ali. Igitur Araucum transvecti domoque recepti ſunt. Opportunam illa Sacello aream habebat, quod demum patefactis Patrum conſiliis, favente arcis Præfecto, operam conferentibus præſidiariis; & celeriter, & eleganter aſſurrexit.

CAPUT SEXTUM.

Araucanos præſidiarios cum Horatio Bechio excolit.

COoptata apud Araucanos Societate, viſum eſt Arandæ & Bechio, ita has quidem animarum rationes tractari oportere, ut ne quid aggreſſorie fieri videatur & ferociter. Itaque remiſſe primum & veluti conniventer agebatur, tum leniſſime admota ſunt remedia. Nec omnes ſimul aggredi libuit, ne multorum cura diſtractis Patribus, nulli ſanarentur. Pauculi primum e multis electi ſunt, his oblatum Sodalitium ſub labaro & Patrocinio B. V. Lauretanæ, cujus iconem ara referebat, placuit; ergo paucorum congregatio erecta eſt. Leges porro Sodalitii ita temperarunt, ut ne nimia ſeveritas teneris principiis officeret. Neve præceptionum multitudo rudes ad virtutem mentes abſterreret. Quapropter ſatis in præſentiarum apti videbantur, qui pellices ſemoverent, pejerandi, aleæque conſuetudinem abjicerent, graviores noxas apud Sacerdotem deponerent. Conjuratum eſt in hæc a nonnullis, quorum exemplum ita reliquorum animos perculit, ut pia quadam invidentia a commilitonibus vinci nollent. Itaque non toto poſt anno, ſupra centum & viginti Sodales in Album ſunt relati, quos inter & ipſi Belliduces cenſebantur, qui conſilio inter ſe habito in ſeveriores leges iere: ut nempe ſingulis menſibus expiati, Chriſti corpori communicarent, quotidie Sacrificio adeſſent, Marianam corollam veſperi in Sacello percurrerent, ſingulis hebdomadis concionem adirent, dataque opportunitate, pia colloquia miſcerent. Deguſtata per has exercitationes virtutis ſuavitate, mira incrementa accepit, tanta denique conſecuta eſt morum converſio, ut Araucanum Sodalitium, ſeminarium quoddam fuerit probitatis, ex quo Paraquarienſis Societatis provincia, non dubitavit rerum externarum Coadjutores ſibi deligere. E quorum numero fuit Didacus Montalvanus, cum ipſo Aranda non multo poſt pro Religione, cruenta morte ſublatus. Cæteros porro milites, juvabant Partheniorum exempla, ſacri ſermones, privatæ cohortationes, & Sociorum virtus egregia, quorum conatus manifeſtis DEI auxiliis adjuti fructus uberrimos retulerunt.

CAPUT SEPTIMUM.

Martinus Aranda, & Horatius Bechius, Araucanorum Primores conciliant.

TAmetſi vero operæ apud Hiſpanos milites collocatæ, Socios haud quaquam pœniteret, urgebat tamen potentius eorum animos barbarorum duritiam, & caliginem depellendi cupido, quorum perpauci ad ea tempora rejecto ſimulacrorum cultu

cultu Chriſtiana ſacra ſuſceperant. Obſtabant Religioni propagandæ inprimis Europæi homines, qui opibus congerendis intenti, indigenas nimia ſervitute onerabant, tum ac præcipue eorum Chriſtianorum licentia procacitasque; qua graviter barbaros offenderunt, & ingentem nomini Chriſtiano invidiam, infamiamque conflarunt. De barbarorum parte multa, eaque permagna præpediebant obſtacula: Chileni belli aſſiduus metus, ad abrupta montium juga, & reductas latebras diſpulit pavidos, ut oppidis deſertis, alii ab aliis ſejuncti, parvo numero viverent, neque ab animarum curatoribus colligi ad concionem, neque ſingillatim adiri poſſent. Accedebat pellicum multa & fœda ſupellex, quibus Primores gentis in venerem projecti, perdite adhærebant. Bello deinde permiſcebantur omnia, intemperatiſſimæ barbarorum dapes & crapulæ præfocabant ſemen Evangelicum, mentisque aciem in dies magis obtundebant. Magorum furor, & ſceleratæ artes retrahebant populum a ſemita ſalutis. Hebetudo plebis ex palmaribus vitiis oborta moram injiciebat etiam cupientibus. Cum his difficultatibus colluctandum erat Sociis tum quidem, eapropter compoſitis Hiſpanorum rebus, eo conatum omnem converterant, ut frequentes Caſiquios ad colloquium concirent. Apud quos Fidei noſtræ myſteria, & adventus ſui cauſas cum expoſuiſſent; Libipangus inter ſuos authoritate pollens, cæterorum nomine; feroci oratione Patrum votis obſtitit, id vociferatus: non ſemel per ſpeciem Religionis ſe fuiſſe deceptos; Sacerdotes Chriſtianos, prodromos eſſe ſervitutis, omnium quas perpeſſi ſint calamitatum cauſam. Itaque neutiquam ſe admiſſurum, ut novi advenæ, popularibus ſuis Fidem Chriſti nuncient. Hæc cum dixiſſet, addidit non brevem præteritarum vexationum elenchum. Contra Martinus Aranda Chileno ſermone potens: captata ut poterat barbarorum benevolentia, ajebat: viderent etiam, atque etiam, ne oblatam a ſupremo Numine, opportunitatem hanc bellam ſalutis conſequendæ ſpernerent, neu cœli favores animi obſtinatione corrumperent, ne paucorum hominum inſolentiam, in totam Hiſpanorum gentem pietati deditiſſimam derivarent. Procuraturos ſe, ne a quoquam deinceps læderentur, futuros ſe apud Regem Catholicum, Regiosque Miniſtros, totius gentis defenſores, Bacchanal modo ſuum, ſcorta, & furiales epulas omitterent. Cœli præmia, inferni pœnas cogitarent, DEUM unicum atque æternum monentem, ac vocantem audirent, Chriſtianam Religionem ſequerentur. Hæc & percenſuit, & oportuna orationis copia explanavit. Denique ad Libipangum, qui intenta cervice, & erecta criſta inſolentius ferociebat, converſus: monuit hominem, ne protervia ſua omnipotentem DEUM irritaret. Quibus omnibus cum iterum repugnarent barbari; infecta re colloquium diſſolutum eſt. Igitur Patres vitæ integritatem, præ omni ſermonis vi valituram, barbaræ obſtinationi oppoſuerunt, emicabatque ex eorum actione, & moribus in dies alia, atque alia virtutis ſpecies, quæ præſentes pri-

mum in admirationem rapuit, tum famam popularem adeo commovit, ut ea quam latiſſime dimanaret, atque excitaret barbaros, ad experimenta capienda, atque imprimis de Sociorum caſtimonia. Subornabant mulierculas ætatis ac formæ probatæ; alias quæ blandis illiciis, alias quæ aperta procacitate Patrum cubicula adirent, caſta pectora pertentarent. Cum hæ, arte conſumpta, renunciarent: labefactari Sanctos Viros non poſſe, ac præterea viderent barbari rerum omnium temperantiſſimos, Libipangus ex improviſo ſe eis ſtitit, veniam præteritæ proterviæ poſtulabat, ſpondebat: non modo ſe non interpoſiturum Chriſtianæ doctrinæ, verum etiam procuraturum, ut ne quis ſuorum ſine baptismo vita excederet. Libipango undique conciliato, placuit reliquos Caſiquios ad generale colloquium evocare; ad quod cum ſexaginta conveniſſent, ſic ex conſilio diſceſſum eſt; ut proni omnium animi ad Fidem Chriſtianam amplectendam viderentur; reipſa plerique Socios ſpe tantum inani paſcebant; namque ad eorum terras delati noſtri Ordinis homines, nihil præterea aliud impetrarunt, quam quod extremo vitæ articulo conſtituti quipiam, haud ægre ſeſe in Patrum vota darent.

CAPUT OCTAVUM.

Inter proſpera & adverſa iidem rem Chriſtianam promovent.

SOcii nihil demum ſe profecturos rati, niſi gens, quæ ſparſim vivebat; authoritate Prætoris, ad commodiorem doctrinæ Chriſtianæ uſum, oppidis coërceretur, id quo fieret, omnem conatum intenta cura deinceps poſuere. In quam rem, cum Araucanæ arcis Præfectus, operam ſuam pro virili pariter contuliſſet; ſparſi per tuguria indigenæ in viginti pagos coacti ſunt; eorumque cœtus legibus temperati, ac Sacella opportunis locis erigi cœpta. Nec mora: mox a quingentis capitibus impetratum, ut ſe Chriſtiane imbui permitterent. Qua de re Bechius ad provinciæ Præſidem ſcribens aſſerebat: *ematuruiſſe res, proclivia ſibi videri omnia, ſi operæ adſint; multa barbarorum millia brevi temporis intervallo, lucris Religionis apponi poſſe.* Quam ſpem dum fovent, dum egregie enituntur Patres, ſolita vexatio omnia decoxit, horrore ſervitutis disjecti barbari, ſua latibula repetivere. Reſtabat unica gentem ad Chriſtum traducendi via, ſi viculi ſinguli ſua Sacella haberent, in quibus & ſacra fierent, & per Patres erudirentur; ſed & iſtud arte dæmonis diſturbatum eſt. Ergo altare & Sacellum ex canabe, quod facile loco moveri poſſet, Socii fecere, defixoque in campis publicis tentorio, populum convocabant, nec ſine animarum lucris inſtituebant. Rurſum orcus infremuit, & mala fraude utiliſſimam functionem interrupit; ſparſerunt malevoli in vulgus: doctrinæ Chriſtianæ ab Sociis obtruſæ cauſa, Araucanos ad unum omnes velle rebella-

bellare. Peſſimus rumor ita invaluit, ut noſtri homines arce egredi totis ſeptem menſibus a Prætore prohibiti ſint, quoad calumnia exploſa in ſuos authores verteret, & daret locum priſtinos labores repetendi. Id vero divina providentia inde promanavit commodi, ut Araucani Societatem in majore pretio haberent, & fidentius ea uterentur. Reperio: variis excurſionibus complures paulo ante mortem ad partes Chriſti tranſiiſſe. Hos inter Taucandi Viri Principis conjux (necquiquam reluctante marito) cum gemina adultæ ætatis prole primo Sacramento admota eſt. Perpetuis curis fatigabantur Aranda & Bechius, ſive remotas barbarorum arces adirent, ſive ad indigenarum viculos, per aſperos montes, ſaxa, fluminum pericula exiguo militum præſidio procurrerent. Creſcebat ſub ipſis conatibus labor, ut jam exantlando impares eſſent. Præpoſitum Provincialem literis usque fatigarent: Socios ex Europa, ex Peruvia evocaret, ſubmitteret in præſentia decem, qui magnis animis non minores labores exciperent. Si obſtacula quæpiam amoverentur; multa, jam amicæ gentis millia, ſi rebelles conciliarentur; innumeros barbaros ad Chriſtum traduci poſſe. Quibus & Chileni regni Prætor aſſenſus eſt, ſuisque ad Regem Catholicum literis narrabat; duos e Societate Jesu homines ſua & omnium opinione potentiores videri ad retundendos rebelles, & amicos in fide continendos, univerſo Regio exercitu; e reipublicæ proinde commodo futurum, ſi deni Socii ad limites bellicoſæ gentis Regiis ſumptibus alerentur.

Caput Nonum.

Aranda & Bechius Inſulam Beatæ MARIÆ, Apoſtolice repurgant.

Neque in continenti tantum ſe continuit Sociorum ardor, ipſum etiam pelagus pervaſit. Sancta MARIA inſula eſt modica, ab maris littore quindecim millibus paſſuum recedit, poſitaque eſt contra ipſam arcem Araucanam. Hanc ethnici pariter ac Chriſtiani habitabant, ab omni Chriſtiano Paſtore disjuncti; ab Europæo cuſtode regebantur. Chriſtiani non minus, quam ethnici fœdis amoribus impliciti dæmoni ſacrificabant, execranda omnia promiſcuo uſu factitabant. Huc delati Aranda, & Bechius in communem locum omnem gentem coëgerant, ac gravi oratione monebant, ut Chriſtiani ſui nominis meminiſſent, ad officium redirent. Ethnici qui eſſent, neceſſaria ſalutis remedia arriperent. Concionem interpellavit Vir inter ſuos nobiliſſimus, Petrus Ternande, baptismo olim, ut nomen indicabat, tinctus; at totis animis ethnicus. Hic ſublata voce Patres allocutus, vociferabatur: abſtinerent inutili opera; eſſe inſulanis ſuas cerimonias ac religiones, quas a Majoribus accepiſſent, uſurparent ipſi, & ad poſteros transmiſſuri eſſent. Cum porro Socii in eorum avitos mores

inquirerent, tum demum patuit, ab Chriſtianis ethnicisque ſtatis temporibus conventus nefandos celebrari, quos ipſi *Requetum* vocabant. In his, debachari eos ſolere extremo furore, tum ſacrificulos creari, dæmonem conſuli, execranda, ſacraque omnia fœdiſſime miſceri. Aranda ut erat divinæ gloriæ cupidus, nunc DEI contumelia, & Ternandis impia defectione irritatus etiam; *Tu vero Ternande*, inquit (*quid enim Chriſtiano nomine te compellem*) *proterve & impudenter lapſus es, ac graviter inſanis, qui dæmoni, quem olim abjuraſti, conciliatus; DEUM cœli terræque conditorem contemnis! intelligas velim: furas, ut lubet, minitere, quod placet, neutiquam me admiſſurum, ut te, tuosque deinceps infernalibus cerimoniis miſceas.* Repugnantem, ac dictitantem, Chileni regni licentia id fieri, conventus eſſe politicos, & innoxios; hæc cum mendaciter ille dixiſſet, ulterioribus minis hominem perculit, denique literis ad Prætorem datis, impetravit, ut nefanda illa ſacra & religiones abolerentur. Qua re confecta, & Petro Ternande ſalutari terrore domito; cæterorum animos molliores reperere Socii. Sexaginta ac centum ethnici Chriſto nomen dedere, Chriſtiani omnes exomologeſi (ſi duos excipias) nunquam antea uſurpata, expiati ſunt, pellices retruſæ, ſingulis ſingulæ uxores in matrimonium rite collocatæ, mandata DEI & Eccleſiæ promulgata, mores, & preces, & virtutum uſus introductus; denique quadrimeſtri labore tota ferme inſula dæmonis jugum excuſſit, & Eccleſiæ aſſerta. Atque optatiſſimo ſane rerum ſucceſſu; namque cum alias Socii eandem inſulam reviſerent, nihil pene antiquarum ſuperſtitionum reliquum invenerunt, caſta præterea, ſobria, & bene morata omnia; & qui primo congreſſu prætermiſſi fuerant, centum barbari; præſenti Patrum opera Chriſtiana in caſtra tranſierunt. Aranda, & Bechius in Araucana ſede biennium commorati ſunt. Bechius commigravit, Aranda cum alio Socio deinceps operi inſtitit, donec & ipſe ad regni Metropolim evocaretur, ut tantiſper reſpiraret. Quanquam Viris, & animarum lucro ſtimulante, & Didaco Torres Provinciali perurgente, diu tranquillo otio perfrui non licuit. Ad Ludovicum Valdiviam deſtinati erant, ut collata opera rebelles pace componerent. Qua in expeditione poſt honeſtiſſimos conatus, glorioſæ necis palmam adepti ſunt, ut paulo poſt narrabitur.

Caput Decimum.

Martinus Aranda, & Horatius Bechius ad rebelles componendos deſtinantur.

Dum Ludovicus Valdivia ex Hiſpania redux Chilenum regnum ingrederetur, omnia rebellione perturbata invenit. Ut porro Chilenos cum Hiſpanis rurſum tranquilla pace conjungeret, nihil non egit ipſe, omnia pariter Aranda, & Bechius. Aga-

Aganamoni præcipuæ factionis Duci, ac nonnullis Caſiquiis jam eam mentem injecerant, ut inter finitimos, ac interiores populos pacis arbitri eſſe vellent. Paicavi, Arx Hiſpanæ dominationis, colloquio & rebus pertractandis deſtinata erat. Hic dum in commune conſultat Aganamon, & moras trahit, domi relicta pellex Hiſpana mulier, bello parta, cum duabus prolibus, duæque aliæ concubinæ, ad aliud Hiſpanorum caſtrum tanquam aſylum fugiunt, & recipiuntur; quæ res graviſſimos motus excitavit. Namque ubi barbaro de fuga pellicum innotuit, fruſtraque eas ab Hiſpanis repoſceret, negarentque præterea Patres quod Chriſtianæ eſſent, id jure fieri poſſe; diſſimulato furore, rebus, quæ agebantur, inſtitit, quidquid tamen aſſimularet, vindictam animo concepiſſe viſus eſt. Valdivia interea eo rem perduxerat, ut cum Licuræis pax fieret, ſpesque bona appareret, omnem factionem penitus extinctum iri. Utablame Licuræorum Dux operam ſuam imprimis, & liberaliter offerebat; ſi modo Aranda & Bechius ſic, tanquam pacis arbitri, ad ſuas ſecum terras proficiſcerentur. Res periculi plena videbatur, nihilominus decreta expeditio eſt, ea cautione, ut ne Socii e Licuræis ad Purenos, ubi Aganamon dominabatur, ſine novis mandatis tranſirent.

Caput Undecimum.

Martinus Aranda cum Sociis trucidatur.

Dici vix poteſt, quantis lætitiis inceſſerint Patres, ac quo animi ſenſu ſortem ſibi ſuam gratulati ſint. Bechius ad Didacum Torres ſcribens, immenſas gratias egit, quod ſe potiſſimum tantæ expeditioni admoviſſet. Et identidem commemorabat; tum demum barbaros Chriſtianam Religionem amplexuros, cum ipſe ſanguine ſuo terras eorum rigaſſet. Dum e regni Metropoli diſcederent Socios complexi; ſe deinceps invicem nunquam viſuros ſupremis verbis citra ambages aſſeruerunt. Nona igitur Decembris, peracto Sacrificio, uterque cum Didaco Montalvano laico, nuper in Societatem cooptato, Utablamæ traduntur ducendi; abeuntes Valdivia monuit, ut ſe egregio facinore Societati, Societatem barbaris commendarent. Prætor cum cohortibus Regiis, & frequenti nobilitate, diu extra Caſtrum proſecutus, non prius rediit, quam omnium oculis ſe ſubduxiſſent. Ibant per abrupta montium & viarum perpetuos amfractus, donec ad Utablamæ oppidum perventum eſſet. Aderant illic variarum factionum Caſſiquii, Pureni quoque, tanta omnes benevolentiæ oſtentatione, ut primis congreſſibus pax integra, partibus nihil obmoventibus confecta puteretur. Hilares ibant epiſtolæ ab Aranda & Bechio ad Prætorem, quibus renunciabatur, tanta omnes voluntatum pronitate in almam pacem ferri, ut exprimi literis ſatis non poſſet. Ad Ludovicum

Val-

Valdiviam pariter ſcripſere Patres: in loco hoſtili, tam ſecura ſe ſtatione eſſe, ut ſi Toleti viverent, videri ſibi ad Purenos, ſi per eum liceret, omnes ire poſſe. Hæc illi: at quinto, poſteaquam a Prætore diſceſſerant, die, ſcena omnis commutata eſt. Aganamon cum numeroſo perduellium equitatu Liecuram invectus (nequicquam reluctante cum ſuis municipibus Utablame) occiſis aliquot Caſiquiis paci faventibus, Patres adortus ferociter exprobrat, quod thori ſui pellices, ſua authoritate attinuiſſent; deinde repente obruit, & nihil reluctantes oppreſſit. Omnibus capita primum clavis contuſa ſunt, mox lanceis & enſibus, varie ſævitum eſt in denudata prius corpora. Atque ſic tandem Aranda, Bechius, & Montalvanus, quod illicitæ veneri non deferrent, Chriſtianarum matronarum integritatem tuerentur, victima ceciderunt, & glorioſam necem ſunt conſecuti, decima quarta Decembris anno 1612.

Caput Duodecimum.

Martini Arandæ Virtutes.

CÆteras inter virtutes in Martino Aranda eminuere: caſtigandi corporis ſtudium, magna cum DEO familiaritas. Bene de omnibus merendi voluntas, ſingulare Indos juvandi deſiderium. Fortitudinis ea exempla præbuit, quæ triumphalem Virum decerent: cum ei aliquando mandibulæ pars, quod male affecta eſſet, reſecanda foret; inter diros cruciatus ita conſtanti animo ac corpore fuit, ut ne oris quidem hilaritatem mutaret. Qua fortitudine præluſiſſe morti pro Chriſto obitæ dicerem, niſi illuſtriora Martyrii imitamenta edidiſſet, dum homo præfervidus & vehemens, nativo iræ igne vi compreſſo, ita animi motus temperavit, ut religioſo Viro indecoros impetus nullos proderet. Præterea: ſancita jam ſeculi fuga, ne anceps cogitationum viciſſitudo conſilium turbaret; ſine mora Sacramento firmavit.

HORA-

HORATIUS BECHIUS
ITALUS SENENSIS.

HOratium Bechium Senenſem, non paternus modo Bechiorum, verum & maternus Lunadorarum ſanguis illuſtrem reddidit, & clariſſima per Italiam cognatio; ornabant vero maxime: virginitas omni vita conſervata, erga Reginam Mariam amor, animarum zelus, precandi ſtudium, prudentia, ac dexteritas ſingularis, ut juvenis adhucdum, ſummis provinciæ muneribus omnium votis deſtinaretur. Magna contentione ab Didaco Torres Provinciali Miſſionem ad Araucanos flagitavit, ne vocationi divinæ obniti videretur. In Italia verſanti, cœlitus injecta pro Chriſti nomine mortem perferendi ſpes eſt adeo certa, ut vix de futuro eventu dubitandi locus eſſet. Anno 1604. ex Europa cum Didaco Provinciali in Peruviam navigavit. Literis ſacris Limæ, non ſine laude informatus, cum eodem Didaco Torres ad Chilenſe regnum, per Tucumaniam immenſo circuitu ductus, tanta, quanta in Martino Aranda narravimus, inter Indos amicos, & rebelles, nec non inter Hiſpanos, in Araucana arce patravit; usque dum fuſo ſanguine ſpem divinitus datam firmaret. Noſtrum Horatium non ita pridem illuſtravit imago Alexandro VII. P. M. miſſa, cum eleganti carmine, eo quod utriusque familia mutua affinitate illigata eſſe diceretur.

DIDACUS MONTALVANUS
MEXICANUS.

TAntis Heroibus additus eſt Didacus Montalvanus, Mexici in nova Hiſpania, Hiſpano genere natus: Ex Chilenſi milite, poſt annuam in abjectis culinæ, cellæ penuariæ, & ſacrarii ſervitiis probationem JESU Socius factus, ſexto Tyrocinii die, rara felicitate triumphum meruit. Dum in exercitu Regio militaret, id habuit ſolenne, quod nunquam adduci

potuerit, ut verni jejunii tempore, carnibus veſceretur; quanquam id legitime liceret Regiis militibus, id loci, & temporis. Pane ſubcinericio, nullo alio pulmento contentus. Tria occiſorum Sociorum corpora, quanquam ardentiſſimi calores eſſent, & temere projecta jacerent, nec muſcæ, nec aves carnivoræ toto triduo contigere, donec Ludovico Valdivia annitente, ad Levo, Hiſpanorum caſtrum, transferrentur. Biennio poſt ad Conceptionis urbem deportata, in noſtro Templo, ad principis aræ latus, cedrina arcula intus foriſque panno aureo veſtita, honorifice depoſita ſunt.

JOANNES VIANA
NAVARRUS VIANENSIS.

Caput Primum.
De primordiis ejus vitæ, usque ad Miſſionem Tucumanicam.

JOannes Viana, provinciæ Paraquarienſis non infima gloria, Vianam Navarræ oppidum nobile pro patria habuit, quam idcirco appello; quod eam, ut infra dicam, religioſiſſime deſpexerit. Ex Caſtellana provincia, in qua Societatem adierat, ad Bæticam, e Bætica in Peruviam, e Peruvia jam Sacerdos anno 1593. ad Tucumaniæ Miſſiones translatus eſt, magna omnium ſpe: eum futurum Hiſpanis, & Indis utiliſſimum. Ut capaciſſimum ſe redderet divinæ gloriæ per animarum lucra augendæ, virtutes præcipue conſectatus eſt, Apoſtolicis Viris proprias, ſummam & in minimis erga Majores obedientiam, corporis & animi puritatem ſingularem, internam externamque modeſtiam, carnis affligandi ſtudium, manſuetudinem, precandi aſſiduitatem, perpetuo uſu ad culmen perduxit.

Caput Secundum.
In Tucumania multifariam laborat.

IN Tucumaniam appulſus, Quichoam, Lullanam, Kakanam, & Tonocotanam linguas didicit: quarum beneficio triginta fere annis per Tucumaniæ regiones denſas ignorantiæ nebulas, veritatis luce diſpulit, opinionum portenta ac monſtra fugavit. In S. Michaëlis urbe, puerorum Congregatione inſtituta, adeo

Ma-

Marianis amoribus teneram juventutem complevit, ut Primores urbis exemplo commoti una cum Prætore provinciæ, Albo parvulorum ſe miſcuerint, nominaque dederint referenda. Eadem in urbe, dum Hiſpanorum conſcientiis repurgandis vacat, res accidit memorabilis: nam procax Juvenis, ſpreta ejus ad probitatem pietatemque admonitione, phalerato equo inſidens, ante fores Templi petulciebat, is repentino caſu attritus, diuturno vulnere docuit concives ſuos, nequaquam tutum eſſe Sanctorum Virorum opportuna monita ſurda aure excipere. Quanquam vero grandi animarum fœnore per Hiſpanorum urbes rem egerit, longe tamen uberiores fructus retulit inter Neophytos, & ethnicos, ut Lullana expeditio vel unica perhibet.

CAPUT TERTIUM.

Ad Lullos utiliter excurrit.

ANno 1601. cum Ferdinando Monrojo Lullos adiit, populum a ferocitate celebratiſſimum. In qua gente refringenda, aut denuo ad Chriſtum reducenda, quantum ab ſiti & fame, a cœli ſolique rigore, a nemorum opacitate pene inſuperabili, a torrentibus tranandis, ab ipſa barbarorum indole, omnique ærumnarum genere perpeſſus ſit, breviter dici non poteſt. Illud commemorandum: quod in regione rerum omnium inope DEUS athletam ſuum affluxu cœleſtium ſolatiorum recrearit, ea copia, ut ad Provincialem ſcribens, aſſereret, vereri ſe, ne illa venirent in præmium laborum abs ſe ſuſceptorum, fraudarentque cœleſtem olim mercedem, adderetque ærumnas ſuas cœlitus affuſis in animum deliciis atque æterni præmii ſpe cumulatiſſime compenſari. Fructus expeditionis erat: apud Lullos ferociſſimos, humanitatis ſenſum induxiſſe. Ethnicorum multitudinem Chriſto adjunxiſſe, diſtracto pellicatu, innumeris matrimonium Chriſtiano ritu ineuntibus affuiſſe. Neophytos a pluribus annis Confeſſarii copia deſtitutos, Quichoana & Tonocotana lingua expiaſſe, & alios per interpretem procuraſſe. Hujusmodi expeditiones ſingulis ferme annis ad barbaros, peregrinis linguis utentes, ſuſceperat, quibus explicandis non immoror, quod ſimilia prioribus recurrant, neque aliud novi apportent, quam nova lucra.

CAPUT QUARTUM.

Geſta ejus in procuratione Romana.

IN Chilenſis regni præcipua urbe, Rectorem egit Collegii, cum anno 1614. provinciæ Paraquariæ Procurator electus eſt. Poſtquam Romam pervenit ſeptimæ Congregationi generali interfuit. A Mutio Viteleſco, nono Generali, numero-

ſam ſubſidiariorum Sociorum manum impetravit. Expeditis in urbe muneris ſui negotiis, multorum Divorum exuviis, & præterea a Præpoſito Generali ea ipſa cruce, in cujus amplexu Divus Ignatius ad Superos abiit, ejusdemque Sancti chirographo donatus eſt. Et tandem bene precante ſummo Pontifice iter ſuum relegit. Mediolani a Federico Boromæo Cardinali rurſum augebantur ſacra munera. Per Navarram iter agens, ab Magiſtratu Vianenſis urbis, patriæ ſuæ honeſtiſſimos nuncios obvios habuit, qui efflictim rogitabant, ut flexo tantiſper itinere, ſanguine junctis, ac civibus ſuis videndum ſe daret. Divi Xaverii, popularis ſui exemplo, nequaquam adduci potuit, ut id faceret. Urgentibus alterius urbis legatis, & nomine publico ſpondentibus, nepotem ejus in carcere de capite periclitantem, in illius gratiam ſolutum iri, ſi urbem vel tantillum ſua præſentia honeſtaret, conſtanter reſpondit, ſatis DEO curæ futurum, ſi innocens ſit; ſi reus, nolle ſe pœnam deprecari. Hæc, & ſimilia prolocutus, patriam & populares ne aſpectu quidem dignatus, cognata vincula heroo animo rupit. Itineri cum inſiſteret, ex altiſſimo monte in ſubjectam foſſam, ſaxis aſperam præceps ruit, invocato Divi Ignatii (cujus chirographum ferebat) auxilio; jumentum in aliam partem dilapſum eſt, ipſe molliter effuſus, ſcopulo illæſus adhæſit. Sociis concurrentibus, & ad miraculum attonitis, ſubridens dixit: *lædi eum non poſſe, quem molle adeo pulvinar* (Lypſanothecam D. Ignatii intellexerat) *excepiſſet*. Ex his rebus dubium ſubortum eſt, utrum plus Patrocinio Ignatii, quam Xaverii imitatione Viana claruerit. Matriti ab Rege Philippo III. navim & commeatum, ſumma Principis munificentia, pro ſe, Sociisque obtinuit. Uliſipone ſubſidiarii Socii ex variis orbis partibus confluxerant, hos benigniſſime complexus navigio impoſuit, & trimeſtri navigatione Affricæ oram, & Braſiliam prætervectus, e ſeptem & triginta ne uno quidem deſiderato, in portu Boni aeris incolumes ſtitit anno 1617. ſeptima Februarii.

CAPUT QUINTUM.

Ejus acta poſt procurationem usque ad mortem.

Paupertatem Vianæ commendat, quod in eadem veſte, qua ante triennium e portu Boni aeris in Europam ſolverat, redierit. Quingentos aureos numos nec plus pro longiſſimi itineris viatico ex America cum extuliſſet, redux in provinciam, multa in Templorum ornamenta attulit, multum in Sociorum levamen profudit. Calebant Europæorum ſtudia, Apoſtolicis Viris extremo orbe expoſitis adjutandis, ubi ubi viſus erat, ſymbolis piarum largitionum auctus eſt, ære, munuſculis, memoriis cumulatus. Ex his rebus ille ne Lypſanotheculam, ac ne aciculam quidem decerpſit, Pro-

vin-

vinciali omnia ſumma integritate in manus conſignavit. Tum antiquas artes ſuas repetens, utiliſſimis procurſionibus barbarorum ſalutem promovit, donec Didaco Torres Cordubæ in Rectoris Officio ſuccederet. Triennio exacto, cum geſtum munus depoſuiſſet, id unum ſuſpirare viſus eſt, ut mortales quoque exuvias deponere poſſet, cœleſtis nempe Patriæ deſiderio. Nec longe poſt lethali hydropiſi proſtratus, ubi audiit nuncium de relato inter Sanctos Divo Ignatio, contineri non potuit, quin cum reliquis Collegis gratias acturus, in Templum reperet, id clamitans: *ſurdi audiunt*, *claudi ambulant.* Monitus ut a novo Indigete, cujus olim in periculoſo caſu præſens auxilium perſenſiſſet; ſoſpitatem flagitaret; abnuit cum dicto: *non tentabo Dominum meum.* Funus proſecuti ſunt Religioſi omnes, & cives Cordubenſes concurſu, ut par erat, maximo; namque extremos hos honores, & vita Viri inter Hiſpanos & Indos, per Chilenum regnum, & univerſam Tucumaniam, & innocenter & utiliſſime acta merebatur.

MELCHIOR VANEGAS
CHILENSIS.

Caput Primum.

Ejus Patria, Parentes, Adoleſcentia, Religionis Tyrocinium, & Studia.

Melchiorem Vanegam Archipelagi Chiloenſis clariſſimum ſydus, novo orbi edidit Chilenſis regni Metropolis anno 1572. die, Virgini ſine macula conceptæ, ſacro. Pater ac mater ſe ad eandem Toletorum ſtirpem in Granatenſi urbe referebant, ac ſeſe quarto conſanguinitatis gradu contigerant. Matrem commendabat inſignis pietas. Pater quanquam militari præfectura clarus eſſet, inter ipſam armorum licentiam eam ſanctitatis famam collegit, ut paulo ante mortem in Societatem adſciſci meruerit. Neque Melchior noſter acceptam a Progenitoribus nobilitatem, virtutumque exempla, per ſocordiam obſcurari paſſus eſt; & pueritiam, & adoleſcentiam ita ſancte traduxit, ut in ea jam ætate, cum Anachoretis conferretur. In paterni hortuli reductiore loco, caſulam erigi ſibi

impetrarat, in hanc ille ſolitudinem ſemet abdere, ac ſancta ſectari otia, hic fræna pietati laxare, orare, meditari, flagello tergum cædere, inedia vires macerare, corpuſculum miris modis vexare ſolebat. A dicacitate abhorruit, cupedias longe a ſe amovit, puellarem ſexum prope averſatus eſt. In more habebant urbis adoleſcentes quipiam, extra urbem apricis locis convenire, & toto genio petulcire. Id cum doleret Vanegæ; neque remedium ſuppeteret aliud; Societate cum probis adoleſcentibus inita, ad pium bellum, moloſſos ſat feroces conquiſivit, eduxit, in laſcivientes choros incitavit, eo demum eventu, ut totis campis quaquaverſum fugam capeſſerent. Melchioris familiaritate, magnopere delectatus fuiſſe fertur urbis Epiſcopus Modolinus, qui Vanegam contemplatus ſæpe commemorabat, eundem aſceticæ vitæ rationem, ut ut adoleſcentibus annis etiamnum eſſet, conſecutum fuiſſe. Annum ætatis undevigeſimum egerat, cum in Peruviam vela dedit. Limæ Societati mancipatus virtutum ac literarum laude inter paucos eminuit. Jam Sacerdos anno 1607. in patriam rediit.

CAPUT SECUNDUM.

Ad Caſtrum Chiloenſis inſulæ navigat, ubi Apoſtolicis laboribus inſudat.

INſula Chiloe, Chilenſis regni appendix eſt, quinquaginta leucas longa, lata ſeptem. Qua parte meridiem ſpectat, per anguſto ſciſſa freto, vix a continenti recedit: altera ſui parte ad Aquilonem vergit, ac liberius in mare protenditur. Regio omnis inæqualis eſt ac varia; montoſa, ſilveſtris, aſpera, paludoſa, & frigoribus immodicis obnoxia; quod quadrageſimum tertium altitudinis Auſtralis gradum prætergrediatur. In hujus inſulæ parte Aquilonari, Hiſpani pauci, urbeculam Caſtrum appellatam ſub finem præterlapſi ſeculi poſuere. Indigenæ ante Hiſpanorum adventum oras maris habitabant. Poſteaquam vero a pyratis diu, multumque vexati fuiſſent, interiores terras petiverunt, atque illic in abruptis montium jugis cæcas inter latebras; libertatis, ac quietis obtentu ſummam rerum inopiam emerunt. Scaphæ per eas inſulas in uſu ſunt, ex tribus tabulis craſſo fune inter ſe conſutis compactæ, quarum rimas, maceratis arborum corticibus complent: navigiolis hiſce nunquam ſine magno periculo fretum tentatur. Majus diſcrimen eſt a Chilenis rebellibus, ad quorum littora, tota quanta inſula eſt, ſeſe exporrigit. Huc ductante Numine delati ſunt Melchior Vanegas, & Joannes Baptiſta Ferrufinus anno 1608. confectis terra, marique ducentis quinquaginta leucis. In urbecula *Caſtro*, ab Hiſpanis ſingulari comitate, a Chiloenſi Præfecto præterea ædibus donati; in quibus non longe poſt Sacellum apparatiſſimum ſurrexit, & Sa-

crorum

crorum opportunitate habita, omnium civium conſcientiæ ſunt expiatæ; tum cura omnis barbarorum ſaluti eſt impenſa. Ex his rari admodum præter primum Sacramentum alia Sacra norant; quadrimeſtri Sociorum opera eo perducta res eſt, ut vernæ ipſi, ac Hiſpanorum famuli a ſuis Dominis vix differrent, adeo prompte capiebant, ac retinebant Chriſtianæ legis elementa; quapropter haud longa mora opus erat, ut ſacro luſtrarenter latice, ac rurſum non longa mora, ut ſuorum ſe criminum apud Sacerdotem accuſare noſſent, epuloque Divino poſt ſeverum examen accumbere. Tanta porro novos Sacrorum cupido inceſſerat, ut diluculo jam adeſſent, Patrumque aut quietem, aut matutinum penſum interpellarent, horis omnibus Socios circumſiſterent, doctrinæ captandæ cauſa. Quo animorum ardore uſi noſtri homines, nihil non a barbaris impetrarunt: ergo & ſcortationes in legitima matrimonia ſunt commutatæ; & violentæ ſponſiones conjugum, aut legitime ſancitæ, aut diſtractæ ſunt. Nemo erat, qui baptiſmum renueret, nemo, qui Chriſtiana myſteria edoceri nollet. Ut vero omnis hæc inſtitutio latius proſerperet; advecti ſunt tota inſula adoleſcentes, qui per Sacerdotes doctrina ſacra probe imbuti, ad populares ſuos remiſſi ſunt, ut ea docerent reliquos, quæ ipſi didiciſſent.

Quatuor menſes in Caſtrenſi urbe Patres exegere. His exactis, ſcapham viginti pedes longam, quatuor latam ingreſſi, nihilque Oceani furias veriti, inſulanorum pagos ordine circumeunt. Quinque & viginti erant numero, horum municipes raro Sacerdotem viderant. In pagis ſingulis ad quintum diem perſtiterunt, extemporaneo Sacello excitato Sacra fiebant, cogebatur concio, habita omnis opportuna doctrina, inviſebantur ægri, præſtigiæ, quibus gens conſueverat, dedocebantur. Deinde vero interiora inſulæ loca ac ſpelæa adiverunt, perſcrutati omnia: idoneos baptiſmati admovebant, alios ſpe propinqua alebant. Præterea auditis ſingulorum querelis, miſeram afflictamque gentem, ut poterant, erigebant. Rogitabant barbari, promiſerant Patres, ſe apud Magiſtratum acturos, ut ne deinceps a militibus vexarentur. Hæc Sociorum adverſus eam gentem ſtudia, ſuſceptos labores, vitæ rationem, placidam indolem, temperantiam cum perſpexiſſent barbari; ita amore exarſerunt, ut in blandiſſimas appellationes paſſim erumperent, Matres, Patreſque, Sanctos, ac de cœlo lapſos vocitarent. Ut adeo commonendi fuerint, ne his nominibus ſeu amoris ſive honoris gratia deinceps uterentur. Sex menſes tenuit prima ad has terras expeditio; partu myſtico renati plurimi, mille ac centum paria matrimonio legitimo nexa; bis mille, ſacra exomologeſi nunquam antea uſurpata, expiati; omnes in Fide corroborati. Tranſlato ſubinde ad alteram inſulam verbo DEI, iiſdem prope exercitationibus Europæos inſtituere, ac demum urbeculam Caſtrum reverſi ſunt. Ex quo per intervalla, & ſua ipſi ſponte, & precibus provocati, ſæpius inſulanos, præ-

ſentia

ſentia ſua, ac pia ope recrearunt. Quibus rebus permotus Chiloenſis inſulæ Præfectus ad Didacum Torres Provincialem literas dedit rogitans, ut Patrum moras prorogaret, perutile id miſellæ genti futurum, & divinam gloriam mirifice propagandam. Impetravit; namque Caſtrenſis, & inſulana expeditio in biennium eſt extracta.

Anno milleſimo ſexcenteſimo undecimo, Didacus Torres Vanegam & Ferrufinum, ut vitæ ſuæ, rerumque geſtarum rationem pro more redderent, evocavit. Quibus auditis: Joannem Baptiſtam Ferrufinum Tyronibus formandis præfecit. Vanegæ, Matthæum Stephanum comitem dedit, ac repetere inſulam juſſit. In altum provectos fæda tempeſtas excepit, & ad rebellium littora perpulit. Hoſtili ſolo in ipſis Valdivianæ urbis ruinis excendere auſi, barbaros ad colloquium allicere tentabant; ne unus quidem in conſpectum venit. Conquievit interea mare, & ſecundi aſpirabant venti, ergo Patres navigium ingreſſi, opinione celerius urbem Caſtrum tenuere. Illic dum Hiſpanis operam commodant, de eorum reditu longe lateque fama perlata eſt. Barbari ex inſulis undique confluxerunt, omnium ea vox erat: miris portentis ſe ad Societatis homines permagni faciendos fuiſſe permotos. Quippe ea loca, in quibus Vanegas, & Ferrufinus rem ſacram feciſſent, cœleſti quadam luce refulgere, aras videri quæ fulgurarent, ac nitentes radios diffunderent. Gentem omnem in ſumma rerum admiratione eſſe, conſectari, qua ingreſſi eſſent, Patrum veſtigia, & pio oſculo premere. Expiatis igitur Hiſpanorum & Indorum Caſtrenſium conſcientiis, inſulanis ſe indulſerunt, & per conſueta Societatis noſtræ miniſteria copioſam meſſem fecerunt.

CAPUT TERTIUM.

In Chiloenſes inſulas tranſmittit; & ſtabilito ibidem Societatis domicilio, inſulas omnes nomine Proregis luſtrat.

CIrca inſulam Chiloe, quadraginta minores, exiguis intervallis abs ſe invicem diſtractæ viſuntur, omnes Chiloenſi Præfecto ſubjectæ. Incolis eadem victus ac habitandi ratio, quæ majoris Chiloenſis inſulæ inquilinis, iidem mores, & cœli terræque haud diſpar conditio. Unam Hiſpani Caſtro occupaverunt, reliquas barbari. Inceſſerat Melchiorem Vanegam cupido, has quoque perluſtrandi, quod cognoviſſet Sacerdote eatenus caruiſſe, & proximus qui eſſet, inde ab Hiſpanorum Caſtro repetendum. Arduum ſane conſilium fuit; neque enim unquam ea Oceani pars tot inſularum occurſu diſciſſa, impeditaque, ſine grandi periculo navigatur, ſcaphæ nihilominus Vanegas ſe cum Stephano, ac bonam cauſam pelago commiſit. In ea navigatione ſex menſium ſpatio, inſulas procuraverunt omnes, quingen-

ta

ta viginti capita cœleſtibus aquis abluerunt, in matrimonium collocarunt ſexcentos. In perdifficili hac expeditione, dum ultro citroque navigant, omnia fere-malorum genera perpeſſi ſunt Patres: incerto freto, male ſarto navigio ter prope fluctibus hauſti ſunt: in madida ac reſtillante veſte totas noctes ſub rigido cœlo agebant; commeatu per naufragia corrupto, radicibus ac maris purgamentis victitabant: atque ut omittam cætera percenſere: has omnes ærumnas relevabant cœleſtes deliciæ, tanta vi, ac copia circumfuſæ, ut quæ terra, marique premerent incommoda, non ſentirentur.

Poſteaquam per circumjacentes inſulas pro more, inſtitutoque ſuo rem geſſiſſet, caſtrumque Hiſpanorum percoluiſſet; ad principem inſulam Vanegas rediit, pluribus annis commoratus tantis Eccleſiæ acceſſionibus, ut octoginta ædiculæ ſacræ in totidem pagis ſurgerent, prope ſingulis probi Magiſtri adderentur, qui cupidos verbi divini barbaros inſtituerent. Quot ſingulis annis Catholicæ Religioni beneficio baptiſmi adſcripti ſint, non referunt diſtincte Patrum acta. Id conſtat: Sociorum labores, inter læta & triſtia decurriſſe: & periculi, & meritorum pleniſſimos fuiſſe, ac demum magnam nominis celebritatem, & communem omnium gratulationem peperiſſe. Chiloenſis Præfectus rurſum ad provinciæ Præſidem ſupplices literas miſit, ut ne Virum Sanctum Hiſpanis pariter, atque Indis utiliſſimum revocaret. Præfecti, ac Hiſpanorum benevolentiam cum jam ita ſibi deſpondiſſet, eam inprimis ad commoda gentis convertendam putavit: ſchedulas nempe ſuo chirographo munitas, paſſim inter Neophytos diſperſit eum in finem, ut qui eas repræſentarent, ab vexatione Dominorum ſuorum liberi eſſent. Ac ſane reverentia Viri abſterriti, non audebant Hiſpani ægre facere iis, quos ille de Republica bene meritus ſua authoritate tueri velle videretur.

Philippus III. Hiſpaniarum Rex, ut apud Chiloenſes firmum domicilium Societas haberet (impetrante id Ludovico Valdivia,) mille Philippæos quot annis legitimis tabulis donarat. Melchior tum Vanegas maritimæ in Chileno regno Miſſioni præerat, ut ocyus munificentiſſimi Principis ſummæ voluntati morem gereret domicilio, fundamenta jecit ac rite omnia ſtabilivit. Ipſe conſequentibus annis, cymbula vectus: hac illac per inſulas oberrabat, ædiculas ſuas, quas octoginta erexerat, inſpexit, teneram Religionis ſobolem, cohortando, elementis Fidei imbuendo, Sacramentis procurando, ad officii Chriſtiani firmitatem roboravit. Vagos barbaros contraxit, & oppidanis miſcuit: fugitivorum latebras ſcrutatus eſt, qui ad mediterranea ſe receperant, & ovili ſuo reddidit: ægros mæſtoſque perſæpe inviſit, ac oportuna ope recreavit, & cum jam in hanc, jam illam inſulam ad ferendam opem celeriter transmittendum foret, neque nautæ præſto eſſent; remum ipſe tractavit; labores hos ampliſſima meſſis excepit. Anno Seculi hujus decimo quinto voluntate, ac nomine Peruviæ Pro-

regis triginta quinque inſulas Archipelagi Chiloenſis adiit, ut præſentibus Indorum injuriis modum poneret, & futuras anteverteret. Rurſum remex factus, periculoſum mare ſcapha ſubiit, menſesque octo dimoratus litem inter partes compoſuit, permagno Indorum levamento, atque de rebus omnibus ad Proregem ipſe retulit. Illic legatum exutus, Apoſtolum induit atque ad easdem inſulas cymbulam repulit. Initium fecerat animarum procurandarum, ſub primum jam adventum, namque & Neophytos omnes, quibus inſulæ reſperſæ erant, confeſſione expiavit, & octoginta capitibus vitales aquas affudit. Nunc vero omnem Archipelagum amplexus, non prius ab opere manum retraxit, donec inſulanos Chriſtianis præceptionibus imbuiſſet, Sociorum opera adjutus. Ut ad quamque inſulam fama de adventu Vanegæ perlata eſt, prodibant catervatim barbari ex antris, lacubusque ſilveſtribus; & porrectis infantulis baptiſmum, ſibi Sacramenta ſecunda flagitabant. Quos morbi, ſenectus, vexationum metus, invia loca, & prærupti montes arcebant, ii continuato labore per Patres conquiſiti cumulum lucri fecerunt.

CAPUT QUARTUM.

Ad Chunos navigat; commemorantur ipſius præclaræ virtutes, & mors.

HUnc laborem cum invicta patientia exhauſiſſet, ad ultimas terrarum oras, Chunorum, Huillorumque regionem penetrare auſus, egregium Apoſtolicæ fortitudinis exemplum dedit. Ab Archipelago Chiloenſi tridui iter eſt Gvatanam, quæ prima Chunorum inſula eſt. Hanc incolebat Delco gentis Dux, qui incertum quando, ad Chiloenſem inſulam navigans baptiſmo initiatus erat. Hunc præter, rari admodum Sacra noſtra capeſſiverant. Gens omnis partim in continenti Americæ ora degit, partim in innumeris, quæ mari imminent, inſulis diſperſe & diffuſe habitat, tam parvo numero, ut ſi Gvatanam excipias, nulla inſularum ultra tres, quatuorve familias alat. Solum omne infœcundum, petroſum, ſilveſtre, adeo rei agrariæ inimicum, ut ne ſementem recipiat quidem. Indigenæ victitant piſcibus, ac maris rejectamenta glutiunt. Interdum mulierum ope ad imum maris fundum demerguntur, ex quo longo poſt tempore præda conquiſita plenis caniſtris emergunt. Aquæ dulcis copia iſthic nulla, de lupis marinis oleum exprimunt, ac præter hunc liquorem, nullas alterius vini potusque delicias norunt. Huillorum, qui freto Magellanico propiores ſunt, conditio longe magis miſera, & indoles aſperior eſt. Plicatiles ex corticibus arborum caſulas in conum erigunt, piſces crudos & oſtrea vorant. Pelle tota nigri, crine adeo aſpero & vibrato, ut ſetas potius, quam humanos capillos referant. Huillos, Chuni tanquam feras venan-

nantur, captos ut mancipia tractant, peregre transferunt, vendunt, donant, Chiloenſibus præcipue, atque cum miſellis prope felicius agitur longe a patrio ſolo, quam domi. Porro cum hæc earum terrarum indoles, hique gentis mores eſſent, in avitis erroribus permanſerunt. Donec tandem anno 1619. Melchior Vanegas, Auſtralium inſularum diuturnus, ac plane Apoſtolicus Doctor, otiolum nactus, ſpretis vitæ diſcriminibus incognito mari ſemet committeret, atque ad Chunos cum Matthæo Stephano Socio ſolerti penetraret. In triduana transfretatione, horreſcente mari, cymbula, qua vehebantur, pene ſubmerſa eſt; ambo tamen poſt varia pelagi ludibria emerſere. Ad Gvatanam inſulam pervenerant omine bono, namque Delco cognito Sociorum adventu; mire lætatus, celerrimo opere Sacellum excitaverat ad uſum Sacrorum, populares ſuos numero, quo poterat maximo, congregarat, iisque author fuit, ut ſe Patrum inſtitutioni permitterent. Inde ad continentem digreſſi; tum ad vicinas inſulas; pleroſque doctrinæ Chriſtianæ ſitientiſſimos reperere. Ducentos ac duodecim baptismo maturos in album filiorum DEI retulere; plura molituri, niſi utrumque Majorum imperia ad ſuam ſtationem revocaſſent. Igitur divulſi, eorum ſalutem divinæ providentiæ commendabant, ſpemque faciebant miſeris, ut ſi ad Chiloenſem ſedem ventitarent, Chuni, Huillique pariter juvarentur.

Anno 1623. poſt quindecim Chiloenſis expeditionis annos, in continentem revocatus, Tyrocinio diutiſſime Rector præfuit, non vulgari fama Sanctitatis; inde orta: quod modeſtiam, demiſſionem animi, charitatem, & cæteras virtutes, Apoſtolicis Viris neceſſarias, omni conatu ſectaretur. Obedientiæ, quam ſcite Climacus *ſepulturam voluntatis*, & *quandam mortem* nuncupat, ſic ſe dedidit, ut quavis in re ab Majorum nutibus, tanquam ab Chriſti imperio, penderet. Ne minimam quidem Religionis noſtræ legem infringere a quoquam unquam viſus eſt. Caſtimoniam Viri ſatis laudavero, ſi cum Nierembergio, ejus Encomiaſte, aſſeruero, eum cum prima baptismi gratia obiviſſe; peccata tamen ſua ita dies, noctesque flebat, ut ſi nocentiſſimam vitam egiſſet. Caſtrenſi in urbe, auſa eſt Inda puella ſcalas parieti admovere, ut ex horto noſtro fruges ſublegeret, quam cum conſpicatus Vanegas eſſet; fuga ſe domo proripuit, atque editis clamoribus tamdiu circumcurſavit, donec cives re vulgata ad laudandum caſtiſſimum Nicetam concurrerent. Dum circa hoſtium fines nocte cum Socio iter faceret, ac moneretur: conſultum fore, ut ad neptem ſuam matronam perhoneſtam, cujus ædes non longe ſemotæ erant, diverteret, nullo pacto adduci potuit, ut ſecuram illic quietem caperet, dicebatque: *minus ſibi ab hoſtibus; atque a carne & ſanguine metuere.* Pericoloſa tempeſtate navigans, cum pene de omnium ſalute conclamatum eſſet, jamque, qui clavum regebat, gubernacula abjicere vellet; poſt fuſas ad DEUM preces, imperioſa voce juſſit vela laxari, pollicitus ventorum favorem, qui non diu poſt placidiſſime aſpiravere: faſſis omnibus,

bus, ſalutem omnium Vanegæ in acceptis referandam. Multa fertur prædixiſſe certo eventu confirmata. Poma ab eo expetita extra tempeſtivitatem, cœlitus accepiſſe, & accepta DEO conſecraſſe, non levis author commemorat. Multas inſtituit ad varios barbaros terra, marique expeditiones ingenti cum fructu. Donec anno 1641. nona Junii efferretur; elatus eſt humeris præcipuorum Virorum. Epiſcopus cum Clero, & utroque Magiſtratu, Religioſi item Ordines mæſti flentesque parentarunt. Pictores periti, ut ut cætera poſſent, ac maxime vellent, effigiem mortui pingere nequibant, quod ab nonnullis ad miraculum eſt relatum.

JOSEPHUS CATALDINUS ITALUS.

CAPUT PRIMUM.

De ejus vita ante initam Societatem.

JOſephus Cataldinus anno 1571. Aprili menſe, Fabriani in Italia natus eſt. Soccoſſi, in baptiſmo, ob Virginis iconem vernacula lingua ſic nuncupatam, & in Auguſtinianorum æde, pie in ejus patria cultam nomen accepit: quod tamen, aſſumpta Joſephi apellatione in Religionis ingreſſu commutavit. Invocata Virginis ope, ab hernia, quam in matris alvo contraxerat, prodigioſe liberatum fuiſſe, pii parentes crediderunt. Sub matris cura in ipſa pueritia, tantarum virtutum ſpecimina dedit, ut vixdum decimum tertium ætatis annum ageret, ab Collegiatæ Eccleſiæ Canonicis, ad ſuſtinendam perſonam vacantis officii, cui dignitas annexa erat, electus ſit; quod integerrima laude præſtitit. Subdiaconus factus ſtudiorum cauſa Romam conceſſit. Emenſo Philoſophiæ curriculo, in Theologiæ ſchola Mutium Vitelescum audivit: Sacerdos Laureti in æde Virginis primum ad aras fecit. Subinde a Beſgomatibus Romæ degentibus, Xenodochio & Templo ſuæ nationis, præpoſitus, oneri pares humeros ſuppoſuit.

CAPUT SECUNDUM.

Societatem Jeſu amplectitur, & in Gvairania Apoſtolum agit.

TRigeſimo ætatis anno ſenſit ſe impelli, ad ineundam Societatem. Votis potitus, adhucdum Tyro, Miſſionem Indicam ambivit, & ab Claudio Aquaviva facillime impetravit. Didaco Torres Peruviæ Procuratori traditus, Hiſpali religioſis Votis ſemet obſtrinxit. Qua in urbe cum a medico didiciſſet, vini uſum valetudini ſuæ poſſe officere, tota ferme vita deinceps abſtinuit. In navigatione utiliſſimam operam nautis, & vectoribus navavit. Limam vix appulſus anno 1604. longinquis ad Indos excurſionibus deſtinatus eſt. Emenſa Peruvia, Tucumaniaque omni, ſeptingentas omnino leucas, terris & fluminibus provectus confecit ante, quam ad Paraquariam veniret. Per Paranam navigans, rate cum vectoribus merſa, vix latum unguem a morte abfuit. In Aſſumptionis urbe: ad populum verba fecit, teneram juventutem literis ac moribus informavit, pœnitentibus aures præbuit, atque hæc triennio. Quas inter exercitationes iſtud ab eo cum præclara laude geſtum memoratur: Nobilis fœmina de vita periclitabatur, ac quanquam Canonici, cives, Religioſi Ordinis homines, ſatagerent undique, ut Chriſtiano ritu corpus Chriſti in viaticum, ſumeret; fruſtra erant, quod matrona ex prava opinione mortem ſibi accelerandam Sacramento crederet. Cataldinus precibus ad DEUM fuſis, obſtinatæ fœminæ cœleſte auxilium impetravit, quo adjuta, & peccata rite depoſuit, & magna pietate ultimis myſteriis communicavit. Neque vero operam omnem in cives conſumpſit, frequenter viſus eſt in Indorum oppidis, quæque ad animarum rationes, aliave gentis commoda pertinebant, indefeſſo ſtudio procuravit: ab abſtinentiæ & caſtimoniæ opinione tantam commendationem retulit, ut ea in Societatem redundaret.

Anno 1609. ad finem vergente, & Reginaldus Carega, qui tum Paraquarienſis Epiſcopus erat, & Ferdinandus Arias Prætor, Regio nomine ampliſſimas barbarorum provincias, ita Societati commendarant, ut una poteſtatem facerent, nova Neophytorum oppida & Templa condendi. Prima omnium provincia, quam Socii percolendam ſuſcepere, Gvairania fuit, Braſiliæ obverſa regio: innumeris barbaris referta, & Sacris pene deſtituta. Ad hanc Joſephus Cataldinus, cum Simone Mazeta Italo mittitur, cum ampliſſima ab Epiſcopo, ab Prætore, & Didaco Torres Provinciali poteſtate. Iter erat, per impeditas ſilvas, paludes, multa fluminum, ferarum, barbarorum pericula. Anno 1610. ipſo Purificatæ Virginis pervigilio; Gvairam, primum Hiſpanorum oppidum, intrarunt, lætis cætera auſpiciis; at Cataldinum periculoſus morbus excepit. Corporis fricationem ſuadebant medici, dicebantque illa

iſthoc malum depelli poſſe ac ſolere. Renuit medelam integerrimus Vir, & ne ab octogenario quidem ſenecione tangi ſe paſſus eſt. Valetudine, DEO opitulante, recuperata, urbem ſacris dictionibus ad omne virtutum genus inflammavit. Mox Villaricam, quæ octoginta millibus paſſuum abeſt, adverſo Parana, Huibajoque petivit. Qua etiam repurgata, recuperatiſque, quæ jam inde ab Ortega & Fildii temporibus reſervabantur, Sacrorum inſtrumentis, ac libraria ſupellectile, iter ſuum adornavit ad remotas barbarorum terras, quidquid obſtarent ferociſſimi Indorum abactores.

Ad Paranapanam, qui in Paranam præcipitat, cum Mazetta pervenerat, adverſo deinde Parana eo provecti ſunt, ubi is alterum fluvium, quem Pirapum accolæ dicunt, accipit. Nata videbatur oppido terra; ergo illud condere, & de Virginis Lauretanæ nomine, Joſepho Cataldino expeditionis Præfecto, nuncupare placuit. Nec repugnavere barbari, quorum ducentæ familiæ ea loca inſederant, quin ſtrenue operam conferre, & ut ocyus aſſurgeret, undique eniti cœperunt, ædemque ſacram raptim addiderunt, Dum labor fervet, ſeſeque aggregant coloniæ, ultro progreſſi Patres: Tibaxivæ, Pirapi, Paranapanæ, fluminum oras excuſſere. Viginti barbarorum pagos offenderant, ultimus octoginta circiter leucis ab eo loco aberat, unde digreſſi ſunt. In his multa ſagittanorum millia, magna vis imbellis multitudinis cenſebatur, atque ſane major, quam ut intra ſeptum Lauretani oppidi cogi poſſet. Igitur deſcribendi alterius oppidi conſilium arripiunt, quod Lauretano ita admoverunt, ut non niſi quatuor paſſuum millia interjacerent, ita nempe flagitabat Aticajes ejus loci Caſiquius. Oppidum hoc ſecundum Ignatianum dictum eſt. Alter præterea pagus, cui nomen Itabaraca, deſignatus fuit Ararerae conſilio potentis inter ſuos; quo, qui Chriſto nomen dare vellent, tuto commigrare poſſent. Denique Maracanis, germanis fratribus honoris cauſa datum eſt, ut dimidia leuca ab Lauretanæ ſede, cum ſuis clientibus, obnoxium oppido pagum ponerent.

His rebus ex animi ſententia confectis, Cataldinus ut gemina oppida incolis frequentaret, confluentem undique multitudinem liberali admodum voluntate complexus eſt, & quoſque in ſua ſpatia diſpertivit. Et labor erat infinitus, & graves acceſſerunt moleſtiæ: Indorum etenim vexatores, qui materiam ſuis latrociniis ſubtrahi aperte videbant; Societatis artes dire criminabantur, & neſcio quid minarum jactitabant. Commode vero accidit, ut tum Viſitator Regius, cum magna rerum gerendarum poteſtate in Gvairaniam veniret, ad quem Cataldinus magnis itineribus; centum leucas emenſus, cum prior acceſſiſſet, decretum rei Chriſtianæ ſaluberrimum accepit, quo Europæi omnes, literis Regiæ poteſtatis prohibebantur, ut ne Gvairaniæ fluviorum accolas, vi, dolove, aut alia de cauſa ad ſua ſervitia traducerent: reductionem Indorum ſolis Patribus, Regia authoritate miſſis, permitterent. A Prætore redux: novellæ

vellæ Reipublicæ augendæ operam impendit, vim maximam barbarorum ad communem vitam allexit: infantem morti proximum priſtinæ ſanitati reſtituit: barbarum hominem ætatis jam provectæ crucis contactu, & aquæ luſtralis aſperſione, a periculoſo morbo repente liberavit: magnum ethnicorum numerum, baptismi undis a dæmonis poteſtate vindicavit; multa mortalium millia numerabantur, qui per Cataldinum primis Gvairanicæ expeditionis temporibus, ad Chriſti partes ſunt traducti. Farina lignea interea vitam tolerabat, panem ne oculis quidem libarat, ſale condire cibos pene erat inuſitatum: ſtragula quieſcentis erant veſtis, qua induebatur; lectus corium, aut rete penſile. Itinera erant longiſſima & ardua, per fœdas paludes, arundineta, ſilvas, & nemora opaciſſima, per montes aſperrimos, inter creberrima pedum offendicula. Quæ omnia tam hilari animo egit, tulitque, ut exuberans lætitia in corpus redundaret, ac ut maxime vellet, riſum continere neutiquam poſſet. Atque ſic poſuerat Cataldinus prima Gvairaniæ oppidorum fundamenta, quæ futuris temporibus tot aliarum coloniarum ſeminaria extiterunt.

Biennio iis in laboribus exacto, Antonius Ritiſius in Cataldini ſubſidium mittitur. Hoc comite ad Gvairaniæ fluviorum ripas pagosque adſitos explorandos contendit, atque, ut verbi divini ſementem liberaliter fecerat, ita copioſe meſſuit. Permultis ethnicis ſalutis ſemitam verbo & exemplo demonſtravit. Unus Taubicius, apud quem magicæ artes inveteraverant, Patribus refragatus eſt, ac diu; ſed & is popularium proditionis inſimulatus, tandem victas manus porrexit; pagum, cui moderabatur, facibus ſubjectis concremavit, clientum ſuorum reliquias collegit, atque ſe Ducem ad Sancti Ignatii oppidum ſequi juſſit; infuſus cum ſuis oppido; ſe ſuosque pariter Patrum voluntati permiſit. Adfuit interea in Gvairaniam Martinus Xaverius Urtaſum, ſeque Cataldino adjunxit in laborum communionem. Hac copiola cum jam Cataldinus adjutus eſſet; Lauretanum oppidum Simoni Mazetæ, & Antonio Ruiſio regendum, perficiendumque commendavit, ipſe cum Martino Urtaſum, in Ignatiano perſtitit, Templumque multitudini par molitus; identidem ad longinqua, vicinaque loca procurrit, ut barbaros aggregaret: longumque agmen trahebat, quoties reverteretur. In utroque porro oppido, ab Cataldino, & Sociis, exigui temporis intervallo, bis mille quadringenti & ultra ethnici baptismi lavacrum acceperunt. Quadringenti barbari, multiplici concubinatu impliciti, abactis pellicibus, in legitima vincula ivere. Infremuiſſe viſus eſt dæmon ſuis damnis, atque Aticajem Caſiquium, Lauretani oppidi Ducem extimulaſſe, ut contra Cataldinum ac Socios conjurationem conflaret. At Patres ope divina freti, virili fortitudine multa molientem refrænarunt. Aticajes ſubinde pœnas dedit, namque dum novo ardore ſe in pellicatum rurſum implicaret, funeſta morte e vita proturbatur. Indorum abactores pariter circumvolitabant, cum his congreſſus Cataldinus, cœleſtium mortaliumque minas oppoſuit,

atque

atque eorum rapacitatem non ſemel compeſcuit. Anno dein 1613. quatuor Vota profeſſus, Cordubam ad Comitia provincialia, quingentarum leucarum itinere profectus eſt. Inde in Gvairaniam redux, nec labori, nec opibus pepercit, quo rem Chriſtianam augeret. Gvairanos plurimos Chriſto aſſeruit: eos rurſum, qui Indos abegerant, celeriter conſecutus, prædam ex manibus extorſit: peſte contactos ſedula charitate juvit: cœli ſalubritate redeunte, Sociorum opera mille quadringentos, ac ſeptemdecim barbaros, e nemoribus protractos, oppidis impoſuit.

Caput Tertium.

Piropoenſes in oppidum cogit; eosdem Lauretum traducit.

INcertum unde, emerſere rurſum prædones, ac valida, armataque manu Piropoenſium ſilvas pervagati, latebras omnes excutere parabant, ut illic deliteſcentes barbaros obruerent, atque in ſervitutem raperent, horum conſilia ut Cataldinus præverteret, præſtantiſſimos quosque Neophytorum ex Lauretano, Ignatianoque oppido deligit, expeditionis Socios, brevi oratione commonet, ut ne animos avito ſuo more afferrent, belli ac humani ſanguinis ſitientes, ſi reſiſtendi conſilio depoſito, in opere Evangelii honeſtam mortem oppetant, Laureolam ſingulos in cœlo manere. His verbis animati capeſſunt viam. Inter eundum ſenſerat Cataldinus animum, neſcio qua diffidentiæ umbra obſcurari: occurrebat barbarorum, ad quos ibat, ferocitas, ſolicitabat mentem, utrum Neophyti de conſtantia non eſſent receſſuri; num denique omnis expeditio proſperum exitum eſſet ſortitura? Hos inter animi fluctus metusque, circumſonabat aures quædam vox, ac demum audivit hæc verba diſtinctiſſime per aera ferri: *confide fili!* neque dubitavit eo ſono ab Virgine Sanctiſſima, confirmari cœptum, quam paulo ante ardentibus precibus fatigarat; ne incaſſum a ſe ſuſceptus labor abiret. Tantis auſpiciis adverſo flumine primum, deinceps per denſos ſaltus, & abrupta loca iter promovit. Menſis jam ierat, cum Cataldini præcurſores in numeroſum prædonum globum incurrerunt, qui more gentis arma concutientes, lunatis arcubus, ignotos advenas ad prælium ferociter provocaverunt. Contra Neophyti, ut imperatum fuit, poſitis armis colloquium poſtulabant; aſſeverantes: Relegionis communicandæ cauſa ſe adventare, & Magiſtrum veræ legis adducere. Quibus verbis cœlitus (uti creditum eſt) delinitus Aveneira barbarorum Dux, popularium ſuorum furorem compreſſit, juſſitque Cataldinum ſibi ſiſti, qui barbaros divinæ eloquentiæ artibus ita emollivit, ut Aveneira pagum ſuum, ac operam ad fundandum oppidum prolixe offerret. Quo antequam ſe conferret; veterator Magus ſolitudine Cataldini, qui Neophytos ad ſua remiſerat, animadverſa, de ejus nece cogitare auſus, cœleſti

oſtento

oſtento prohibitus eſt. Quipe Martinum Xaverium Urtaſum nuper demortuum, ſibi minaciter imminentem Dux barbarus vidit, & conſilium commutavit. Depulſo periculo, per intacta omnibus retro ſeculis nemora, ac rupes ſe tradit ducendum. Ad quintum itineris diem veſte, ac carne lacer, in deſignato ab Aveneira loco, novi oppidi fundamenta jacit, crucem conſpicuam erigit, ædiculam, ac caſam ex arborum ramis ac luto tumultuarie excitat. Quæ cum perfeciſſet, denos ipſos menſes poſuit in barbarie illa ad humanum cultum perducenda. Radices erant pro cibo, aqua pro potu, goſſipina tela pro veſte, pro confabulatione inculta barbarorum frequentia. Circumſtantes ſilvæ tygrium, leonum rugitibus perſonabant, viperæ paſſim occurſabant, barbari ſuo more horrendis ululatibus noctes inſomnes reddebant, æſtus ſolis in ramali caſa, fere ſub Capricorno, mediis in ſilvis, aere minime ventilato pene intolerabilis. Hæc inter nihil gravius Cataldino accidit, quam tanto temporis intervallo, nullius de Societate copiam habere. Quanquam cætera ſcriptum reliquit, tantis ſe id loci, cœlitus immiſſis redundaſſe deliciis, ut ſe præ mentis hilaritate vix caperet, interdum gaudio exiliret, atque admiratione plenus exclamaret: *O JESU! o bone JESU! qui fieri poteſt, ut ego unus tanta cæleſtium illecebrarum copia non obruar?* Interea creverat Catechumenorum numerus ad ſeptingenteſimum, ſpesque erat augendum, cum Cataldino renunciatur, Viſitatorem in Gvairaniam veniſſe.

Marcellum Lorencanam provinciæ Præſes in Gvairaniam miſerat, ut Sociorum labores, cum ipſe non poſſet, inſpiceret. Cataldinus, qui cæteris præerat, tum aberat, ut in ſilvis Piroenſibus novum oppidum conflaret. Ut primum de Lorencanæ adventu certior factus eſt, & ipſe celerrime contendit cum Primoribus Catechumenorum, ut una eſſe liceret. Poſt mutua urbanitatis, charitatisque officia, inter utrumque diſceptatum eſt, quo potiſſimum loco Piroenſibus nuperrime collectis nova ſedes figeretur. Tandem Lorencana pronunciavit, a veteribus oppidis non eſſe longius removendam. Igitur ſeptingenti Catechumeni ad proxima Laureto littora conſederunt, qui magna ſui parte nondum exeunte anno, per baptismum Chriſto nomen dedere; ſubinde ad easdem terras regreditur Cataldinus, gentis reliquias perſecuturus, magnaque novorum hominum præda cœtum Chriſtianorum locupletavit, quam omnem Lauretano oppido infudit, diverſis deinde temporibus, mille quadringentas familias partim Lauretanæ, partim Ignatianæ ſedis incolas eſſe juſſit.

CAPUT QUARTUM.

Ejus ad Tucutienſes ſacra expeditio; Indorum vexatores, & Ariolos exagitat.

PRædicationem publicam obtinuit & altera ad Tucutienſes expeditio. Hi in intimis ſilvarum penetralibus, locis abditiſſimis ſuos pagos collocarant; aditus omnes ſepſerant adverſus prædones, quorum irruptionibus aſſiduo infeſtabantur. Iſtorum molitiones ut infringeret Cataldinus, more ſuo præmiſſis Neophytorum fidiſſimis, qui animos Tucutienſium explorarent; non dubitavit ipſe cum pauculis Indis ſubſequi, ut ſi qua poſſet, per intactas ſilvas penetraret. Quindecim diebus cum vepretis colluctatus tandem ad pagum, ducentas barbarorum familias complexum, pervenit. Qui cum novitate Hoſpitum vehementer commoverentur; appoſita oratione tam belle flexit tumultuantes, ut niſi Caſiquii abſentia (a quo omnis vicinia pendebat) in mora fuiſſet; ſe illico Patri tradidiſſent. Qua re cognita, Cataldinus tricubitalem crucem, a noſtris operariis hic geſtari ſolitam, homini dono miſit: precatus, ut eo accepto benevolentiæ pignore, ad ſe venire ne gravaretur. Res mira! arcana crucis vi tactus Caſiquius, acceptam ad Cataldinum referens, ſpopondit: effecturum ſe, ut populares ſui in Sociorum diſciplinam concederent. Quod cumulate præſtitit; ſiquidem paulo poſt nongenti ſe ſtitere. Longe major multitudo cogi poterat, ſi Sacerdotum copia affuiſſet. At ſatius viſum, partos tuta ſtatione collocare, quam incertis imminere. Et vero dum tranquilla putantur omnia, prope funeſtam ſcenam orcus apparaſſet: In necem Sacerdotis Præſtigiatorem incitat, patratumque fuiſſet ſcelus, niſi gliſcentis perfidiæ indicia, in tempore Cataldinus accepiſſet, moramque nactus eſſet, barbarorum animos ex parte corruptos, conciliandi, qui ne rurſum malis artibus in transverſum agerentur, transmigrationem maturavit. Condicta die nongenti illi barbari, duce Cataldino iter auſpicati, ac divina ope eluſis prædonum inſidiis, ad oppidum Ignatianum proſpere pervenere.

Villaricam ſubinde Cataldino proficiſcendum fuit, ut arcana negotia, ab Inquiſitoribus Fidei ſibi credita, commendataque pertractaret. Per iter ad Indorum pagos deflexit, multiſque ſaluti fuit. Villaricæ ex animi ſententia confectis rebus, quarum cauſa venerat, ſe prope magnitudine laborum confecerat. Vix dum confirmarat valetudinem, rurſum ad ſuas exercitationes ſe retulit, ac quidquid prohiberent prædones, qui infenſi Viro erant, quod Piropoenſes & Tucutienſes eorum rapacitati ſubduxiſſet; viam inſtitit, ſpretiſque quas intentaverant, minis, ſe ſuis, reducendiſque barbaris reddidit. Magnam vim id genus hominum aggregavit, oppidis indidit, Eccleſiæ conciliavit. Porro inter reductos ethnicos,

cos, reperti ſunt Arioli, qui incantata oſſa Neophytorum ſtratis ſubjecerant, cum certa plerumque corporum pernicie: iidem ſuis præſtigiis, oſſiculisque feralibus, in Templo defoſſis, Patres e medio tollere parabant fruſtra, quod dæmon (ut pronunciarat) in Cataldinum ac Socios nihil poſſet. In Ariolos animadverſum eſt pro merito; pœnam emendatio morum, ac purior Chriſtianæ Religionis amor ſequebatur.

Caput Quintum.

Ad campeſtres Indos necquiquam penetrare contendit; apud Ibitirambetanos S. Xaverii coloniam ducit.

E Gvairania, qua parte campeſtris eſt, ventitabant Indi ethnici ad proxima Laureto loca, quos cum Cataldinus gratis officiis coleret, magnopere ſibi devinxit. Percontatus tandem, num ſe ad eas, quas habitarent terras, admittere vellent? reſponderunt: ducturos ſe. Ergo cum Didaco Salazario Cataldinus in hoſpitum fidem ſe dat, ac quo vellent, permittit ducendum. Menſis evolutus erat, (quod & crebra præcipitia occurrerent, & adverſo Tibaxiba flumine nitendum eſſet) antequam ad proxima campis loca perveniſſent. Eo cum ventum eſt, Indi ductores, popularium ſuorum metu, per notos callium anfractus, fugientibus ſimiles pagum ſuum deſertis Patribus repetunt. Ergo Cataldinus adoleſcentes geminos, quos eapropter adduxerat, cum muneribus ad campeſtres Caſiquios dimittit, ut gentis animos pertentarent. Quos ubi audivit Candiræus, vir præferocis animi, multa in Chriſtianam Religionem indigna prolocutus, ne videre quidem Sacerdotes voluit. Simulque adoleſcentibus imperavit, ut, ni mori vellent, cum filiabus, quas geminas habebat, jamque nubiles, matrimonio ſeſe illigarent. Majori natu id perſuaſum eſt, quamquam ei conjux domi foret. Minor, cui Philippo Pipirio nomen, mortem ſuſtinuit, ne matrimonii leges (nam & hic uxorem habebat) infringeret. Cataldinus, ex longa mora ſuſpicatus id, quod erat, ex Neophytorum conſilio, pedem retulit, atque dilata in commodius tempus expeditione, ſecundo flumine, celerrime reverſus eſt. Ad oppidum redux, deinceps barbaris aggregandis operam ſtrenuus navavit; donec Antonius Ruiſius ei in Præfectura, quam per undecim annos fere, ſumma cum laude geſſerat, ſuccederet.

Inita Gvairaniæ Præfectura, Antonius Ruiſius cum Joſepho Cataldino nova expeditionum conſilia agitabat; Ad Ibitirambetanos ire placuit; ut eos populos, ſi qua poſſent, Chriſto ſubjugarent. Ibitirambeta mons eſt arboribus obſitus, in confinio campeſtris & ſilveſtris Gvairaniæ. Circum montem pagi minores multi, quorum incolæ ſi contraherentur, copioſiſſimum oppidum conflari poſſe videbatur. Gens undi-

que ferox, & ſæviſſimis moribus. Hi Pipirium ab Cataldino legatum conciderant, hi ſilveſtribus Indis inſidias collocant, captos & cum tripudio mactatos, aſſatosque inter epulas ſolemniores vorant; præcipua his gulæ irritamenta ſunt, humana caro. Hac Ibitirambetani nullum palato gratius edulium novere. Superatis Tibaxibæ fluminis præcipitiis, & ſcopuloſis locis, ad eorum fines excenſum eſt. Neophytos Sociorum comites ingens metus occupavit. Ruiſius, ac Cataldinus primum Ibitirambetanorum pagum audacter ſubiere. Incolæ, quamquam a crudelitate manus abſtinerent, alieni, ac inimici propiores eſſe videbantur; negabant diſerte Socios recipere ſe velle. Affulſerat ſpes a propinquo Caſiquio major, qui non obſcura indicia rei bene gerendæ dederat, ſi Patres eum domi ſuæ ſalutarent. Quapropter feſtinatum eſt a Sociis, tum ut infida ſtatione celeriter exirent, tum ac maxime, ne novi Patroni benevolentia refrigeſceret, ſi moræ traherentur. Vixdum ad ejus ditionem perventum eſt, ita ſubito & Patrum, & barbarorum congruebant voluntates, ut oppido futuro area deſcriberetur, Templi fabrica initium ſumeret. Concurſu deinde multitudinis, Reſpublica quædam aſſurrexit; quam dum legibus, aliisque præſidiis firmare connituntur, trepidum nuncium affertur, conſpiraſſe variarum factionum populos, ac præſertim eos, qui ſuperiori anno Pipirium trucidaverant; unam omnium vocem eſſe, Sacerdotes advenas interficiendos. Quod Ruiſius Cataldino cum aperuiſſet, cœpto hic nihil deſiſtens, tranquillo animo reſpondit: *ſicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Quam æquanimitatem Caſiquius advena miratus, propero gradu ad hoſtes abiit, conventisque eorum Ducibus, intrepidi Sacerdotis dictum retulit. Vixdum dixit, metu panico hoſtes territi diffugere. Quærenti vero, quid ſibi tot cohortes, ab advenis, & inermibus metuerent? pro reſponſo dedere: Cataldini eam vocem, firmiſſimum pectus, quod mortem ſpernat, in ſtatione conſtantiam, ſuis rebus grande malum portendere.

Diſcuſſa hac nube, tanta ſerenitas rediit, ut nemine interpellante, oppidum ſecundis conatibus ſurgere, & Divo Xaverio ſolenniter dicari potuerit: tanta deinceps multitudine auctum, ut ſpem Patrum ſuperaret, admirationem in dies pareret novam. Infuderant ſe vicinorum oppidorum incolæ, remotiſſimi populi domicilium flagitabant, tanto numero; ut aliquando mille & quingentæ convenarum familiæ cenſerentur, ipſi illi, qui nuper arma ſumpſerant, ſupplices ventitabant. Dilapſis Sociis oppido unus Cataldinus præerat, atque quantus eſſet oſtendit, qui longiſſime ſemotus ſuis cum gente nondum domita, moribus, ac religionibus diſcrepante, ab omni humanitatis ſenſu aliena, integrum annum vixit; non ſolitudinem, non capitis pericula domi, non eminus antropophagorum minas, non præſentiſſimam rerum omnium inopiam, verbulo unquam queſtus ſit. In eo totus erat, ut feros incolarum animos mitigaret,

ret, barbariem omnem abſtergeret, vitia extirparet, erudiret rudes, ac tandem ſacro latice baptismo maturos ablueret.

CAPUT SEXTUM.

Villaricanæ ſedi præeſt; apud Gvalachos S. Petri, in Tapenſi provincia S. Joſephi oppida condit.

NIcolaus Maſtrillus Durandus, Paraquariæ Provincialis, Gvairaniam pro munere primum luſtraverat. Venit Viro in mentem, ut Chriſtophorum Turrianum Socium ſuum, Villaricam expediret, quod cuperet ea in urbe Societatis domicilium deſertum reſtitui, cum ad refrænandam nimiam quorundam privatorum in Indos dominationem, tum ad juvandos barbaros, qui ejus regionis loca inſederant, ac Sacerdote carebant. Cum res ex voto ſucceſſiſſet, ſedis ſtabilitæ gubernacula Cataldino commiſſa ſunt. Præſentia Viri haud mediocres urbi, Hiſpanis, atque Indis utilitates attulit, quod & authoritate valeret, & artem tractandi animos mire calleret, & in omnium commoda incredibili ſtudio ferretur. Digreſſus paululum ab ſtatione, ad Gvalachos inviſit. Magna illic terrarum, vis hominum erat; ſed enim in viculos diſperſa, atque extra communis vitæ uſum. Coalituram ſperabat, ſi oppidum poneretur, poſuit perbrevi tempore, ac Divi Petri nomine inſignivit; ſatagebat deinde undique, ut familias familiis jungeret, aliquam Reipublicæ formam induceret, amorem probitatis, ac Religionis inſtillaret; verum inveterata morum perverſitate, ac ferocia optimis conatibus reluctabantur, ut adeo infinito labori perexiguus fructus reſponderet. Conſtantia tamen evicit, ut nonnulli ad lucem Evangelicam cæcos ſuos errores damnarent.

Ad annum 1630. adeo ſævitum eſt ab Mamalucis igne, ac ferro, tanta circum populatio, ut paſſim per oppida Gvairaniæ trepidaretur, nulloque loco miſera gens conſiſtere tuto poſſet, ac demum oportuerit, aris, focisque relictis, ad Paranenſem regionem commigrare. Onus rei gerendæ rurſum Cataldino incubuit mille inter difficultates. Vix dum his ſe expedierat, non relevati, ſed commutati labores ſunt; namque pro Gvairania, altera provincia erat percolenda. Tapenſem ajo: hæc ad mare Athlanticum vergit, duas Societatis ſedes nuper admiſerat, ut tertia adderetur, Cataldino erat opus; res hunc in modum confecta eſt. Inter Sancti Thomæ, ac Divi Michaelis colonias, unius utrinque diei itinere Itaquatia ſita eſt, locus montoſis ſilvis undique circumdatus, incolæ ethnici; hi Templum, domumque erexerant, majorem in modum orantes, ut unus de Societate quamprimum veniret. Venit Cataldinus provinciæ Præſidis voluntate, nec mora: animos jam proniſſimos ita impulit, ut eadem opera, & Templum, & domus formam uſibus noſtris ac-

comodatam acciperet, & oppidi fundamenta jacerentur, & trecentæ ac quinquaginta familiæ ſtationes ſuas capeſſerent, quæ cum Religionis Chriſtianæ deſiderio tenerentur, facile neceſſaria Chriſtianæ ſapientiæ præcepta, & dogmata docebantur. Dum domi fervet labor, & rem communem curant omnes, ſuam familiarem ſinguli, ad ſilvas, & barbarorum latebras procurrit Cataldinus, non ſine animarum lucro. In hujusmodi procurſione reperit ſenem ætate depontana, nullius gravioris noxæ reum: illi, quem Joſephus Anchieta in Braſilia comperit, nihil contra legem naturalem peccaſſe, comparandum. Suum Cataldinus vixdum Chriſtiano ritu abluit, amiſit, cælitibus, ut ſpes eſt, inſertum.

Rurſum Mamaluci ſuis latrociniis omnia permiſcebant, jamque Tapenſem regionem incurſare cæperant. Et quanquam Patres obniterentur ſtrenue, caverentque quam maxime, ne Neophyti in Braſiliam raptarentur, tamen defugere eam ſuſpicionem non poterant, ſe authoribus iſta fieri. Paſſim barbari objectabant: eo conſilio Fidem Chriſtianam a Patribus prædicari, ſparſos colligi, e tutis latebris protrahi, ut una præda, omnium Mamaluci potirentur, quam ſuſpicionem iniquam, ut a ſe amolirentur Socii, nihil non egerunt. Altera de cauſa Cataldinus a Duce coloniæ Sancti Joſephi prope oppreſſus eſt. Is Chriſtianus cum jam eſſet, pellicem fovebat; hæc, legis divinæ amore, turpitudinem perosa, male conciliatum thorum deſeruit, Cataldinus ipſam Neophyto alteri in matrimonium legitime collocavit, tanta cum indignatione fædiſſimi Ducis, ut iſte tracta in partes numeroſa clientum manu, correptis armis Cataldino necem minitaretur. Hanc is ita ſprevit, ut coram parricida in genua procideret, ictum provocaret, mori denique mallet, quam ſancto propoſito decedere. Et quoniam barbarus, ejusmodi minarum & alias periculum fecerat in Petro Romero noſtro, & audaci facto nihil aliud mercatus eſt, quam ſibi exilium, pari nunc conſtantia Cataldini perterritus, poſito ſupercilio reſipuit. Hac tempeſtate ſedata Joſephinis incolis, ut prædonum furori ſe ſubducerent, atque ad Paranam transmigrarent, author fuit. Quantum porro rurſum in his traducendis per deſerta ſexaginta leucarum loca perpeſſus ſit a barbaris, patrium ſolum perdite amantibus; alibi deſcriptum reperies. Migratione facta oppidum, quod ad Paranæ ripam procubuerat, reparare cœpit, atque Indorum ſaluti operam commodare.

CA-

Caput Septimum.

Urvaicenſibus, & Paranenſibus Sociis præficitur; ejus mors, cæleſtes favores, & inſignes virtutes.

Anno 1641. Literæ Mutii Vitelleſci Generalis allatæ ſunt, quibus, quadraginta noſtri Ordinis hominibus, qui ad Paranam, & Urvaicam apud Indos ſementem Evangelicam ſpargebant, præeſſe jubebatur. Præfecturam ægerrime admiſit: admiſſam cum inſigni, veraque laude geſſit: multa dedit in domeſtico regimine charitatis, & demiſſi animi exempla: ab oſtentatione poteſtatis conſtanter abſtinuit, roganti, quam imperanti ſimilior; quanquam ſi res depoſcerent, & acrimoniam adhibebat: a proprii judicii dictaminibus abhorrere viſus eſt, totus in Conſultorum ſuorum ſententiam propendere. Præcipuam muneris ſui partem putavit in id potiſſimum curas intendere, ut Socios, quanquam nihil ſegneſcerent, ad ſummam alacritatem, & diligentiam incitaret, ut oppida ex infeſtis locis translata, ad Urvaicam & Paranam, ſicubi opus eſſet, ſarcirentur, ut ſummo ſtudio colligerentur barbari, quos Mamalucorum furor, pravæ ſuſpiciones, ac graſſantis peſtis malum miſere diſperſerat. Defunctus Magiſtratu: vitam reliquam tametſi placido otio perfrui poſſet, Neophytis regendis, informandisque impendit, donec in Gvairania inter Indos, in Sancti Ignatii ad Paranam oppido, quod ante quadraginta annos fundaverat, pie moreretur anno 1650. ætatis 83. quatuor Vota olim profeſſus.

Mortis locum tempeſtive præſciviſſe, inde conjectatum eſt, quod olim in Gvairania, cum inter Neophytos ſuos ageret, auditus ſit dixiſſe: *ſe non alibi, quam inter ipſos illos, e vita exceſſurum.* Octogeſimum ætatis annum cum ingreſſus eſſet, ac de imbecilli ejus ſenio permetueret provinciæ Præſes, aſſeveranter ajebat: *certo ſe ſcire, nondum adveniſſe ſupremum vitæ ſuæ tempus.* Precibus ad DEUM fuſis, præter naturæ ordinem, quibusdam baptismi beneficium impetraſſe creditus eſt. Iſtud inter mira alia de eo accepimus. Iter aliquando fecerat, ac ex propinquo inſolitas complorationes audierat; conſtitit, ut cognoſceret, quid id eſſet, renunciatur: fleri infantem, quem recentiſſima mors oppreſſit. Digreditur e via, domum ſubit, intuetur infantulum, reperit merum jam eſſe funus. Tum ille ſemovens ſe a turba, locumque ſolum nactus in genua procidit, nunc ardentes in cœlum preces fundit, nunc ſeſe ſeveriſſime incuſat, qui peccatis ſuis ac fortaſſis negligentia etiam Superos provocarit, ac miſeras has vices puerulo conciliarit, ut gratiæ divinæ expers extingueretur. Ergone, inquiebat, idcirco ex Italia per tot terras ac maria veni, ut funeſtiſſimo ſpectaculo adeſſem? ergone ob peccata mea infantulus hic expers erit pretii tui ſanguinis o Chriſte! hæc & talia cum diceret, genitor parvuli inferre in ſepulchrum corpuſculum parabat,

cum

cum derepente advertit oculis nictitare; accurrit ad Cataldinum, a quo ſubito lotus poſt iterata vitæ indicia in terris vivere deſiit, atque in cœlis cœpit. Illud quoque commemorandum venit: paulo ante mortem Majorum imperio adactum eſſe Cataldinum, ut de arcanis cœli favoribus in chariſſimorum ſuorum fratrum dulce ſolatium, atque incitamentum quidpiam vulgaret. Confirmate dixit: ſe ſæpius corporeis oculis conſpexiſſe Chriſti manum cum parte brachii, alba de more, & Sacerdotali veſte velati, ſub medium Sacrificii e calice exertam, atque ab ea manu inexplicabiles delicias, cum benedictione ſibi obveniſſe.

Neque mirum videri debet tam propitium Viro cœlum fuiſſe, qui vitam per pulcherrimas virtutes actam, proxime ad culmen Apoſtolicæ perfectionis perduxerit. Summa ei cum DEO conjunctio, incredibile immenſi illius boni deſiderium, a cujus contemplatione divelli ſe paſſus non eſt, niſi ejus gloriæ inter barbaros amplificandæ cauſa; tantus porro amor, ut eum toto vultu proderet. Nullam opportunitatem bene merendi de proximo prætermiſit. Quo quisque vilior, ac deſpectior ſe offerebat, in eum præ reliquis, pronitate animi ferebatur. De ſe adeo demiſſe contemptimque ſentiebat, ut nihilum ſe, ac ſi quid infra eſt, duceret: obedientiæ exempla edidit luculenta; nihil tam arduum imperabatur, quod promptiſſimo ſtudio, ac hilari alacritate non aggrederetur; de odio ſui corporisque afflictatione ſatis dixero, ſi eum Anachoretis antiquæ, ac primæ ſeveritatis ſimillimam vitam in Gvairania duxiſſe affirmem. In hac ille regione, viginti atque amplius annis, panem ne oculis quidem libavit. Farrina lignea, fabis, radicibus, & id genus cibariis vexabat famem. Inter ſummos calores, aſſiduos labores, quotidianas vigilias, humicubationes, victitabat hilariſſime. Omitto cilicia & flagella, quorum crepitum celare vicinos nequibat. Sanctiſſimi altaris Sacramenti cultor erat præcipuus. Mariæ, ac Joſephi nomina pientiſſime venerabatur, atque delectos Divos habebat, quos ſtato penſo, & imitatione ſtudebat ſibi reddere propitios. Tanti porro Viri, mihi per plures annos notiſſimi laudibus ſatisfeciſſe me arbitror, cum dixero: Joſephum Cataldinum, ſpectato virtutum numero, atque excellentia, & item rerum inter Indos geſtarum magnitudine, cum illuſtribus Societatis noſtræ Heroibus eſſe conferendum. Nec iſtud omiſero: ab Antonio Ruiſio (ut in hujus vita narrabimus) aliquando Angeli ſpecie barbaros defendentis viſum fuiſſe.

SIMON

SIMON MACETA NEAPOLITANUS.

CAPUT PRIMUM.

De ejus vita, & ingreſſu in Societatem noſtram.

Caſtilentum Atrienſis Ducatus in Neapolitano regno, non ignobile oppidum, Simoni Macetæ patria fuit. Eum pii ac honeſti parentes in luſtrali fonte Hectorem Herculem appellarunt. Septennis ob præcocis ingenii & pietatis maturitatem ad menſæ Divinæ communionem admiſſus eſt, quam deinceps in pueritia octavo quoque die uſurpavit. Ea in ætatula in genua projectus ante auguſtiſſimum Chriſti corporis myſterium, multas horas inter preces ducebat. Præterea per dies ſingulos, ſive Divina fierent, ſeu ſermo ad populum haberetur, mira quadam voluptate aderat, ſcilicet animus ille cereus in omnes pietatis formas a parentibus, & Magiſtris ſe duci ſinebat. Nec abluſere adoleſcentiæ mores a pueritiæ exercitationibus, quæ cum corpore in dies ſua incrementa capiebant, ut adeo admirationi ſuis popularibus eſſet. Glande plumbea, ex aberratione hominis, qui in alium ictum deſtinarat, crus transverberatus, quadrimeſtri ſpatio decubuit. Pro accepta valetudine JESU & MARIÆ gratias acturus Lauretum conceſſit, unde pietatis augendæ pium propoſitum retulit. Ad paternos lares reverſus, pium ſibi aliquem adoleſcentem adjunxit, quocum ſpe adipiſcendi Martyrii in Africam tetendit, jamque proceſſerat perſecuturus reliquum iter, niſi immaturum conſilium, Sacerdos, apud quem peccata depoſuerat, perſuaſiſſet commutandum. Ob immoderata exercitia pietatis, mens ejus, neſcio quibus religionibus, moleſte cœpit divexari, quam tamen moleſtiam DEO opitulante novis corporis afflictationibus redemit. Neapoli, in domo nobiliſſimæ Matronæ, quæ Caroli Sangri Societatis noſtræ Aſſiſtentis ſoror fuerat, honorarius cliens, tanta opinione verſatus eſt, ut inter literaria ſtudia omnium amorem ſibi conciliarit. Joſephus Cataldinus, ejus conſcientiæ quadraginta quatuor annis moderator, memoriæ tradidit: Macetæ juveniles annos, ſi uſurpata jejunia, & corporis afflictandi ſtudium ſpectes, cum Anachoretarum, & Divi Nicolai Tolentini vita comparari poſſe. Octo

interdum dies, parciſſimo pane & aqua contentus; non contacto ullo altero cibo tranſegit. Ut adeo, ne corpori noceret, ab his rigoribus fuerit cohibendus. Sacerdotio initiatus, inter Sodales Marianos, adeo piorum exemplis exarſit, ut conceptis verbis ſtatuerit, ſe Religioſorum hominum familiæ aggregaturum.

Mutius Vitelleſcus Neapolitanæ tum provinciæ Moderator Macetam, id ambientem, in Societatem recepit. Succeſſor Antonius Spinellus die SS. Simoni & Judæ ſacro anno 1606. in Tyrocinium miſit. Primo initæ Religionis die, poſita Hectoris & Herculis profana appellatione, Simonis nomen delegit. Admiſſus in contubernium, non faciebat finem religioſæ domus parietes, ac trita Sociis pavimenta oſculandi, ut hiſce indiciis manifeſtum redderet, permagni ſe facere beneficium Vocationis. Ac præterea ut Authori DEO gratum ſe exhiberet, conceptis privatim religionis votis, ſe totum ejus imperiis, ac nutibus ipſis conſecravit. Quot diebus ſtatis precibus Sanctiſſimam Triadem venerabatur: tempora diei ac noctis diſtinxerat in varias Divorum colendorum formulas. Anno Tyrocinii uno exacto, ut Apoſtolicos labores delibaret, oppida regni Neapolitani aliquot, cum Sacerdote Socio, tanta fama percurrit, ut Eminentiſſimus Cardinalis Aquaviva, idemque Archi-Præſul, ab Neapolitano Provinciali flagitaret porro operam Macetæ. Id muneris cum peteret alias, omnes Societatis artes, magno urbanorum & agreſtium hominum fructu exprompſiſſe dicebatur. Inde ſe referebat ad Neapolitana ſuburbia, quæ multorum menſium labore ad ſanctiores revocavit mores. Aucto his exercitationibus longinquarum ad Indos expeditionum deſiderio, ea cogitatione repelli ſe ſentiebat, quod farina lignea, & radicibus peregrinis eſſet veſcendum. At DEUS colluſtrata ejus mente, has nubeculas dimovit. Altero Tyrocinii anno, ab Claudio Aquaviva in Paraquariam deſtinatur, quanquam id nondum flagitaſſet. Romam evocatus, uberes DEO gratias egit, quod ad cupitiſſimum munus, DEO ſortes miſcente, ipſe potiſſimum amandaretur. Ex Italia Barcinonem navigans, ne latum unguem (merſa jam navigii parte) ab naufragio abfuit. Dum conclamatur undique, & deſperatio obtinet, Maceta quanquam æger eſſet, e lectulo proſilit, mulierculam captivam ethnicam inter vectores nactus adit; explicato mortis æternæ, ni Fidem Chriſtianam capeſſat, periculo, ita permovit, ut vellet; qua poſt accuratam inſtitutionem vitali fonte luſtrata, tempeſtas quaſi officio perfuncta conquievit, & ſecundi venti vela implevere. Barcinone terreſtri itinere Maritum, Matrito Hiſpalim petiit. Ubi navi conſcenſa, impenſis Catholici Regis Boni aëris portum proſpere tenuit. Non poſt multo Cordubam Tucumanorum proficiſcitur; ac editis Votis Societatis, ad Paraquariæ Metropolim linguæ Indicæ perdiſcendæ cauſa abiit.

Caput Secundum.

Primi ejus labores in Gvairania; de vita periclitatur; prædicit Indorum vexatores caſtigandos.

ANno 1609. in Gvairaniam cum Joſepho Cataldino penetravit, confecto ducentarum leucarum itinere. In urbe Regali lecto affixus, religioſa morbi tolerantia Apoſtolicis exercitationibus præluſit. Villaricam progreſſus, Hiſpanos, & indigenas pari utroſque charitate complexus eſt, & multiplici ope juvit. Inde ad Paranapanæum delatus, fluvios, qui in eum deferuntur luſtrans, viginti trium pagorum Indos perutili oratione ad condenda oppida cohortatus eſt; namque communi cum Cataldino labore, mox Lauretanæ, ac Ignatianæ coloniæ fundamenta jacta ſunt. Stabilitæ cum eſſent, adventantes barbaros, ab idolorum ſervitute ad unius DEI cultum convertit, & contra latronum vim conſilio, authoritate defendit. Si quid ab his otii eſſet, per frequentes excurſiones, novas colonias numero familiarum auxit, Templa condidit, Ariolorum mendacia retudit. His adminiculis Chriſtianam Religionem mirifice propagavit; & ne ſuperiora repetam, ea omnia, quæ in inſtitutione primorum Gvairaniæ oppidorum percenſui, quæque ab Cataldino ejus vitæ cap. 3. 4. 5. acta memini, aut Maceta authore, aut conſiliorum laborumque Socio ſunt perpetrata. Operæ pretium erat; paucos intra menſes viginti pagorum incolas Cataldini & Macetæ induſtria, in oppida coegiſſe.

Acerbum id vulnus fuiſſe malo dæmoni credebatur, atque eapropter Aticajem Caſiquium in transverſum actum, ad necem Macetæ inferendam ſtimulaſſe. Aticajes legitima uxore repudiata, pellicibus adhæſit, eumque gregem alebat, ut octo ei proles uno, eodemque anno naſcerentur, poſt brevem hujus vitæ uſuram ad feliciorem beneficio baptiſmatis transmiſſæ. Pro Sacerdote ſe inſanus ferebat, & nefandis Ariolorum religionibus apud plebeculam authoritatem captabat; cui ne obniterentur Socii, conſpirationem in eos conflavit. Neque per occultos cuniculos acta res eſt: quippe auſus erat Simonem Macetam, & Antonium Ruiſium palam adire, graviter conteſtatus: ſe neutiquam permiſſurum, ut ſacrificuli advenæ ſuis ſe moribus interponerent: libere eatenus pellicibus ſe uſos, uſuroſque inpoſterum, ut collibuerit: dictis minas addit, ac ter centum juvenibus armatis ſuccinctus, recta ad Maracanæ potentis Caſiquii oppidum ibat, quem ſuas in partes compoſita dictione pellicere contendit. Maracana, quanquam & ipſe vetitis amoribus operam daret, ac ſua luſtra haberet, oculorum nictu armari ſuos jubet, monetque rebellem: ſi ultro pergat, eum ſe pro hoſte habiturum, ſimul arma expedit, involaturus in hominem, ni pedem ex oppido extuliſſet. Interea Maceta & Ruiſius, conſcientiis mutuo expiatis, mortem læti in

momenta præſtolabantur, cum Aticajes comitatu dimiſſo, ſolus & inermis ad eorum pedes provolutus, de genibus veniam facti flagitat, quam, cum reſipuiſſe videretur, impetravit. At rurſum blanda pellex mentem hominis convulſit, ergo voluntario exilio ipſe ſe mulctans, in remotiſſimis ſilvis, omnium rerum inops, ab omnibus deſertus, inter mulierculæ ſuæ brachia interiit.

Hac tempeſtate vixdum ſopita, altera emerſit. Indorum abactores collectam diu iram, in Gvairaniæ Socios, qui tum barbaris colligendis intenti erant, effudere. Id parabant, ut disjecta Lauretana & Ignatiana colonia, everſis oppidis, Indos ſibi gregatim manciparent. Macetatum unus rebus præerat; Cataldinus ac Ruiſius in Gvairania agebant. Macetam adorti, indignis modis vexavere. Quin & Maracana, Socios, quorum hactenus partes tuebatur, inſita genti levitate, deſeruit. Jamque de Societate expellenda, de accerſendis aliis Sacerdotibus, cum duobus Caſiquiis conſilia agitabat, magnamque popularium partem in ſuam ſententiam traxerat. Cognita re Simon Maceta divino plane inſtinctus conſilio, Neophytis pro concione adeſſe juſſis, in hæc verba prorumpit: Filioli mei, quos ego in Chriſto genui, non me latent malevolorum in vos ac me machinationes, nunc ita habete: fraudum Magiſtris, brevis erit hujus gaudii atque communis lucis uſura! quibus ſublatis optata pace fruemur. Hoc dicto e Templo domum ſe ſubduxit. Poſtridie vero, quam hæc dixerat, Maracana, & duo conjuratores Caſiquii, gravi morbo correpti, poſt extincti ſunt inter luculenta pœnitentis animi indicia; quos Maceta ad terrorem cæterorum continuatis tumulis, addito vindictæ divinæ monumento terræ mandavit. Præcipuus factionis author, extra Gvairaniam viperæ morſu periit, ac documento fuit; longas eſſe DEI vindicantis manus, neque tam abditas eſſe uſpiam latebras, aut terrarum longitudines, quo non pertingant.

Annus decurrebat ad milleſimum ſexcenteſimum vigeſimus quintus, cum firmatis jam in Gvairania coloniis, ad Tucutienſes barbaros Simon Maceta cum Antonio Ruiſio abiit. Errabant ambo per intentatas eatenus vias, denſa nemora, nullo longiſſimi itineris ſeu Duce ſeu indicio; cum demum poſt dies aliquot ultro occurreret, ejus Caſiquii, qui apud Tucutienſes dominabatur, filius; hunc præeuntem ſecuti, reliquum iter per avia emenſi ſunt. Illud perincommode interea accidit, quod Neophyti Sociorum comites, inſidias permetuerent, ac ſuſpicarentur, eam Juvenis barbari benevolentiam, ad ſanguinarium exitum ſpectare, Patresque, ut caute rebus fidem adhiberent, ſubmonebant. Sed poſtera die male conceptæ ſuſpiciones evanuere, Caſiquio obviam progreſſo, ſeque, ſuosque ad oppidum inſtituendum offerente. Nova igitur colonia inter lætas acclamationes barbarorum, Divo Joſepho ſacra exſurrexit. Occupata primum a ducentis familiis, quas vicinæ ſilvæ ſubmiſerant, aucta deinde ſex vicorum incolis, denique quindecim pagis eo commigrantibus

tibus locupletata eſt. Simon Maceta, dimiſſo Ruiſio, quod reliquum laboris fuit, exhauſit. Id mirabamur, unum illum, in media barbarie, tot hominibus ferarum inſtar cicurandis, erudiendis, Sacramento initiandis, Templo, domibus ædificandis, ut minutula prætermittam, inſiſtere, integra ut permanſerat, valetudine potuiſſe; præcipue, cum congrui cibi, & virium fomenta abeſſent, ac præterea corpus ipſe ſuum rigide divexaret.

CAPUT TERTIUM.

Apud Inianenſes novæ coloniæ locum deligit; & in Gvairania JEſu Marianam coloniam firmat.

BIennio in Tucutienſibus reducendis exacto, ac Joſephinæ coloniæ cura in alterum translata, ad Inianenſes Maceta animum convertit. Ex ea gente aliquot Caſiquii ad Socios ventitarant, legis Chriſtianæ deſiderio capti. Oblatæ meſſis ut periculum faceret, tacite ſe, rebus ad inſtituenda nova oppida idoneis, inſtruit, ac invitantibus Ducibus, comitem ſe viæ dat. Iter erat horrore plenum, altæ rupes ac prope ineluctabiles ſcopuli, ut adeo, qua parte deſcendendum fuit, captandi eſſent ramuſculi, aut in funiculos contorquendi, ut corpora molliore lapſu demitterentur. Superatis viarum difficultatibus, locum futuræ coloniæ Maceta defixit. Caſiquii, qua pollebant authoritate, populum circum omnem concivere. Advenerant plures, ni Gviravera Caſiquius, Antropophagorum atque Incantatorum Princeps injecto metu ſibi obnoxios cohibuiſſet. Multa conatus is eſt, ut Macetam ipſum in caſſes ſuos pertraheret, & confectum, saginæ ſuæ, ſuarumque pellicum epulis apponeret. Spargebat idem in vulgus, Macetam prodromum eſſe acerbiſſimæ ſervitutis, quam ſerrituri eſſent ii omnes, qui novis ſeſe religionibus initiari paterentur. Simonis tamen conſtantia evicit, ut octingentæ familiæ, in Catechumenorum numerum adſcriberentur, quanquam & portenta juvere; cum enim ſub terra horrificæ voces audirentur, & ferarum nunquam eatenus ſpectatæ formæ occurſarent, terrorem eum hominibus incuſſerunt, ut ſolitudine relicta, ad oppidum trepidi convolarent, quod Divo Paulo conſecratum Maceta voluit, eſtque novis his incolis ita auctum, ut quater mille capita cenſerentur. Sub principium, fames ſuborta eſt, tam dira, ut palmarum medullis, fragis, vita fuerit toleranda. Macetam aliud angebat: ſolitudo inter barbaros, humanis carnibus aſſuetos, furere nondum dedoctos, omni ſuſpicione depravatos. Sed & his ſolicitus Patris labor, ſuaves artes, ac demum longa dies remedium attulerunt. Succeſſerunt manſuetiores mores, docilitas, patientia, ut procedente tempore ultro Chriſti jugum expeterent. Atrox ille Gviravera pariter in turba viſus eſt, at

at ſuperbo faſtu, ut qui pro DEO ſe gereret, ac ultta humanum cultum quidpiam affectaret. Monſtrum hoc, Maceta iis demum artibus verſabat, ut fractum ad mores mutandos adduxerit, ſacris Chriſtianis jam minus infenſum.

Mitigato tantillum, ut credi poterat, Gviravera, Antonius Ruiſius, & Simon Maceta, obfirmato ad quodvis diſcrimen animo, ejus ditionem ingrediuntur. Non inhumaniter accepti a Gviravera, viſoque multorum Caſiquiorum, ac populi favore, de oppido condendo ſermonem injiciunt. Haud invitis auribus barbarorum Patres auditi. Ergo ſedes eligitur ſub nomine ac tutela JESU MARIÆ ipſis Kalendis Januarii. Concurrit ad famam multitudo cum tanta comprobatione, ut luculente pateret, omnium animos ad veram legem amplectendam cœlitus eſſe commotos. Itaque manus operi admoventur; quæ initia cum Ruiſius vidiſſet, relicto ibi Maceta, qui oppidum educeret, regeretque; aliorſum abiit. Dum adnitente Maceta, ſurgunt tecta, calent advolantium barbarorum ſtudia, fit cenſus multitudinis, Gviravera rurſum ad indolem rediit, novumque furorem induit. Aliquot Caſiquiis ſtipatus, ad Macetam feſtinat: ſuperba voce Albam & Talarem veſtem, qua in Sacrificiis Pater ornabatur, ſibi dari jubet. Addidit verba in Divam Virginem & Socios contumeliis plena. Gviraveræ comites Simoni Macetæ authores erant, ut vexationem ferociſſimi barbari tantilla conniventia redimeret. Ille vero erecto in DEUM animo ad Gviraveram converſus: gravi voce *falleris,* inquit, *barbare, ſi me rem adeo ſanctam cani tibi, humanorum corporum oſſa rodere aſſueto, objecturum putes! ringeris; rumpere: nunquam adducar, ut cælorum Reginæ contemptori, dæmonis miniſtello, divinitatis uſurpatori, tibi perdite, vivo me ac volente ſacra hæc obveniant.* Simul dixit, ſimul arculam, qua veſtes continebantur, complexus; mortem, ſi res ferret, præſtolabatur conjectis in cœlum oculis. Mirum dictu: Gviravera dicentis magnanimitate attonitus, pallere primum, dein toto corpore tremore concuti cœpit, cæteris ejus comitibus humi proſtratis. Quos poſtquam mutos, ac tanquam de cœlo tactos Pater conſpexit, blandiore ſermone uſus adjecit: ſe ipſorum errori veniam dare: ad ſacram ſupellectilem tutandam oportuiſſe ſeveriorem vultum ſumere. Ad hæc tumultus conquievit, & aliquantula pax ſucceſſit, quæ ut ne longior foret, inconſtantia Gviraveræ fecit. Solebat is impulſu mali genii, interdum tanto impetu in furias agi, ut ore pleniſſimo ingentem vim ſpumarum evomeret, oculis ſcintillaret, crinibus horreſceret, inconditos clamores ederet, & lymphatica jactatione corporis, Eumenidum agmen referret; neque ſibi reddebatur, donec pellicum grex, verborum illecebris furentem hunc Herculem longum ac diu demulſiſſet. Hos inter furores, nocte concubia, nulla re laceſſitus ſubito in forum proſiliit, oppidanis ſomnum excutit identidem vociferans: ſe unum e numero DEORUM eſſe. Addidit: hominem in oppido verſari (Macetam in-

intellexit) quem jam nunc devoraturus eſſet. His Maceta cognitis, ſeque ſuosque Sacramentis communit, ac jam ſibi Martyrii palmam manu prendere videbatur, cum fidelium Caſiquiorum opportuna auxilia adſunt, quibus ſtolida Gviraveræ audacia momento eſt compreſſa.

CAPUT QUARTUM.

Sæpe de vita periclitatur; in everſione JEſu Marianæ coloniæ multa agit, patiturque.

INter adverſa hæc & proſpera res Chriſtiana prolata eſt adeo, ut bimeſtri nondum integro, quinquaginta Caſiquii JESU-MARIANÆ coloniæ accederent; ſperabatque Maceta, bis mille Sagittarios in Catechumenorum album referri poſſe, quibus ſi accenſeas imbellem multitudinem, triplo numerum auxeris; ut adeo facile conjicias, cœlorum Principes oppidum ſuum præ aliis voluiſſe eximium. Macetæ ſuo, domum e luto & levi palea, Templumque, Catechumeni conſtruxerunt; dum interim ipſe in vivis Chriſti Templis parandis ornandisque enititur. Unus Gviravera lætiſſimos ſucceſſus interrumpere moliebatur. Apemondum is Caſiquium, ad Chriſti partes tranſiſſe cum graviter ferret, nihil reliquit intentatum, quo ipſum perverteret, & in Macetam inflammaret, nec deſtitit, niſi confirmata conjuratione. Ergo ambo, ſatellitio ſtipati, ſcelus anhelantes, ad Macetam ſtrangulandum contendunt, patraſſentque crimen; ni barbari duo fide & amore erga Socios pleni, ex indiciis rem ſuſpicati, expeditis armis, viarum compendia ſecuti, in auxilium properaſſent. Præterea Franciſcus Diaſtanius, & Petrus Spinoſa, cognito Macetæ periculo, contracta Neophytorum manu, ad eum liberandum accurriſſent, quorum authoritate Gviravera rurſum in ordinem redactus eſt. Sed enim amoto metu ad antiquam improbitatem revolutus, nunc ſe Macetæ cum ſagittis (in ſignum belli) cruentatis, ſpectandum dedit; alias enſe aut cultro manu prælato, rurſum alias cum telis, atro colore infectis, in ſymbolum iræ ac vindictæ oſtentabat, & quanquam minacia verba abeſſent, tamen internas furias, & rugata frons, & flagrantes oculi, os torvum, & ſeverus riſus indicabant. Solitus is erat, cum integro furore furere vellet, pro pectore e collo tres laminas ſuſpendere, ſi paulo minus; duas adhibebat, ſi remiſſiſſime; unicam. Harum laminarum alteram, patenulam argenteam fuiſſe, qua in Sacrificiis utimur, non vanis indiciis ſuſpicatum fuiſſe ſe, Simon Meceta ipſe olim mihi narravit. Qui inter terriculamenta hæc, eum ſe geſſit, qui nec mortem metuere, nec ferocientem irritare velle videretur. Acciderat, ut Gviravera vehementer furente, nihil propius eſſet, quam ut Macetæ jam jam pro Fide moriendum eſſet, obtinuiſſetque indubie Martyrii palmam, niſi evitato prudenter

peri-

periculo, his cogitationibus conceptum jam deſiderium repreſſiſſet: *Enimvero ſi nunc moriar* (inquiebat) *quid de tot barbarorum millibus fide nondum confirmatis fiet? abſit o DEUS, ut tot animarum jactura lauream mihi quantumvis æternam mercer. Tibi curæ erit de mea gloria aliunde providere, mihi contra certum fixumque, coronam hanc & purpuram majori tuæ gloriæ poſtponere. Pro fratribus meis anathema lubens fiam, patiarque ut deleatur nomen meum de libro Martyrum, ut ſcribantur in libro vitæ tot animarum millia æterne DEUS! hoc meum ſit ſacrificium, nolle ſacrificari, ut tuis aris terræ hæ, hi populi ſeſe ſacrificent.* O dignam cedro vocem! hac conſtantia contuſa tandem Gviraveræ atrocitas eſt, qui cum ſerio beneficium baptiſmi flagitaret, & dubitaretur, quo potiſſimum nomine appellandus: injectis in urnam plurimorum Divorum nominibus, tertio eductum eſt *Pauli* nomen, ut in mentem veniret omnibus, Saulum Gviraveram fuiſſe, Paulum ſi vellet, eſſe poſſe. At proh dolor noluit! namque poſt varias fortunæ jactationes, in Antropophagiam, ut fertur, relapſus; ab latronibus trucidatur.

Dum ſuis rebus Maceta inſiſtit, numeroſæ Mamalucorum cohortes, e Braſilia in Gvairaniam, infeſta arma intulere; & poſt everſa alia oppida, unus ex prædonum Ducibus, cum ſua cohorte, & peregrinis auxiliis, & duobus millibus Tupicorum in armis, ſe JESU-MARIANIS oſtendit. Primores gentis, exploraturi, num palam hoſtili animo, tot cohortes venirent, extra oppidum progreſſi; momento catenis onerati ſunt. Maceta, ubi rem hoſtiliter agi animadvertit, ut Sacrorum reverentia reliquum furorem cohiberet, linteolum indutus cruce prætenſa hoſtes adit; deriſus eſt & contemptus, Indorum deceptor ac fatuus appellatus. Circumdabant Patrem nuper renati in Chriſto filii, amorem & dolorem, uberrimis lacrymis & alto gemitu ſignificabant. Hos inter Curuba Caſiquius de vi atque injuria Mamalucorum queſtus, adverſa glande transverberatus procubuit. Infremuit Maceta, & parricidam verbis caſtigavit, qui ſanguine jam fuſo ferocior; exerto acinace Sacerdoti imminebat. Pater contra pulcherrimæ mortis avidus, pectus illico aperit, caput inclinat, ut ſi ſupremum ictum invitaret. Nihil auſus ſacrilegus ferrum recondit. Quanquam in aliis ſchedis reperio, ictum vibratum occulta vi in vanum abiiſſe. Ut fuerit; in medio relinquo. Volutabatur interea in ſuo ſanguine Curuba, Chriſtianæ Religionis etiamnum tantum Candidatus; qui antequam expiraret, baptiſmum ſuſcepit. Prædonum interea furore omnia miſcebantur: Gviravera cum cæteris oppidi Primoribus catenati: ignobiles, manibus poſt terga revinctis ceu pecora abacti ſunt, Sacra prophanata. Neophytus ut necem fugeret, Macetam complexus, in ſinu, nec ſine diſcrimine Patris; confoditur. Cognita periculi magnitudine, & Petrus Spinoſa, & Franciſcus Diaſtanius cum ſelecta Neophytorum manu advolarunt, ſed enim præda omni jam abacta. Igitur miſerrimæ calamati, quod unum poterant, illacrymati, ad S. Tho-

mæ oppidum perrexere: illic Franciſcus Diaſtanius in manus Simonis Macetæ, quatuor Vota ſolemniter depoſuit. His peractis, conſultatum eſt, quid potiſſimum remedii, tantis malis adhibendum eſſet? ea ſententia valuit: ut Simon Maceta latronum veſtigiis ſtrenue inſiſteret, ſperari poſſe ad minus in Braſilia, prædæ partem, aut precibus, aut Magiſtratuum favore recuperatum iri.

CAPUT QUINTUM.

In Braſiliam profectus, captivos omni ope liberare admititur.

ARrepto profectionis conſilio, Simon Maceta & Juſtus Vanſurkius, cujus res paria fata volverant, obfirmato ad quodvis periculum animo, in viam ſe dant. Per immenſas ſolitudines latronum veſtigia premunt, atque expediti, præda graves, facile conſecuti ſunt. Ingentem illi turbam longis catenarum nexibus inſertam, præ ſe agebant. Maceta primo occurſu ut funeſtam ſcenam vidit, ſecum talia: *quid agis* inquit *anime? injice pedem tuum in compedes tuorum, & collum in numellas, eædem ſint Patris ac filiorum vices.* Quo dicto per renitentes Mamalucos præceps & obluctans ruit in amplexus ſuorum, ipſaque catena ſe implicans Sacerdos ſupplex fit prædonibus; *aut me*, ajebat, *rapite, aut hos ſolvite, Patrem pro filiis deprecantem audite, ac miſereſcite.* Corriſit barbara turba, & dupliciter inſanire Patrem dixit, tum quod ultro, ac volens in vincula ſe induat, tum quod cum periculo capitis partam prædam, fructumque longiſſimi itineris, putet tam facile projici poſſe. Non deſtitit tamen Maceta ab importunis precibus, donec emollito e latronibus uno, aliquot ſuorum impetrarit. Tum ad reliquos converſus, rurſum catenas ſibi injicit, ac moriturum ſe in iis aſſeverat, divelli ſe a charis pignoribus non poſſe. Vincula præcipue Gviraveræ ſtringebat, eo nomine quod ſæpe capitalis hoſtis fuiſſet, ac Chriſti vox eſſet: *diligite inimicos veſtros.* Prædones nihil tum tanta virtute commoti, diſtraxerant medios amplexus, & exertos pugiones intentabant. In medios rurſum mucrones ac tela Pater irruit, lacrymans ac ſupplex, donec crudelitas pietate victa, octo capita in conſtantiæ ſpolium ei concederet. Hos inter Gviravera & ejus uxor fuere. His in Gvairaniam remiſſis, ſpe reliquos recuperandi dejectus, ſolis deinde tribus comitibus, cum Juſto Vanſurkio, ſilveſtribus baccis victitans, per immenſa ſpatia miſeram illam turbam ſequebatur inter præſentiſſima vitæ pericula. Ibant Mamaluci minimis itineribus, ut imbecilli prædæ conſulerent, fiebat tamen, ut alii mutato cœlo, alii ætate fracti, alii pueritia minus firmi, iter ferre non poſſent. Quibus Maceta & Vanſurkius Sacramenta neceſſaria properarunt, atque eos ipſos utut cum morte luctarentur, feris expoſitos, deſerere coacti ſunt, ut aliis opem ferrent. Miſerrima erat rerum facies,

quo quisque fatiſcebat loco, illic moriendum erat. Infantuli lactentes, extinctis matribus paſſim peribant, unicum Patres, cœleſti lavacro ablutum, & in humeros ſublatum caſtris Mamalucorum intulere; cui necquiquam renitentibus barbaris, nutricem tandem dedere. Superatis demum ærumnoſiſſimæ viæ laboribus, Piratiningam Braſiliæ urbem delati, amice, ac copioſe ab Collegii Sociis excepti ſunt.

Piratininga, terreſtri maritimoque itinere ad portum Januarienſem cum perveniſſet, ad Judicem Auſtralis Braſiliæ cauſam detulit, ac queſtus de oppidorum Gvairaniæ depopulatione; jure poſtulavit, ut capti, patriæ ſuæ redderentur; cæterorum vero oppidorum indemnitati caveretur. Reſponſum tulit: Actionem ad univerſæ Braſiliæ Prætorem pertinere. Quapropter portu ſolvit, & Bajam Prætoris ſedem cum Præſide provinciæ feſtinavit, Prætor cum de omni re cognoviſſet, tandem edicto Patres ſolatus eſt, quo Gvairaniæ captivi reddi jubebantur, Judexque nominari, qui e Mamalucorum manibus prædam extorqueret. Spe minor fuit rerum exitus, namque cum ad Januarienſem portum vela reflexiſſent, non niſi duodecim capita ex omni numero ſunt recepta. Cum his igitur Piratiningam revertens, iſtud ad reliqua pietatis officia addidit: quadriennis puellus erat itineri ferendo impar, hunc humeris impoſuit, ac duarum leucarum itinere geſtavit, usque dum a portu S. Vincentii, ad apicem littoralis crepidinis evaderet. Piratiningam appulſum, nonnulli Mamaluci ab Collegii ingreſſu vi adhibita, arcuere, donec Collegii Rector ſuam authoritatem interponeret. Judex a Braſiliæ Prætore deſignatus non longe poſt ſucceſſit; at vix mortem a conſcelerato quopiam intentatam evaſit, ergo deſperato remedio, unde venerat, ad ſuos rediit. Maceta pariter ac Vanſurkius, quod novæ Mamalucorum cohortes ad cædem Gvairaniæ conſpiraſſent; exiguo captivorum numero ex tot millibus impetrato, reditum maturarunt. A Piratiningani Collegii Patribus, viaticum large miniſtrantibus, egregie adjuti: ſecundo Aniembio ad Paranam, e Parana ad Paranapenæi fluminis oppida, poſt unius anni terra, marique labores, facto etiam ad Aniembii ſcopulos naufragio (ubi Joſephus Anchieta olim ſubmerſus eſt) ſalvis corporibus, corrupto viatico pervenerunt.

CAPUT SEXTUM.

De cæteris ejus geſtis, & virtutibus.

VIx dum Maceta in Gvairaniam appulit, juſſus eſt oppida Neophytorum noſtrorum omnia obire, ut Societatem ſuſpicionibus oneratam apud indigenas purgaret. Sparſerant enim latrones in vulgus, idcirco a Sociis barbaros intra oppidorum ſepta concludi, ut collectos Mamalucis ſimul omnes velut porrigerent.

Re

Re feliciter pertractata, Jesu-Mariani oppidi reliquias ad Huibai præcipitii proxima loca tranſtulit, ut longius a prædonum excurſionibus removeret; ſed enim vix menſes ierant, cum Mamalucorum ſæva vis, rurſum Gvairaniam inundaret, oppida collaberentur, novæque migrationes fierent. Maceta rurſum ſuos Jesu-Marianos centum quinquaginta leucis ſemovit, per iter ad transfugarum munipulum diverterat, orabat, ut reſipiſcerent, ſe adjungerent; & repulſam tulit, & comitibus viæ mulctatus eſt. Poſt deſcenſum famoſi Gvairaniæ præcipitii, cum navigia non ſuppeterent pro omni multitudine, cum centuriis aliquot ſuorum, ad radices conſedit; dum ſcaphæ pararentur, aut aliunde ſe offerrent. Interea trimeſtri integro ſilveſtrium arborum frugibus victitabat. Deinde vero ſive terra ſive fluviis gregem ſuum duceret; nusquam res vacabat periculis. Demum ad loca oppidis deſtinata perventum eſt, illic ædilium curarum tanta moles fuit, ut laborum magnitudine, annisque ſenilibus fatiſceret.

Anno 1653. Apoſtolico morbo correptus, per quinque reſiduos vitæ annos lecto affixus jacuit, incredibili patientia; nam toto eo tempore nec queri, nec doloris levamen optare audiebatur. Noctes atque dies internis & ferventiſſimis cum DEO colloquiis (verba enim diſtincto ſono proferre non poterat) traduxit. Dum quotidiana fere corporis Chriſti ſumptione reficeretur, ita oculos lacrymis complevit, ut manarent: ita divino æſtu concaluit, ut undante intus amoris flamma identidem contremiſceret corpus. Per quinquaginta annos vitam egit ſilveſtribus in locis, mira ſane conſtantia, adeo nullo urbium deſiderio, ut mihi olim candide diceret, voto ſe illigaſſe, ad vitam in media barbarie tranſigendam. Eum Antonius Ruiſius, tanquam Angelum, auguſta ſpecie, per viſum ſpectavit bella Domini inter Indos bellantem. Et reapſe aliquando accidit, ut furibundus Europæus diſtricto enſe barbaros inſectaretur, huic Maceta ſe oppoſuit, cruce manuali duntaxat armatus, ſuosque tamdiu propugnavit, dum large cruentaretur. Quoties porro alias, cum capitis periculo, omni ancipiti fortunæ ſe objecerit, ut Indos tueretur? quoties pro eorum ſalute ad inuſitatas eſcas & ferarum prandia revolutus ſit? quæ terra, quæ mari pericula viderit? ſingillatim perſequi infinitum foret. Omni vitæ tempore corporis animique puritatem Angelicam conſervavit, conſtanter vini potu abſtinuit, panem viginti ipſis annis ne deguſtavit quidem. Sal cum abeſſet, herbis ac leguminibus aqua pura coctis hilariter veſcebatur. In Inianenſi colonia, tritico turcico ſub cinere cocto victitabat. Majoribus ſuis etiam in rebus difficillimis, heroice & reverenter obedivit. Commodiſſima ut ſubditis (ita rerum gerendarum ordinem digeſſit) incommoda ſibi obvenirent. Non ſemel prophetico ſpiritu futura prædixit, conſecuto præter expectationem eventu. Ex ulceroſo corpore roſeum odorem exhalaſſe teſtes perhibuere. Adierat Joſephus Cataldinus Macetam veteris amicitiæ cauſa, cum jam mutus ex

morbo jaceret, ac hortatus eſt, ut pro beneficio Miſſionis Indicæ, Ambroſii & Auguſtini hymnum, cum voce non poſſet, animo percurreret. Atque ecce! primis conatibus, diſtinčte & articulatim cum Cataldino totum pronunciavit, attonitis circum omnibus. Cum eodem alias: *Laudate Dominum omnes gentes & Roſarium* alternis recitavit. Præter quas voces, per quinquennium, alias edere nullas auditus eſt. Omnium eadem opinio fuit: Simonem Macetam, iis accenſendum, quibus ob ſingulares virtutes, & partam Sanctitatis famam veneratio debeatur. Indi, tanti Virum fecerunt, ut res ab eo contrectatas, quin & calcamentorum pulveres aqua mixtos, morbis remedio non ſemel optimo ſucceſſu adhiberent.

JOANNES VASÆUS
BELGA TORNACENSIS.

Mors ejus, vitæ tenor, & decora animi.

IN Lauretano Gvairaniæ Neophytorum oppido, juvandis peſte afflictis, quinque e noſtris anno 1623. operam contulere: in quos ſic officia diſtributa ſunt, ut duo conſcientias ægrorum, Sacramentis procurarent, totidem ſectione venarum, & aliis remediis corporibus opem ferrent. Joanni Vaſæo Templi cura, & juſta mortuorum obvenere. Sexaginta interdum corpora uno die elata ſunt; cum vis mali mitiſſime ageret, viginti, trigintave, terræ mandabantur. In eo opere Joannem Vaſæum peſtilens aura afflavit & extinxit. Tornacum Gallobelgicæ urbs, vetus Nerviorum ſedes, ei patria fuit. Inter alia artium ſtudia, numeros Muſicos ita calluit, ut in Alberti Auſtriaci, & Eliſabetæ Claræ Eugeniæ odæum adſcitus, artis laude floreret, & in pretio eſſet. Canonicatu, ac rurſum alio beneficio donatus, cum ampliora ab tantis Principibus ſperare poſſet; Societati jam Sacerdos nomen dare maluit. Reclamabat pater, quod tenues domi fortunæ eſſent, neque vivere poſſet, niſi per filium locupletem. Ergo e Tyrocinio dimiſſus, ea cura parentem ſuum abſolvit, annuo cenſu impetrato, rurſumque ſe Societati conſecravit. In Belgio pagos per orbem circuivit concionabundus, ut ſi Indicis Miſſionibus præluderet. Unam e transmarinis provinciam ambienti, (quantumvis ſpecioſior offerretur) Paraquaria ob laborum Apoſtolicorum famam placuit. E portu Boni aeris in Gvairaniam miſſus, Laureti ſexennium perſtitit, ubi ethnicis, ac Neophytis inſtituendis, egregiam ope-

ram

ram navavit. Eam imprimis laudem poſt ſe reliquit, quod Muſicam in eas orbis oras invexerit. Namque ex ejus ſchola præſtantiſſimi quique prodierunt, per quos elegantiſſimæ diſciplinæ uſus per varia Paraquariæ provinciæ oppida cum ingenti divini cultus augmento late dimanavit.

Quidquid Angelicam puritatem contaminare poterat, toto animo averſatus eſt, ut adeo per ſex annos in media & pene nuda barbarie, ne levem quidem contra caſtitatem incuriam admiſerit, ne in ſomnis quidem unquam illudi ſe ſenſerit. Antequam quietem captaret, ad lectuli caput ſedem collocarat, quo honoris cultu congenitam Angelis puritatem impetraſſe credebatur. In ſummis Gvarianici climatis caloribus, quanquam febriciret, nunquam niſi monito Superiore, aquam ori admovit. Dicere ſolitus: *tormenta ſe prius perpeſſurum omnia, quam ut legum minimam ſciens, volensque infringat.* Dictis facta congruebant; namque nullam Inſtituti noſtri regulam in Gvairania prætériiſſe unquam a quoquam viſus eſt. Facultatem generalem dandi ac recipiendi ſibi fieri recuſavit: compendia illa veniarum generalium, meritorum diſpendia appellabat. Dicere auditus eſt: ſi juberetur, cruce ſola ac breviario armatum, ſe per ſilvas & loca ſola, ſine viatico, ſine reliqua ſupellectili, ad fundanda nova oppida profecturum; quod in animum induxiſſet ſuum, obedienti, & ex divina providentia pendenti, deeſſe poſſe nihil. Nunquam tribunal ſacrum adivit, quin Patrem luminum deprecaretur, ut pœnitentium reas mentes ſupera luce colluſtraret. Priusquam in lectulo ad quietem ſe componeret, foribus apertis, cruce ad quatuor oppidi regiones ducta, orabat Superos, ut ne permitterent quidquam a quoquam committi, quod præter legem divinam eſſet. Cupediarum tam abſtinens erat cum adeſſent, quam nihil cupiens cum abeſſent; ſæpe a Majoribus veniam ſibi fieri poſtulabat, ut ſemota culcitra, ſuper nudo aſſere quieſcere liceret, ſi repulſam tulit, dictitabat: *malle ſe Majorum voluntate, mollibus pulvillis involutum in ſomnum prolabi, quam ſua voluntate collaudatas cætera aſperitates ſequi.* Tanti faciebat Indicam Miſſionem, ut omnia infra duceret, atque ea vitæ conditione triumphare videretur.

Tantus Vir, toto ſexennio, quo in Gvairania vixit, ne ſemel quidem perſenſit, eo cœleſtium conſolationum appulſu animum recreari, quibus Apoſtolici Viri, inter ſacros labores circumfluere ſolent. Inter orandum, arebat, languebat, tædiis obruebatur, ut ad remos ſe trahi ſibi videretur, cum ad orationem campana moneret. Nullo tamen die omiſit ſolitam ad meditandum præparationem, nullam toto eo tempore, Exercitiorum Divi Ignatii (ut vocant) additionem neglexit, & cum audiret Sociorum animos cœlitus immiſſis deliciis paſci, ſuo ſe humilitatis palliolo involvens, ſubmiſſo capite uſurpabat illud: *gaudeant bene nati.* Quanquam vero luculentis illis, ac dulcibus illecebris careret, tamen inſinuabant ſe cœleſtes immiſſiones, velut triſtitiæ velo, atque offuſa nebula contectæ, quibus ad conſtanter agendum, ad calicem Domini biben-

dum accendebatur. Pendebant Socii ab ore dicentis, dum de rebus divinis diſſereret. Chriſti actionibus ſuas veluti conjunxit ac univit, ut hæ ab illis pretium acciperent, a qua conſuetudine ſexennio non receſſit. Mirum illud: integri anni errata exercitiorum ſpiritualium tempore Sacramentali confeſſione expians, cum nihil certæ noxæ exhiberet, ne irrita abſolutio eſſet, juſſus eſt de mendaciis præteritæ vitæ confiteri, tum vero ille ingenuo candore reſpondit, tota vita ne ſemel quidem mentitum ſe fuiſſe. Paulo ante mortem a Provinciali impetrarat, ut ad Tajaobæ regionem, omnium, quot ſunt, periculoſiſſimam, mitteretur, ad quam dum ſe accingit, ad cœlos ut ſperamus anno 1623. ætat. 42. evocatus eſt. Hæc fere omnia Antonius Ruiſius, qui ipſius conſcientiam ſexennio moderabatur. Octavo a morte anno, pileus *quadratus*, Religionis inſigne, quem ſepulchro intulit, dum oſſa ejus alio transferrentur, integer repertus eſt, creditumque illud præter morem eveniſſe, quod ipſe iterato Societatem ingrediens, cœlo annitente ſignum eſſe voluerit, quam ſincere eam amaret, cujus teſſeram ne fatis quidem ipſis corrumpi pateretur.

JOANNES PASTOR ALBARACINENSIS.

CAPUT PRIMUM.

De ejus vitæ primordiis; deque ſacra expeditione ad Cujoenſes.

JOannes Paſtor Albaraci in Aragonia natales habuit; ut Illuſtrium Virorum ordini insereretur, meruit ſummi Viri egregius animarum zelus, Inſtituti noſtri ſcientia plane ſingularis, ſacræ expeditiones eæque arduæ, quas ſuſceperat. Ante omnia vero, quod idem is, longo annorum labore, incredibili induſtria; ſelectiſſima quæqne Virorum provinciæ noſtræ facinora, ex Peruviæ, Chileni regni, Tucumaniæ, aliarumque regionum *archivis* (ſeu tabulariis) eruta, percunctandoque collecta; ſcriptis voluminibus complexus ſit: quæ mihi Hiſtoriam Paraquariæ; præſensque opus ſcribenti, magno adjumento fuere. Crus, adhucdum infanti, turpis ſaga (quæ pari maleficio duos ejus fratres ſuſtulerat) acu tranſadegerat. Ope tamen Virginis Sanctiſſimæ, a piis parentibus implorata, depulſo malo memoriam beneficii tota vita conſervavit, ut ne porro ea efflueret; acus incantata, in ejus crure usque ad mortem ſine noxa

per-

permanſit. Studiis humanitatis & eloquentiæ excultus, Societatem Valentiæ impetravit. Exacto Tyrocinio, in Aragonia, tum Limæ in Peruvia ſublimiores ſcientias ea laude decurrit, ut vertentibus annis Theologiæ docendæ, in urbe, Chileni regni Principe admoveretur. Lima, cum Didaco Torres Paraquarienſis provinciæ Conditore in Tucumaniam profectus eſt, animosque arduis ad Indos Miſſionibus pares oſtendit.

Primi, quos adiit, Cujoenſes erant, qui Tucumaniam inter & Chilenum regnum, cujus Præfecturæ ſubſunt, latiſſime habitant. Tria apud hunc populum poſuerunt Hiſpani oppida, quorum caput Mendoca eſt. In ea urbe nullus adhucdum erat Sacerdos, qui indigenarum linguam probe calleret, ut adeo miſera gens ex avitis erroribus emergere non poſſet. Ad hos inſtituendos omnes Societatis artes (omnibus opus erat) bonus Paſtor exprompſit. Affudit lucem; ut veram Religionem, a teterrimo idolorum cultu internoſcerent: commovit mentes; ut abhorrerent a vitiis, virtutes concupiſcerent. Sed deinceps Præpoſitus cum eſſet, Templum ad noſtros uſus ſcite admodum apparavit; Lauretanum Sacellum pro regionis tutela erectum egregie ornavit: Suburbana loca mirifice excoluit. Hiſpanorum mores depravatos correxit: Futuri providus, multa præterea præſtitit, quæ ſubinde Mendocinam domum incolentibus noſtris ſummo uſui fuere.

Urbanis his curis perfunctus, ad arduas excurſiones animum erexit. Indi Cujoenſes alii lacuſtres ſunt, alii campeſtres. Hi nulla certa ſede commorantur. Storea portatili pro domo utuntur, quam defigunt, ſi quæ ſtatio placet; ac commutant, cum alia allubuerit. Venatu ut plurimum vitam agitant. Lacuſtres Indi, juncorum radices ſole durant, quibus ſic tanquam pane veſcantur, reliqua cibaria ſunt piſces, & demum, quæ palus rejectat. Utrique loca ardua pro munimentis habent, horum objectu ſe tuentur, ne ad ſervitia, quæ permetuunt, trahantur. Hos longo & difficili itinere cum adiiſſet Joannes Paſtor, metu dilapſi ſunt, & notis latebris ſe abdiderunt. Pater id quod erat ſuſpicatus; rate ex juncis & ſtorea raptim confecta, nunc torrentes, nunc paludes pervagatus: quædam latibula detexit, quosque nactus eſt allocutus: candide docuit, non per dolum, non vexandæ gentis cauſa ſe veniſſe, ne a ſe abhorrerent, qui ex amore arduum iter ſuſceperit, ut eos ſolari, atque in libertatem filiorum DEI aſſerere poſſit; addidit grata munuſcula, quibus ita cicurati ſunt, ut centum & ſexaginta ethnici mira promptitudine ſemet inſtituendos offerrent. Quatuor Sacella in totidem pagis erexit, ut cupientibus proximæ ædes eſſent, in quibus Chriſtianis myſteriis erudirentur. Literis ad Provinciales ſcriptis prodita ſunt, quæ Paſtor iis terris pertulerit: calore ſolis ac ſiti pene confectus, in aprico ſolo, cœlo ardente, nulla uſpiam umbra coactus eſt crucem oblongam, a Sociis id genus vitæ profeſſis geſtari ſolitam, humi defigere, e qua togam ſuſpenderet, ad arcendos flagrantiſſimos ſolis radios, & cum jam præ languore vix animam traheret, nec ingredi poſſet, pedibus manibusque reptando, ingenti DEI beneficio ad fontem defertur, quem niſi divina provi-

dentia

dentia obtuliſſet, animam exhalaſſet. Faciem a culicum morſibus, & caloris acrimonia ita deformatam eſſe fatebatur, ut elephanticus eſſe videri potuiſſet. Quinque admodum menſes Vir magnanimus in ea expeditione poſuit. Iterum ad easdem terras pari moleſtia profectus, quingentos paluſtres ſacro latice intinxit; & ex campeſtribus ducentos. Tanta de dæmone victo lætitia, ut ipſe, & ejus Socius Fabianus Martinius Societatis coadjutor aſſererent, labores quovis melle dulciores ſibi videri, & illicia eſſe, ad quidvis Chriſti cauſa tolerandum. Petierat ſubinde Chilenos montes; qui id regnum ab planitie ad Tucumaniam vergente dividunt; occurrerunt per iter Indorum manipuli, vix tecti corpora, miſeratus turbam, nudulos præcipue infantes rigente tum cœlo; togam ipſe ſuam in partes diſſectam, miſellis injecit, ac liquefacta nive omnes abluit.

CAPUT SECUNDUM.

De aliis rebus ab eo geſtis; Mataranos & Abipones adit; functus variis muneribus mortem obit.

COrdubæ Æthiopum, quæ Chileni regni Metropolis, Indorum confraternitatem ſtabilivit. Abactis pellicibus, magnum barbarorum numerum legitimis matrimoniis illigari curavit. Chileni regni valles, cum Didaco Torres Provinciali, ſummo gentis commodo peragravit. Cordubenſem regionem, cum Secretarius provinciæ eſſet, per altiſſimas rupes, viarumque anfractus emenſus, multis mortalium ſaluti fuit. Deinceps aliquot Collegia rexit, nihil prætermiſſo ſalutis animarum ſtudio. Æthiopes peculiari cura complecti videbatur. Societatis æmulis ita ſe oppoſuit, ut magnam inde prudentiæ laudem conſequeretur; amicorum Societatis, Magnatum inprimis favore ſic utebatur, ut præcipuum fructum inopes ferrent; nullis impendiis pepercit, quo Templorum magnificentiæ conſuleret; ſua manu Rector altarium ornamenta concinnavit. Multa paucis complectar: pleraque provinciæ Paraquarienſis Collegia, quibus præfuit, plurimum Paſtori debent.

Cum Eſterenſis Collegii Rector eſſet, magnopere impelli ſe ſenſit, ut Imperii Chriſtiani fines transgrederetur, novasque terras adiret. Ergo collato cum Provinciali conſilio, ratoque; interpretem delegit, atque ad Mataranos expeditionem ſuſcepit. Mataranorum natio ebrietati dedita, circulares potitationes quot diebus inſtituit; dies inter ſe partiuntur, atque alii alios in orbem ad pocula invitant. Præter quotidianas has debachationes, ſolenniores alias habent, quas funerales vocant, quia Majorum ſuorum manibus ſunt conſecratæ; cum enim ille dies anno jam vertente recurrit, quo mortui ſunt, ab hæredibus convivium apparatur, cujus præcipuum oblectamentum, temulentia eſt. Peractis triduo funeralibus, per horam integram coactas lacrymas fundunt, ſuccedunt choreæ, cachinni, & quæ non attinet commemorare. Iſtud veris lacrymis dignum, quod gens, cum iis mori-

bus

bus eſſet, tamen Chriſtiano nomine gloriabatur, Miniſtrumque habebat, noſtris Sacris initiatum, qui pueros luſtralibus undis purgavit, inſtruxitque. Verum purgati, ac Fidei principiis inſtructi, aut priſcum morem retinebant, aut ſi paulo deflexiſſent, revolvebantur. Hos Paſtor per Socium ſuum, qui linguam gentis probe norat, incenſa oratione aggreſſus, effecit, ut plerique meliores induerent mores, ingenti acceſſione rei Chriſtianæ.

Ex Mataranis iter ſuum ad Abipones convertit, quorum fines ſexaginta adhuc leucis aberant. Comites habuit: Mataranorum Curatorem, nec non præcipui nominis Caſiquios, Indosque complures. Nam quanquam Mataranos inter & Abipones, veteres belli cauſæ intercederent; ſperabatur tamen, tanti viri authoritate interpoſita, pacem ſanciri poſſe. Vix oppido eggreſſis, occurrerunt ſpiſſa nemora, ferarum ſpelæis, & tigrium veſtigiis horrentia, & alia id genus diri ominis: aculeatis arborum ramis flagellabantur identidem vultus, & veſtes lacerabantur. Aquæ penuria laborabatur maxime; neque ſiccis immodico calore & labore faucibus, alius potus aderat, quam aquæ pluviæ, quæ dudum in obviis foſſis imputruerat. Itinere medio, horridam hanc nemorum opacitatem, & aquæ caritatem, excepere paludes, quas Rubri fluvii exundatio ita auget, ut immenſæ videantur. Tantarum aquarum mole abſterriti Matarani, jam pedem referebant, atque indubie eo unde venerant, rediiſſent, ni Joannes Paſtor, & ſermonis vi & largitione nutantes confirmaſſet. Trajectis ægre paludibus, per planiores ſubinde campos iter fuit, donec tandem, duabus ab Abiponia leucis tabernaculum defigerent. Eo in loco, ſpem felicis expeditionis, metus intercepit, nec vanus. Dictitabant barbari exiguo ſe numero eſſe atque impari, ſi vim Abipones pararent, longe præterea ſemotos a ſuis, ut ſubſidia tempori adeſſe non poſſent. Gentem in cujus finibus conſediſſent, cædibus innutritam ac recentibus injuriis inimicam: fugam tacitam plerique omnes ſuadebant. His ut occurreret, Socium ſuum cum duobus comitibus, ad explorandos barbarorum animos præmiſit.


Socio ejus paulum progreſſo, turma ducentorum equitum Abiponenſium occurrit, quos dicendi vi, DEO favente, ita emollivit, ut gentis Dux, illico filium ad Joannem Paſtorem ſuas in terras deducendum, cum famulitio expediret. Adventantem primo in oppido, incolæ variis ludis & convivio excepere. Altero die crux, veluti captæ poſſeſſionis ſignum erigitur. Sub tentorio Joannes Paſtor ſacrum fecit, & eo, quo divinis operatus eſt habitu, crucem in ſublime attollens, omnibus adorandam propoſuit, barbaris non ægre ad venerabile ſignum genua curvantibus. Trans fluvium progreſſus, eadem alacritate, in altero pago acceptus eſt: pagi Caſiquio in omnia prono. Receperat is, nihil in mora ſe futurum, quin pueri ſui baptismo initiarentur cæteraque gens Chriſto nomen daret, modo Caſiquiis liceat, in montibus ſuis Numinibus dicatis, more Majorum ſepeliri. Id cum negatum eſſet fieri poſſe, licuit tamen ſolenni pompa, ex ingenti palma crucem attollere, ac doctrinam Chriſtianam explanare. Quam exiguo tem-

pore, adeo feliciter quipiam aſſecuti ſunt, ut idonei baptismo viderentur. Igitur Joannes Paſtor, extemporaneo opere, Templum erexit. Linguæ dein Abiponenſis lexicon conſcripſit, teneriori ætati principia Fidei tradidit, ſpesque creſcebat indies futurum; ut magnæ acceſſiones ad noſtra Sacra fiant; cum repente Paſtor Provincialis voluntate revertere jubetur, quod ejus conſilium atque operam in graviſſimis rebus univerſa provincia flagitaret.

Non ſine gemitu prædam reliquit, quam jam manu tenebat. Nec tamen meritum facto, nec ſua laus defuit. Celebravit Paraquaria imprimis animum in emerita ſenectute arduam Miſſionem aggredientis, deinde vero obedientiam deſerentis. In Tucumaniam appulſus, Tyronum, & eorum qui tertium probantur domicilio præficitur. Subinde in Comitiis provinciæ, Procurator deſignatus in Hiſpaniam & Italiam navigavit, unde ſelectiſſimum Sociorum manipulum colligens, ubi Hiſpalim pervenit, æmulorum arte, præcipua Sociorum parte ſpoliatur. In provinciam revectus, literas ab Præpoſito Generali accepit, quibus Paraquariæ Provincialis nominatus eſt. Hunc Magiſtratum triennio geſſit plena cum laude, quo defunctus, privatam aliquandiu vitam egit, donec Vir variarum virtutum anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, pientiſſime e vivis excederet.

FINIS DECADIS SECUNDÆ.

DECAS



ROCHUS GONSALVIUS PARAQUARIENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Rochi Gonſalvii vita ante Societatis ingreſſum.

Rochus Gonſalvius, in Aſſumptionis urbe, nobilibus parentibus ortus eſt. Pueritiam pietatis officiis totam exercuit; ea morum a teneris gravitate perhibetur fuiſſe, ut coætaneos ſolo aſpectu coerceret. Adoleſcentiam diſciplinis abunde excultam innoxie tranſegit. Primum ad aras facienti, palmam pro more gentis plebs obtulit, in conſervatæ inter juventæ lubrica, virginitatis ſymbolum; quam ex animi modeſtia geſtare renuit. Jam Sacerdoti, duorum oppidorum cura, extra natale ſolum demandata erat.

 Pa-

Patriæ ſubinde reſtitutus, popularium ſuorum Eccleſiæ regendæ admotus, tanta laude Magiſtratum geſſit, ut ſummæ integritatis opinionem indeptus ſit. Qua fama permotus Illuſtriſſimus Paraquarienſis Epiſcopus, ei ſuas vices cum Vicarii Generalis titulo abſens demandavit. Verum dum ſe ultro peti ab honoribus cerneret, quadragenario major, Societatem JESU, (ubi ſciret integris repagulis, dignitatibus aditum eſſe interdictum,) ambivit & impetravit.

CAPUT SECUNDUM.

Ad Gvaicuræos Chriſto domandos amandatur; dein ad Paranenſes.

CUm in Tyrocinio verſaretur: Gvaicuræorum ferociſſimorum, vagorumque mortalium regio, hactenus Chriſtianis Sacerdotibus impervia, Societati commendata eſt: tantaque fuit de Rochi Gonſalvii virtute opinio, ut Didacus Torres ſemeſtri Tyroni difficillimam expeditionem credere non formidarit. Ubi percrebuit eum ad Gvaicuræos amandari, Paraquariæ Prætor propingua affinitate conjunctus, frequensque nobilitas & Magiſtratus, quamvis denunciarent haud dubia vitæ diſcrimina, tamen ſperantes tanti Viri authoritate barbarorum furorem aliquando refrænatum iri; non difficiles annuerunt, ac iturientem ſuis votis ſunt proſecuti. Tranſmiſſo Paraquario flumine, poſt tridui iter, incurrit in Gvaicuræorum excubitores, ac deinceps in ipſas armatas cohortes. Barbari hi in inſidiis erant, ut Hiſpanorum præcurſores finibus arcerent, jamque tela expedierant, cum Rochus animo in mortem obſtinato per interpretem nunciat, ſe tranquillam pacem afferre, ac veri DEI prædicandi cauſa adeſſe. Mirum dictu, vix pauca hæc accepta ſunt a barbaris; usque adeo deliniti ſunt, ut poſt exploratos circum aditus, ad colloquium primum, mox ad contubernium Socios admitterent. Lætus his principiis, gentis linguæ perdiſcendæ conſilium arripit, diu noctuque calamo excipit interpretis verba, ac memoriæ commendat. Quæ res ſuſpicionem proditionis movit, tanquam ſi Rochus ſitum terrarum, vires, arma, modumque invadendi per eas notas, Hiſpanos hoſtes ſuos edocere vellet. De eo itaque perimendo iterum actum eſt: patratumque fuiſſet ſcelus, ni de charta recitaſſet Gvaicuræorum lingua, prima noſtræ Fidei documenta, quæ adeo placuere barbaris novitate ea attonitis, ut Dux caſam ex ſtorea Sociis adornarit. Quam rem non parum promovit, Gonſalvii, barbaris nota nobilitas, quem primum Magiſtratum inter Eccleſiaſticos nuper geſſiſſe non ignorabant. Ea Viri authoritate & alias refrœnati, violentas manus a permeditato jam facinore abſtinuerunt. Menſe integro in conciliandis barbaris poſito, de condendo fixo ſtabilique oppido conſultatum fuit; ut gens vaga commodius inſtitui poſſet. Quo in oppido uterque Sociorum tam

mul-

multis, tamque variis diſtenti ſunt curis, ut eorum in laboribus patientia pene fidem excedat. Noctes horrore complebant ebriorum ululatus, interpolato ſilentio terribiles: dies fœdabant cerimoniarum infernalium, & propatulæ Veneris ſpectacula. Hos inter horrores, ſub ſtorea abditi, diem diviſerant in preces ac earum linguarum ſtudia, ſuperatis primis difficultatibus, in lucem ſe protulerunt, ac ut poterant verba ad populum fecerunt, eo opere pretio, ut præter Ducis filiam, infantes plurimos ante mortem expiarent. Ac præterea id a barbaris impetratum eſt, ut ne in poſterum, inferias ſuorum, pro more gentis veteri, cæde propinquorum celebrarent. Peſte graſſante Gonſalvius cum Socio in omnem partem ſe verſabat, chirurgorum penuriam per ſe ſupplebat: lodice ulceroſos involvebat, tanta quorundam ægrorum approbatione, ut quinquaginta adultioris ætatis ſuſcepto baptismate mortem præverterint. Atque hi ſunt primi labores, & quaſi tentamenta heroicæ mortis Rochi Gonſalvii, in Tyrocinio præludentis, quæ olim facinora veteranus miles editurus eſſet.

Anno integro in his laboribus extracto, quod peritia linguæ Gvairanicæ, valeret plurimum, ſpe Paranæ ad Chriſti partes traducendæ, Marcello Lorencanæ, qui in eandem ſpem oppidum Divi Ignatii quindecim ab Parana leucis fundaverat, Socius jungitur. Cujus juſſu anno 1612. pauculis Neophytis comitatus, eo ſe contulit, ubi Fecujus fluvius Paranæ committitur. Attonitis ad Patris audaciam barbaris, ſciſcitantibusque, quid ita ſolus & inermis ſeſe in alienas terras Hiſpanis hactenus impervias obtrudere auderet? ſed ille crucis virtuti ſe omnia tribuere reſpondens, præcipua Fidei noſtræ elementa explicare orſus eſt, tantumque eloquentia potuit, ut eum per pagos ſuos circumducerent; unde ad Maracanaim, Jabeburim aliosque fluvios in Paranam ſe exonerantes delatus, eadem plane audacia populis ex omni undique littore ſeſe effundentibus, verbum DEI annunciavit. Tabacambium, totius Paranæ præcipuum Caſiquium donis & dicendi vi ſibi amicum fecit. Ut oppida grandiora conſtruere vellent, (doctrinæ Chriſtianæ commodius tradendæ) Paranenſes animavit. Confectis denique in itu & reditu centum leucis, ad Marcellum Lorencanam ſe contulit: quorum collatis conſiliis decretum eſt, gentem nondum maturam, beneficiis pedetentim prius conciliandam eſſe, antequam ad oppida reduceretur.

CAPUT TERTIUM.

Divi Ignatii oppido præeſt, & iterum Paranenſes adit, ſibique conciliat.

MArcello Lorencana ad regendum Aſſumptionis Collegium digreſſo; Rochus Gonſalvius præcipuam operam Divi Ignatii oppido addixit, multaque fecit memoria digniſſima. Namque oppidum ipſum, fervente bello, dilaceratum ſarſit, ac in meliorem ordinem digeſſit. Ethnicos e latebris erutos collegit, peſte infectis domi foriſque impiger adfuit, materiam Templo erigendo opportunam convexit, leges ſcripſit rudiſſimis mentibus peridoneas; quibus & tranquille vivere & rem familiarem tueri poſſent. Hinc ad Paranenſes, curas tranſtulit, quos crebris nunciis ad Fidem ſolicitabat, ad ſe adventantes donis onerabat, cum mercatus cauſa frequentiores confluerent; eorum in gratiam ludos, venationes, convivia, ſpectacula & id genus hilaria inſtitui voluit, ut ne minima aſperitas, & legum Chriſtianarum arctius inſtitutum eos percelleret. Atque hiſce artibus ſaxea illa pectora ſenſim emolleſcebant ad Chriſti Sacra, ut aliquibus ſuſcepto baptismo oppidanæ vitæ ratio placeret; quibus diſpliceret, ii in pace continerentur, ne tenellas plantas vexarent. Hæc inter exercitia Gonſalvius Didacum Torres Provincialem hoſpitem nactus eſt, a quo iconem Beatæ Virginis dono accepit, *debellatricem populorum nuncupatam*. Atque ſane ex vero; nam ea, in perpetuam comitem aſſumpta, inſignes victorias retulit de Paranenſibus juxta, ac Urvaicenſibus, utrorumque cum claritate nominis Apoſtolus, ut infra dicemus.

Jam Gonſalvius non paucorum Paranenſium pervicaciam fregerat, ac reliquorum animos multitudine beneficiorum ita ſibi adjunxerat, ut ſacrum fontem per ſeſe ipſi expeterent. Per hos candide edocetur de omni Paranæ terræ conditione, ſpemque conceperat rei illic optime gerendæ. Cruce igitur, ac MARIÆ Virginis ethnicorum debellitricis icone armatus; aſſumptis ex Divi Ignatii municipio, aliquot ſecum Neophytis, ineunte anno hujus ſeculi decimo quinto ſe dat in viam. Itinere terreſtri proficiſcendum fuit, per aſpera & invia loca; donec ad Appupem paludem, quæ in Paranam influit, navigium ex cava arbore ſe offerret. Loco ab Sancta Anna nomen dedere, qui primi Indias armis ſui juris fecerunt. Hujus paludis accolas eloquentia ſacra ita flexit; ut in ejus fidem perlubentes concederent omnes, idque efflictim flagitarent, ut novo oppido aream deſcriberet. Verum dilata hac eorum ſpe, alias in terras iter vertit. Monebant barbari, ne certo diſcrimini caput objiceret; permanſit tamen in ſententia, atque e portu Sancti Joannis ſolvit; adverſo Parana; Jecuii, Jabebuiri, Maracanai, Abi confluentium rivorum ripas lecturus. Eam omnem oram reſperſum eſſe ethnicis comperit, qui mutuis pugnis

fracti,

fracti, miſerrimam vitam agitabant, nec refragaturi Chriſtianæ legi videbantur, ſi oppidis coercerentur. Confectis ſubinde adverſo flumine quadraginta leucis; in anguſtias duarum inſularum delatus eſt. Hic eum ex improviſo multi barbarorum pictis ad formidinem corporibus adorti ſunt, clava & arcubus mortem intentantes. Dux eorum pro DEO ſe gerebat, ac multa confuſe murmurans, luculenta ſigna dedit concepti jam parricidii, aſſeclæ addiderunt vultuum barrituumque ferocitatem. Gonſalvius adverſum hæc, nota ſua arma, eloquentiam deprompſit, atque adeo blande eorum pectora occupavit, ut plerique poſita ſenſim ferocia cum ſpe baptismi obtinendi ſeſe Sacerdoti adjungerent; reliqui viam profecturo aperirent, ac etiam ductarent. Defunctus periculo, & auctus aliquo comitum numero, dum prorſum iter molitur, ſentit ſolito alacrius concitatiusque ab remigibus, navigiolum ſuum agi. Cauſæ neſcius ad Indorum pagum citiſſime pervenit, ubi plorabatur infans animam jam acturus, qui raptim ante mortem baptizatus, ad cœlos, popularium ſuorum orator futurus evolavit. In altero pago eadem felicitate alteri infanti ſaluti fuit. Confectis jam adverſo flumine quinquaginta leucis, Itapuam, locum in littore eminentem tenuit. Hunc collem inſidebant quatuor Caſiquii, cum non contemnenda clientum manu, qui poſtquam diu reſtitiſſent, tandem ſe Rocho Gonſalvio permiſere. ejusque donis in amicitiæ ſignum acceptis, ſpopondere novum oppidum eo loci conſtructuros, ſi Societas ſtabilem ſedem promitteret. In quam ſpem ſolemni pompa ingentis crucis erectione Paranæ (cujus inferiorem partem Argenteum flumen vocant) poſſeſſionem adiens, difficillimo itinere, quam celerrime potuit, Aſſumptionis urbem petiit, ut cum Paraquariæ Pro-prætore & Collegii Societatis Rectore, de ſubſidiis ad occupandam pro Rege Catholico tantam provinciam agitaret.

CAPUT QUARTUM.

Itapuanum oppidum fundat; tum S. Annæ ſtationem inchoat, eamque RR. PP. Franciſcanis tradit.

EA tempeſtate Franciſcus Gonſalvius a Sancta Cruce Rochi Gonſalvii germanus frater Paraquariæ Pro-prætorem agebat, qui decorum familiæ ſuæ ratus, ſi Paranenſis provincia toties Hiſpanorum armis fruſtra tentata, ſuæ maxime Præfecturæ tempore ad Catholici Regis obſequium, per germanum ſuum reduceretur. Communicato cum eo & Marcello Lorencana Rectore conſilio, diploma facit, quo Societati permittebat, quotquot oppida vellet ad Paranam & Urvaicam condere: Magiſtratus creare: Templa fundare. Addidit Lorencana ſacræ rei inſtrumenta ferramentaque, nec non cæteras res fundandis oppidis idoneas. Quibus rebus inſtructus per eadem diſcri-

mina

mina & nova verborum opprobria in itinere a barbaris jactata, Itapuam rurſum adiit. Itapuam Gonſalvio reduci, domum ex levi palea, luto, barbarico more confectam, conceſſere: cujus parte in uſum Sacelli apta, ta, per ſe & per nuncios proxima omnia excutiens, brevi effecit, ut non pauci Fidei Chriſtianæ ſubſcriberent. Auguſto Menſe Didacus Boroa, ei Socius acceſſit, quo adjuvante novi oppidi aream deſignat, Templum multitudinis capax ac barbarorum caſas ædificat. Virginis iconem populorum expugnatricem in aram principem ſolemni pompa infert. Exinde Paranenſis provincia ſub Cœlorum Reginæ patrocinio ſtetit, novaque colonia Annunciatæ Virgini rite dicata, ſub tanti nominis auſpiciis etiamnum viget ac creſcit.

Rebus apud Itapuanos ſtabilitis, relicto qui curam eorum gereret, Didaco Boroa, ipſe ad Appupenſem paludem ethnicis viæ ducibus iter capeſſit. Palus triginta leucis aberat, ſecundo navigabatur flumine, utramque ripam & inſulas, ipſaque effugia inſidebant, præferoces barbari, quos Pater mortis, ac minarum impavidus, frequenter allocutus ad ſacra Chriſtiana invitabat, nullo quod conſtet operæ pretio tum quidem. Interea ad Appupenſes incolumis pervenit. Amiciſſime acceptus, ſine mora ſacram ædem, Sociiſque domicilium moliri cœpit. Arduis equidem at ſecundis curis; namque poſt quadrimeſtre ſpatium, incolæ ad ſexcenteſimum numerum increvere. Menſe Novembri novum Prætorem Ferdinandum de Aſia adiit, de Paranæ rebus acturus. Prætor in Aſſumptionis Urbe domicilium fixerat, ac Gonſalvio affinitate junctus erat; quod ſororem ſuam cum germano Gonſalvii fratre in matrimonium collocarat, ut adeo perfacile impetraret, quæ vellet. Id ſi unum excipias, quod cum famæ avidus Prætor eſſet, ac ad nova Paranæ oppida inviſenda nimium feſtinaret, avertere a periculoſo conſilio Prætorem Rochus non poſſet. Quanquam enim omni rationum pondere eniteretur Gonſalvius Rochus, diceretque barbaros eſſe ſuſpicaces, animis nondum plene perdomitis, ac plura alia; nihilo ſecius tamen & Itapuanum, & Appupenſe oppidum ingreſſus eſt non ſine capitis diſcrimine. Apud Appupenſes cum ageret, Patres Franciſcani ab Prætore poſtularunt, ut ejus oppidi cura cum perpetua poteſtate ſibi traderetur, quod eam gentem olim ipſi ad Fidem ſolicitaſſent. Rem omnem Prætor ad Gonſalvium refert, Gonſalvius (cum Sociorum penuria laboraret) author eſt Prætori, ut ratam Patrum petitionem habeat; ergo ſexcenta illa capita abs ſe reducta, Prætore annuente Gonſalvius ad Franciſcanorum curam pro poteſtate ſua traduxit.

CA-

CAPUT QUINTUM.

Jaguapuani oppidi fundamenta jacit, & ſuperiorem Paranæ partem explorat.

SUbinde anno 1616. Petrus Oniatus Provincialis, Rocho Gonſalvio ad Aſſumptionis urbem evocato, in mandatis dederat, ut aliud item oppidum conderet ex reductione barbarorum, qui Paranam accolunt; ac ſuperiorem ejus fluminis partem nondum exploratam, ſuis ipſe oculis perluſtraret. Dicto obediens ut eſſet, ad Paranam revertitur. Tabacambium ducentorum tantummodo Indorum dominum, at longe lateque barbaros authoritate moderantem adit, rogatque, ut proxime ſurrecturi novi oppidi Ducem, ducalis de more baculi traditione conſtitui ſe ſinat. At barbarus ferociter refragatus, id unum tonabat, abunde ſibi dominationis eſſe, Paranenſes omnes ſuo imperio contineri, maculam ſe ſuo nomini aſperſurum, ſi immenſa poteſtatis ſpatia arcto oppidulo contrahat, illud indigniſſimum, ut qui jura dare conſueverit, diſpenſante advena accipiat. Admiſit tamen elegantem pileum Rochi Gonſalvii donum, ſed enim iſtud quoque ſic, ut cum acciperet, beneficium facere voluiſſe videretur. Ferocientem hunc barbarum nihilominus, ac non longe poſt, adnitente Gonſalvio ſuperba colla ſuavi Chriſti jugo ſubmittentem Paranenſes viderunt. Dilata id temporis ejus devinciendi cura, Rochus Gonſalvius omnem late viciniam excutit, conſpicatus eminentiorem locum, quem indigenæ Jaguapuam nuncupant, agit cum barbaris, atque a non paucis impetrat, ut ſedem in eo loco figant. Auxit copiolas Tamboaicus, inſulæ Jaguapuano littori obverſæ Caſiquius, quorum exemplo ex omni circum nemore ethnici confluxere, ac demum erecto ſolemni ritu crucis vexillo, Gonſalvio Architecto oppidum aſſurrexit. Diſtabat Jaguapua ab Itapuano oppido quatuor circiter leucis, ab Ignatiano vero duodecim. In his Socii ſedem ſtabilem fixerant. Jaguapuanis non ſuppetebat Sacerdos, qui illic reſideret. Ergo Ignatiani & Itapuani Patres, per vices ad Jaguapuanos excurrebant, ac novellam ſobolem omni officiorum genere fovebant, maxima Neophytorum & Catechumenorum acceſſione.

His ex animi ſententia fluentibus, Gonſalvius ad eam ſe curam convertit, ut ſuperiorem Paranæ partem, nulli Europæorum eatenus perviam, apoſtatarum & ariolorum fæce refertam, demum maximis periculis obnoxiam, exploraret. Iter adornare volentem inhibuerunt Neophyti Itapuani, ſibi Patrique metuentes, ob innumera a barbaris accolis pericula; eapropter nemo repertus eſt, qui Gonſalvium comitari tuerique auderet. Eadem formidine acti Ivienſes, & eorum confines; auxilia detrectarunt, dum tandem Arapizanduvius Ignatiani oppidi Dux, cum aſſeclis duodecim, & totidem Itapuanis, dilatandæ Fidei ergo, cuivis peri-

culo caput ſuum objicere non dubitarent. Gonſalvius tantillo comitatu navigium ingreſſus eſt; ſecundo ab itinere die, ingens metus Neophytos perturbavit. De qua re, ad Franciſcum a Valle, Socium ſuum in hæc verba ſcripſit: „ Decem inquit leucas cum progreſſus eſſem, ſubitus „ metus ita comites meos invaſit, ut de reditu cogitarent. Namque „ ethnici ad utrumque littus affuſi, barritibus, buccina, ignibus de adventu meo ſe invicem commonuerunt, neque ſatis ſcio, quo hæc ter„ riculamenta evadant. Sed ſi DEUS pro nobis, quis contra nos? ſicut „ fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat. DEUS nobis aderit. Tu nos pre„ cibus adjuva. „ Hos inter tumultus ad Jacambucum fluvium pervenere, ubi eos præſtolabatur Tabacambius, alter ab eo, quem ſupra nominavimus. Hic vicinos populos convocarat, armaveratque, ut Rochi Gonſalvii conſilia captaret. Igitur ultra ire volentem in veſtigio firmat, & monet, ut regrediatur. Cui Gonſalvius ſolita magnanimitate; non inquit huc veni, ut pedem cum dedecore referam, ibo quo me DEUS per meos Majores vocat; neque me ulla diſcrimina, ullus metus, ulla rabies impedient, quo minus ego legatus ſummi DEI miniſterium meum impleam. Loquentem interpellavit Caſiquii nepos ariolandi arte præcipuus, ac progredi volentem repreſſit. Cum igitur vis timeretur; Arapizanduvius imperanti, quam roganti ſimilior, authoritate ſua interpoſita, impetravit, ut ne Sacerdotem nulli noxium, omnibus beneficum eatenus jam progreſſum cœpto itinere prohiberent. Sic diſſipata nubes eſt, quæ tam tetra caligine luci Evangelicæ ſe offuderat. Decem ab eo loco leucis, Jacarejurus barbarus obviam proceſſit, qui Patri collocutus amice, pluribus exaggeravit ulteriora pericula. At Rochus nihil de conſtantia animi remittens urſit iter, qua poterat celeritate, exploravit utrumque Paranæ littus, nec non Mondai, Acarai, Iguacui, & Piracabi in Paranam ſeſe exonerantium oſtia, ut ut undique impenderent præſentiſſima vitæ diſcrimina. Dum tandem ad eum locum deferretur, ubi ducenti circiter barbari, clava ac ſagittis inſtructi, pictis pro more barbaricæ militiæ corporibus convenerant, tres deſertores Chriſtianæ Religionis ductabant gregem hunc, quorum impiiſſimus, Rochum de divinis rebus loqui inceptantem ex improviſo interpellat, atque tu quidem, inquit, Sacerdos de his tace, & ne obtruſeris nolentibus, doctrinæ tuæ nænias, veterana vulpes ſum, laqueos tuos novi. Plura parantem dicere, Rochus ſermone occupat, tantumque eloquentiæ vi apud plerosque effecit, ut longe mitiores evaderent. Quoniam vero rurſum omnia Quaracipucutius turbarat ethnicorum Duculus, homo præcipuæ feritatis; Gonſalvius intuta omnia videns, munuſculis in barbaros ſparſis, iter omne ſecundo flumine duplicata celeritate relegit, inter ſinceras amicorum gratulationes, quod e tantis periculis ſalvo capite evaſiſſet. Expeditionis is demum fructus fuit, qui ſperabatur, terræ & animorum accurata cognitio. Compertum quippe, pleroſque adverſi fluminis accolas

Evan-

Evangelio nondum maturos, ſenſim beneficiis ad humanitatem reducendos eſſe, antequam in oppida (quod poſterius factum eſt) & communem vitam coaleſcant.

Caput Sextum.

Multa agit & patitur ad Paranam memoratu digna.

NUllo ferme interjecto tempore (ut audax eſt & irrequieta charitas) Gonſalvius paucis comitatus, Parana ſecundo ad ethnicorum pagos iterum ac ſæpius delatus eſt, & tandem incredibili ſtudio evicit, ut multi Jaguapuam doctrinæ Chriſtianæ cauſa ventitarent ac demum in cives recepti conſiderent. Hiſpanos arma intempeſtiva Paranenſibus oſtentantes, ſua authoritate compeſcuit. Ferdinandum Ariam Prætorem, affinitatis, atque amicitiæ jure monuit, ut ne vellet irritare barbaros, quos una crux Chriſti ſuo tempore debellatura eſſet. Arerapæ & Tabacambio potentibus Caſiquiis, Fidem Chriſtianam amplecti volentibus, ſpopondit fore, ut Societas nova oppida in eorum terris fundaret, ſi modo conſtantiam adhiberent. Ne aliunde barbari rebellarent ſumma diligentia cavit. Ut pleríque Maracanajenſium ethnicorum Jaguapuanis ſe adjungerent, ac vera puraque Religione viverent Prætoris authoritate confecit. Aſſiduus & præcipuus Gonſalvii labor fuit, ſtabilire Jaguapuani & Itapuani oppidorum res, ut ex his veluti caſtris bellum dæmoni latiſſime inferretur.

Fame diſpulſos ad oppida denuo incredibili ſolertia reduxit. Reductos & peſte proſtratos omni ope recreavit. Peſti cum acceſſiſſet magorum perverſitas, qui in vulgus ſpargebant, baptismo enecari corpora, multa tulit toleratu difficillima.

Reperta eſt mulier, quæ filium ſuum ab Rocho clam ablutum, ex rabie iteratis aquarum affuſionibus obrueret, quo baptiſmi aquas, tanquam pernicioſam labem emacularet. Altera, ne infantem ſuum ut putabat, Pater perditum iret, fuſtem in eum contorſit; percuſſura ſane, niſi amica manus ictum repreſſiſſet. Barbarus homo eadem de cauſa armis in Rochum involavit, at rurſum intercepta vis eſt. Ethnici pene omnes, veluti phræneſi correpti, medicum averſati ſunt. Eo ardentius ille inſiſtebat operi Apoſtolico, ac tanquam pius Parens male ſanam ſobolem complectebatur amantiſſime, ſpretis omnibus vitæ periculis. Ad Jaguapuanos navigabat identidem, quæ res oppido huic ſummo uſui fuit; namque ſi viginti provectioris ætatis homines excipias, qui animum adverſus baptiſmum obſtinaverant, reliqui omnes expiati diem ſuum obierunt. Præterea ſecundo flumine navigans: ripam utramque, ac inſulas Paranæ, quinquaginta leucarum ſpatio excuſſit, plurimis lue affectis ſalutares undas affudit. Secundum hæc, provincia Urvaicenſis ei decreta

per Præſides eſt, quam antequam adiret, Petrum Romerum, cui Jaguapuanum oppidum obtigerat; per littorales Paranæ pagos circumduxit.

CAPUT SEPTIMUM.

In Urvaicenſem provinciam primus facem Evangelicam infert, & Conceptionis oppidum condit.

URvaica, primæ magnitudinis fluvius, inter mare Athlanticum, & Paranam medius, e Braſiliæ montibus originem trahit. Trecentis omnino leucis per ſilvas & campos vagatur, antequam Paranæ, qua flumen Argenteum vocatur, non nihil ſupra Boni aëris portum ſe miſceat. Totam porro illam tercentum leucarum terræ molem, quam hinc illinc interſecat, Urvaicenſem provinciam nuncupamus, perſæpe ab Hiſpanis vi armorum fruſtra tentatam. Nempe tantæ provinciæ devictæ decus, cruci inclytæ debebatur; qua una armatus Rochus Gonſalvius (cui gentile nomen a Sancta Cruce obtigit) auſpicatiſſimo ſubigere cœpit. Initia hæc erant: Rochus Gonſalvius cum juberetur Urvaicenſis provinciæ aditum tentare, implorato rite numine, delectuque paucorum Neophytorum facto, e Parana digrediens, per invia loca tamdiu oberravit, dum ad Aracutaim rivum in Urvaicam influentem perveniret. Illic eum frequentes barbari ab exploratoribus moniti præſtolabantur, nudi corpora, armis gentis, clava & arcu obmuniti. Hi cominus Patrem adorti, in veſtigio ſtiterunt, ac ni retrocederet mortem ipſam comminati ſunt. At Gonſalvius vitæ prodigus, pari libertate, intrepida voce, hæc reddidit: conſtituiſſe ſe apud animum ſuum ultra procedere, proinde obſtacula removerent. Non decere legis divinæ Præconem regredi, vitam ſuam omnipotenti DEO ſe conſecraſſe, ut infelices eorum animas, a mali dæmonis ſervitute ereptas, æterni DEI filio pro nobis mortalibus in cruce paſſo aſſereret. Deinde velut pro ſuggeſtu explicatis magnifice Religionis noſtræ myſteriis, eo rem deduxit, ut barbari refrænato furore, ad ſuos pagos dilaberentur, neque ultra ſuperiores minas, quidquam attentarent.

Dilapſis Urvaicenſibus, ingens metus invaſit Neophytos Rochi comites, qui Patrem vehementer obteſtati ſunt, ut ex ancipiti loco pedem, dum integrum eſſet referret, antequam conſpiratio barbarorum coaleſcat. At Vir Apoſtolicus dimiſſis ad tuta omnibus, qui ſecum e Parana venerant, retentis pueris duobus ut Sacrificii miniſtros haberet, in nemuſculo noctem agere non dubitavit. Cum mane illuceſceret, portatile erexit, DEUM ſummis votis deprecans, ut per pretium ſui ſanguinis, Urvaicenſibus (pro quibus vitam offerebat) propitius eſſet. Litare viſus eſt; namque ex vicino ſaltu adeſt improviſo Paracipucutius nobilis Caſiquius,

qui

qui operam ſuam Sacerdoti adverſum populares ſuos largiter ac ſancte pollicetur.

Eodem adnitente factum eſt, ut ex omni vicinia ad colloquium concurrerent Caſiquii, ac decernerent audiendum eſſe Gonſalvium. Gonſalvius porro ad affuſam multitudinem proloqui cœpit, itineris ſui rationes expoſuit, ac quantum id negotii eſſet, quod eorum cauſa ſuſcepiſſet. Placuit inprimis oratio Niezæ Caſiquiorum potentiſſimo, qui ut plura de his ex Patre audiret, eundem oblato hoſpitio ad vicum ſuum invitavit. Ab eo vico duabus leucis aberat Urvaica, illuc profecti Nieza, ac Gonſalvius cum barbarorum multitudine, e prægrandi ligno crucem in ſublime erexerunt. Quam ipſe Pater rite primus adoravit, docuitque Urvaicenſem populum ſuperba colla ſuavi Chriſti jugo ſubmittere. Namque ubi ille crucis myſterium explicaſſet, poſitoque reverenter pileolo, de genibus oſculum ſalutari ligno impreſſiſſet, quotquot adſtabant barbari, toto corpore provoluti, ſe pariter crucis aſſeclas futuros ſunt profeſſi.

Adita tanti fluminis poſſeſſione, Gonſalvius ad fundanda oppida animum appulit. Ibitiraqua, ab Urvaica, leuca non amplius abeſt. Quo cum frequentes confluxiſſent Caſiquii, Templum mira celeritate excitatum eſt, atque ipſo Immaculatæ Conceptionis die Gonſalvius ad aram fecit, deſtinavitque primam hanc ſedem Conceptæ ſine Macula Virgini, quemadmodum primum Paranæ oppidum ab Angelo ſalutatæ conſecrarat; id clam in animo, ac palam deinde profeſſus, victorias de utroque flumine partas, huic debellatrici populorum deberi. Tantæ auſpiciis Dominæ, ac Gonſalvii omnia circumcurſantis induſtria effectum eſt, ut undique advolarent barbari, novi oppidi cupiditate, ac certatim nomina darent. His informandis dum ſtrenuam operam navat; nuncium accipit, crucem in littore erectam, a barbaris, qui fluminis adverſas rippas accolunt, igni crematam. Eosdem, Niezæ Caſiquio infeſtos eſſe, quod Gonſalvium hoſpitio recepiſſet, jamque imminere oppido omni armorum genere. Intrepido quidem ad hæc Nieza ac prompto, ſuum ſuorumque pectus pro Gonſalvio tuendo opponere ac pro Duce ſe gerere. Quoniam vero Rochus probe noverat Niezæ ſui vires impares eſſe hoſtium furori retundendo, audax conſilium cæpit. Urvaicam contendit ad eum ipſum locum, ubi ariolorum Princeps crucisque everſor domicilium fixerat. Adit hominem, colloquitur, & ne rem morer, donis atque eloquentia ita ſibi conciliavit, ut pertæderet eundem porro turbas ciere.

Hoc pacato, ad adverſi fluminis incolas, apud quos bellum gliſcebat, curſum tenuit, non expectatus affuit; & ſine comitatu. Suſpecta res viſa fuerit barbaris; namque metu quodam panico perculſi ad ſua ſe latibula recepere.

Placato igitur ariolo & diſperſis hoſtibus, domum reverſus, totus erat in augendo & ornando novo oppido, quod aliquando futurum eſſet provinciæ Urvaicenſis caput & decus. Porro ubi Alphonſum Aragonam

Virum ſummis parem, conſilii & laboris Socium nactus eſt, undique ſe effudit, tantamque brevi vim hominum coegit, ut Templum capere omnes non poſſet. Placuit amplius moliri, neque longe poſt, omnibus operam conferentibus majus ac ornatius aſſurrexit. Divæ Tutelaris imago (Ludovici Bergeri opus) aræ impoſita eſt ſolenni pompa, cujus fama cum late dimanaret, allexit ethnicos, ut celebritatem coram ſpectarent, res demum ipſa incitamento fuit, ut multi Catechumenis adſcriberentur.

CAPUT OCTAVUM.

Urvaicam fruſtra tentat explorare.

PEtrus Oniatus Provincialis, cum pro more Urvaicenſe primum oppidum inſpiceret, ex Patrum conſulto decrevit, ut Urvaica flumen, usque ad portum Boni aeris hactenus incognitum, per centum & octoginta leucas, ab Rocho Gonſalvio quam primum fieri id tuto poſſet, inſpiceretur, & ſecundi oppidi fundamenta ad ipſum Urvaicæ littus, ni populi reſiſtant jacerentur. Igitur digreſſo Provinciali, Gonſalvius cymbas de una arbore concavas apparat, habitoque Neophytorum delectu operi accingitur. Hac re cognita, Urvaicenſes barbari, mirum quantum ſunt exacerbati; quod ſuſpicarentur Rochum, ad portum Boni aeris tendere, ut in exploratam jam abs ſe terram, Hiſpanos invitaret. Dux factionis fuit ille, qui ſub Urvaicenſis expeditionis initium, crucem ad Urvaicæ littus erectam diſturbaverat, ac cremarat. Et jam offenſus Chriſtianæ rei ſucceſſibus, vicinos populos armarat, impoſitos cymbis, qua Rocho Gonſalvio eundum erat, magno cornuum, tibiarumque ſonitu deduxerat. Præſagiiſſe id viſi ſunt amici barbari. Etenim ſub diſceſſum Gonſalvii & comitum monebant, meminiſſent iter hoc periculi plenum eſſe. Quapropter nec ignem excitare, nec palam progredi audebant Neophyti, ſæpe avia ſecuti, ſæpe tenebris contecti minimis itineribus proficiſcebantur. Dum ſic progrediuntur, & intempeſta nocte ad ripam arboribus conſitam quietem capiunt, audiunt ſecundo flumine, magno fremitu deferri furioſorum hominum cymbas, ac diſtinctis vocibus Rochum ad necem depoſci. Unicum atque utile remedium fuit ab ſilentio & tenebris; horum beneficio inobſervatus ac ſervatus Gonſalvius cum eſſet, poſtquam ſicarii longe jam abiviſſent, prodiit cum ſuis, atque unde venerat, quanta celeritate potuit, adverſo flumine iter relegit.

Ea re diſturbata, ad alterum oppidum fundandum in Urvaicenſi provincia Rochus animum convertit. Quod ut minimo vitæ diſcrimine fieret, generalem, ut vocant, venationem indixit, ad quam ut campeſtres Urvaicæ populi invitarentur, author fuit Neophytis. Ipſe turbæ ſe mi-

miſcens, quanquam præſeferret deſiderium feras conſectandi, tacite tamen animas deſignabat in ſua retia, opportunitate igitur hac nemini ſuſpectus, explorabat loca fundandis oppidis idonea, ac ſe placide in ethnicorum familiaritatem inſinuabat. Et loca quidem congrua ſeſe offerebant, animi tamen barbarorum immaturi adhucdum, ac præterea in pleriſque acerbiores erant, quam ut convaleſcere poſſent conatus oppida conſtruendi. Adde: quod e venatione redux Conceptionis urbem reperit peſte contactam. Peſtem ut fit, fames excepit adeo pertinax, ut plerique viribus licet attritis, palabundi ſeſe per campos & ſilvas diffunderent. Arioli occaſione hac uſi ſpargebant in vulgus, ob receptam Fidem pænas has cœlitus immitti; & Paranenſes ethnici per ſecretos calumniarum cuniculos Sociorum authoritatem ubi ubi poterant, elevabant. In horum machinis evertendis Gonſalvius ſummos exantlavit labores, tantumque conſtantia potuit, ut captis ad Paranam Joanne Quaracio, & Jaguapinio gentis corruptoribus, rei Chriſtianæ obſtacula amoliretur.

Caput Nonum.

Sancti Nicolai Coloniam fundat. Urvaicam explorat, geminaque oppida deſignat.

SEptennio integro in Conceptionis oppido ſtabiliendo occupatus Gonſalvius; ob pertinaciam, & barbarorum ſuſpicaces animos, pedem ultra Urvaicam figere non potuit. Pleriſque ſubinde, quæ præpedierant obſtacula, amotis, aſſumptiſque ſecum aliquot Neophytis, transmiſſo Urvaica eo pervenit, ubi Piratinius eidem commiſcetur. Duabus inde leucis ad ipſius Piratinii ripam loco peridoneo ad deſcribendum oppidum reperto, circum accolas, colloquendi cauſa ad ſe evocat. His conciliatis, ipſo Inventionis Crucis die, erecto communis ſalutis trophæo, Sacrificioque peracto loci poſſeſſionem capit, ac novum oppidum de nomine Nicolai Durandi Provincialis, Divo Nicolao dicat. His initiis gemino periculo perfunctus fuiſſe fertur: namque per ſilvas horis nocturnis iter faciens, tempeſtate fœdiſſima oborta, in ſævas tigrides incidit, præda futurus, niſi per claram fulgurantis cœli lucem eas prior vidiſſet, ac ſe ſubduxiſſet. Majus vitæ diſcrimen adiit ab barbaro homine, qui clavam Gonſalvio fatalem futuram, jam in ejus mapali abdiderat, parricidiumque animo deſignarat, ni cœlum (qua ratione incertum) opem tuliſſet. Porro Rochus Gonſalvius coloniam hanc Alphonſo Aragonæ regendam dedit; Ipſe cæteris Sociis præpoſitus, Paranenſem atque Urvaicenſem provinciam ſua cura complexus eſt.

Cum hæc gererentur, Ludovicus Ceſpedes, Argentei fluminis Prætor, ratus ſe magnam apud Catholicum Regem gratiam initurum, ac familiæ

miliæ ſuæ decus additurum, ſi ſe Prætore Urvaicenſis provincia oppidis crebreſceret. Igitur per literas Rocho Gonſalvio ſignificat, grande DEO, Regique obſequium præſtiturum, ſi Urvaica iterum ac diligenter explorato, ad Boni aeris portum deſcendat, ut mutuo conſulant, de optima ratione Urvaicenſis provinciæ domandæ. Acceptis literis DEO grates dixit, quod rei ſaluberrimæ promovendæ copia ſibi fieret. Tum delectis ex Conceptionis oppido audaciſſimis, & ipſo Didaco Nieza eorum Duce in viam ſe dat. Per iter obvios ſibi habet quadringentos ethnicos ad bellum proficiſcentes, his perſuadet, ut omiſſo bello ad ſua redirent. Infantem nactus morti proximum ſalutaribus undis lavat. Quaqua ibat, ad ſpectandum eum utriusque littoris populi ſeſe e nemore effundebant, linguarum varietate differentes, morum ferocia conformes. Hos voce manuque ut poterat, ad viam æternæ ſalutis invitabat. Vigeſimo quinto ab diſceſſu die, ſuperatis centum & quinquaginta leucis, portum Boni aeris tenuit, ſumma Prætoris gratulatione, qui quod ſciret Urvaicenſium Neophytorum Primores cum Gonſalvio veniſſe; ut nomini Hiſpano, & Regi Catholico magnam exiſtimationem conciliaret, novos homines magnifica pompa ſalutavit. Mox Didacus Nieza ante ſuos conſtitit, & ſolemni formula popularium ſuorum nomine profeſſus eſt, ſe ſuosque ſincera fide Regi Catholico, ejusque Prætoribus obtemperaturos. Prætor contra Regis nomine Urvaicenſis populi fidem datam & obſtricta obſequia legitime acceptavit. Didacum Niezam collaudatum ac largiter donatum in popularium ſuorum Ducem conſtituit. Rocho Gonſalvio & Sociis amplo diplomate poteſtatem fecit, colonias ducendi, oppida condendi, Rempublicam adminiſtrandi, Magiſtratus creandi. Et quoniam compertum habebat, præter bina oppida nuper poſita, rurſum alia duo ob commoditatem locorum fundari poſſe; ex ærario publico campanas, & inſtrumenta ſacris uſibus neceſſaria Rocho tradidit. Rochus Socio auctus Michaële Ampuero, per eadem pericula renavigans, quanquam ambitu centum leucarum omnia diligentiſſime inſpiceret, nihil tamen uſpiam reperit, quo colonias tuto ducere poſſet, oppidumque collocare. Invitabat haud dubie multis in locis cœli ſalubritas, & opportuna earum terrarum facies, ſed enim immites barbarorum animi repugnabant. Ad Japeiuienſes deinde converſus, pertentavit gentis animos, pronosque reliquit ad oppidum ponendum. Viginti leucis hinc digreſſus, apud Jaguaraitienſes idem præſtitit. Ac ſane, progreſſu temporis apud utramque gentem bella oppida ſurrexerunt. Japeiuienſe tribus SS. Regibus, Jaguaraitienſe Divo Xaverio conſecratum; quorum propinquiorem curam Sociis commiſit, ipſe eminus juvit.

Caput Decimum.

Fundatum ab Gonſalvio oppidum apud Ibicuitienſes a barbaris evertitur. Tapenſem provinciam adire tentat.

IBicuitus fluvius, centum ab portu Boni aeris leucis, in oppoſita Japeiuienſibus ripa, Urvaicæ influit. Per hunc fluvium ſcapha vectus Gonſalvius, exiguo remigum numero tamdiu luctatus eſt, donec ſuperatis quadraginta leucis ad Tabacæ potentis Caſiquii terras appelleretur, a quo comiter acceptus, longe faciliora, quam animo præceperat, rei gerendæ initia reperit. Nam Tabaca, audito Chriſti Evangelio, in ſe recepit eam multitudinem cogendam, quæ ſufficiat ad juſtum oppidum conflandum. Cujus rei ut initium fieret, erecta cruce & Sacello conſtructo, ſua domibus ſpatia diviſit, totamque loci imaginem deſcripſit Gonſalvius; & Sacerdotem ſe propediem ſubmiſſurum pollicitus, ad Urvaicam, quo eum officii ſui rationes evocaverant, properavit. Eo digreſſo, qui ſuperiores Ibicuiti fluvii oras accolunt, aliique barbari, facta conjuratione arma ſumunt, & rati Gonſalvium in Tabacæ pago adhucdum commorari, ad eum perdendum, demoliendaque novi oppidi initia magno numero accurrunt; crucem evertunt, ſacræ ædiculæ ignem injiciunt, perniciem novæ legis fautoribus intentant, hoſtiliter omnia convellunt, & inter atroces minas revertuntur. Rochus accepto hoc triſti nuncio, ac ſupremo Numine prius conſulto, ne ſumma rei periclitaretur, cum paucis remigibus ad locum diruti oppidi iter ſuſcipit. Ibi ab Tabaca, & vicinis Caſiquiis cognovit, abſentibus illis rem fuiſſe peractam, ac quanquam affuerant, ſe tantæ hoſtium multitudini pares minime fuiſſe.

Hic non conſtitit generoſi hominis pia temeritas; convocatis ad ſe interioris terræ Caſiquiis, qua authoritate, qua largitione, ab iis multum renitentibus, & diſſitorum populorum odia formidantibus, impetrat; ut ad Tapenſem regionem, Societatis laboribus poſtea clariſſimam ſe ducerent. Ibi dum explorat omnia, & animos barbarorum ad condenda oppida ſolicitat: nunciatur ex remotioribus locis hoſtiles copias, quæ in Gonſalvii caput conjurarint, adventare, quorum quidem primum inſultum provinciæ incolæ repreſſerunt. At cum majoribus copiis urgerentur, & jam extremo loco res eſſet, ſane mirabile conſilium arripit. Ingentem Ludovici Granatenſis librum explicat, & ſerram dentatam fabrilibus operibus deſtinatam ſublime effert, grandia quæpiam molienti ſimilis. Mirum dictu! hoc apparatu conſpecto, hoſtium exploratores perterriti, ſuis nunciant: Rochum Gonſalvium ferream machinam, grandem illam ac dentibus horridam circumferre, quo ajebat phalanges ipſas nullo negotio truncare poſſe, ac præterea cum compactis foliis colloqui, indubie ſupernam vim habentibus, ad integros exercitus exſtinguendos. His au-

ditis: barbari timore perculſi in fugam ſeſe effundunt. Rochus ſubinde, inſpecta per otium regionis indole, dilata in aliud tempus ſacra expeditione, magnis itineribus Urvaicam repetiit.

CAPUT UNDECIMUM.

Caaſapaminienſem Coloniam auſpicatur; tum Caaroenſem & Jivienſem colonias inchoat.

NOn multi menſes abiere, cum ſe utriusque expeditionis opportunitas obtulit. Namque ad S. Nicolai oppidum progreſſus, intellexit ab Piratinienſium Duce, inter Piratinium & Jiviium fluvios, locum Caaſapaminium dictum, fundando oppido apparatiſſimum eſſe, & circumjacentes populos haud ægre Fidem Chriſti capeſſituros. In eam ſpem aſſumpto in Socium Petro Romero, Caaſapaminienſium fines ingreſſus, obvios habuit ducentos circiter barbaros, armata manu, ſi greſſum promoveret, minitantes. Verum hi, Sociorum conſtantia & induſtria emolliti, promovendis eorum conſiliis, authores popularibus ſuis fuere. Quare ſelectiſſimo in loco, Purificatæ Virginis auſpiciis oppidum Gonſalvius moliri cœpit, & poſt exactos menſes ſex, Petro Romero accurandum reliquit, aliorſum ipſe curas ſuas converſurus.

Rebus apud Caaſapaminienſes ex animi ſententia peractis, ad conterminas Caaroenſium ſilvas inviſendas animum appulit, quod certis indiciis cognoviſſet, earum incolas vicinorum exemplo & Petri Romeri hortatu a Religione amplectenda non admodum abhorrere. Vaſtiſſima hæc nemora incolebant ſexaginta Caſiquii, quos ſi collectos coram alloqui potuiſſet, nihil dubitabatur, juſtum oppidum ſurrecturum. Interea Guarobajum apud ſuos authoritate pollentem, & Caaroenſium præcipuos munuſculis ſibi adjunxit, ac ſpe facta, Chriſtianæ legis Doctorum (cujus erant cupidiſſimi) de Societate ſe miſſurum, ſi in arrepto propoſito conſtantes permanerent. Ad Jivienſes deinde, per Patinienſium agros, itinere circumflexo, abſceſſit.

Jiviius torrenti ſimilior, quam fluvio, ubi modicis anfractibus per ſcabroſa loca ab origine receſſit, deinceps recto alveo in Urvaicam placidas aquas evolvit. In utraque ejus ripa, & locis adſitis, quingentæ circiter barbarorum familiæ numerabantur, inter quas eminebat Niezuvius, qui ariolandi arte, & eloquentia barbara effecerat, ut omnes circum populi ſe tanquam Ducem, ac DEUM quempiam obſervarent, ſequerenturque. Ejusmodi cum Niezuvius eſſet, ſane magno obſtaculo fuerat Religioni, ſi in maleficio perſtaret. Quapropter Gonſalvius conceptum olim Jivienſes convertendi deſiderium maturans, ſpretis periculis ex improviſo apud Niezuvium adeſt, atque audenti, quam ſupplici ſimilior, homini denunciat: videret etiam atque etiam, ne ſe æternæ ſalutis monita,

per

per tot diſcrimina afferentem audire renuat. Et profecto adeo appoſitam orationem pertexuit, ut primo impetu tantus hoſtis ſuperatus eſſe crederetur. Ut tamen inclinantem propelleret magis, ad Divi Nicolai oppidum, comitem ſecum traxit; ibi enim vero arte Gonſalvii, ſplendido apparatu, in Templum eſt inductus. Hic inſolitus honor, & ea pompæ lux, demum barbarum illud pectus penitus expugnavit, atque ita Societati & Religioni Chriſtianæ copulavit, ut ad ſuos redux, Templum domumque venturis Sociis apparaverit, effeceritque, ut multi circum Caſiquii novæ coloniæ nomen darent.

Difficilis erat hujus provinciæ adminiſtrandæ ratio, exigebatque hominem magnanimum æque ac conſultum; quamobrem Rochus Gonſalvius, cum magnæ virtutis ſpecimen ex Joannis Caſtillii dictis factisque ce-piſſet, hunc deſignavit animo, atque ſecum abduxit. Virgini in cœlum aſſumptæ (ea enim dies recurrebat) novam coloniam conſecravit, Magiſtratum conſtituit, Primores muneribus donavit. Denique Joannem Caſtillium loco novo, genti novæ præfecit. Confecto hoc negotio, cum Alphonſo Rodericio Caaroenſes ſilvas repetens, cum frequentes Caſiquii ex condicto cum Gvarobajo ad deſignatum oppido locum concurriſſent, erecta ſolenni ritu cruce, oppidum Templique aream debitis cerimoniis, omnibus Sanctis, ipſis Calendis Novembribus dedicat, Magiſtratum creat, infantibus Sacramentum baptiſmatis largitur, adultos myſteriis imbuit, domumque Templumque molitur, orco furente.

CAPUT DUODECIMUM.

In Rochi Gonſalvii necem conjuratur.

TOt ſibi malis illatis infrendens dæmon, atque eo præcipue, quod regione tot ſeculis abs ſe inſeſſa exulare juberetur, commotus; vehementer omnia turbabat. Et ſane commodis ad hoc inſtrumentis uſus eſt. Nempe ex Sancti Xaverii Neophytorum oppido transfugerat Portirava, vir ad quidvis audendum paratus, & avitæ, patriæque ſuperſtitionis tenaciſſimus Niezuvioque ſimillimus, niſi quod hic Sociorum odio flagraret magis. Iſte ipſus Portirava Niezuvium adit, captataque barbaro exordio benevolentia, hominem ſuopte ingenio præferocem, in Gonſalvium & Socios concitat, ut de eorum morte decerneretur. Inita conjuratione, Niezuvius popularium pleroſque in ſuas partes trahit. Ex omni deinde multitudine Cuniaraquam, promptum conſilio manuque Caſiquium ſevocat. Hunc conſpirationis promovendæ cauſa ad Caaroenſes expedit cum mandatis, ut quam celeriſſime Caſiquios: Caarupe & Cabure adeat, conjurationis cauſas referat, demum ſuo nomine edicat ut Gonſalvio & Rodericio de medio ſublatis ad Petrum Romerum trucidandum properent. Se interea in eam

 curam

curam incubiturum; ut ne quis Sociorum ſit ſuperſtes. Quæ mandata cum Cuniaraqua ad Caaroenſes perferret, ita Caſiquium utrumque inflammavit, ut conjurationem comprobarent, opemque Niezuvio ſponderent ſe allaturos.

Interea Rochus Gonſalvius conſpirationis ignarus, decima quinta Novembris primo mane ad Petrum Romerum reſcripſerat; Caaroenſium res promoveri, & ſi ſuppeterent ferramenta, ad alliciendos munuſculis barbaros, quingentas admodum familias in album referri poſſe. His perſcriptis ad aram operatus eſt, deinde Indos adeſſe omnes juſſerat, ut in faſtigio prægrandis ligni campanam appenderent, molemque ipſam erigerent. Nempe ut ære hoc ad doctrinam Chriſtianam ſtatis temporibus ſuos convocaret. Caarupe in opportunitatem parricidii intentus, barbaros ſubornat, pergerent vultu hilari, veluti Gonſalvii juſſis morem geſturi arma reconderent, omnia diſſimulanter agerent, dum ipſe Marangoæ tortori abs ſe deſtinato ſignum parricidii daret. Jam omnes convenerant & Rochus carne ac ſanguine Chriſti paſtus, optima hoſtia futurus, operi accingitur, & ſeſe ad obligandam fune campanæ lingvulam inclinat; admonitus Caarupe, vulneris inferendi opportunitate; oculorum nictu Marangoæ ſignum dat: iſte ſublatam clavam in optimi Patris caput toto impetu vibrat, cerebrum è cranio extundit, & exanimat. Diffractum caput alter, repetita clavæ impulſione penitus conterit. Mox omnes inconditis clamoribus cœlum complent, ut ſi ſceleratiſſimi homines, triumpho dignum facinus quodpiam edidiſſent.

Caput Decimumtertium.

Alphonſus Rodericius Gonſalvii Socius mactatur.

Exciverant hi clamores Alphonſum Rodericium, qui in proxima cella quotidianæ precationis penſum perſolverat, & jam parabat ipſe pedem e cubiculo efferre, de novitate percontaturus; cum oſtium parricidæ obſident. Primus inſiliit Areguatus, inſignis veneficus, idemque Divinitatis temerarius uſurpator, juſſu germani fratris, quem ſupra Caarupen nominavi. Hic ſubito brachiorum nexu Rodericium ſtringens, mandat ut feriatur. Nec mora ſicarii clavas rotant, vibrantque. Percupierat Rodericius inter fatales ictus pie anhelans, ibi victima cadere, ubi Sacrificium offerre conſuerat, ſed enim nitentem ac progredi volentem parricidæ inhibuerunt, interea geminant ictus, proſternunt, fœde verberant, donec conſtaret animam exſpiraſſe.

Ca-

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Geſta poſt utriusque necem.

UTroque extincto longus diſſonusque clamor editus eſt, unis proterve exultantibus, alteris (neque enim omnes conſpiraverant) mæſtum ejulatum in doloris ſignum tollentibus. At parricidæ nondum exſaciato furore, cadaveribus inſultabant. Rodericii corpus lumborumtenus truncant, crura divellunt, & lacerant detractis veſtibus, utriusque membra novis vulneribus deformant. Deinde vero circum ſacram ædem ignominioſe protracta, igne in Templum injecto flammis tradunt. Tum ſacra profanant, crucem loco exturbant, initiatas veſtes violant, intemeratæ Virginis effigiem, quam Rochus expugnatricem populorum vocitare, ac per nova oppida circumferre ſolebat dilacerant; Chriſti in cruce morientis icones geminas a pariete refixas in ignem injiciunt. Felices ſane Athletas! quod per eorum manus vitam ponerent, qui JESU ac MARIÆ perinde ac ſibi eſſent infenſi. Miſſo poſtea de utriusque cæde ad Niezuvium nuncio, omnes ad parricidale convivium dilabuntur, ubi cum ſe quisque de ſcelere jactaret; auſus eſt ſenex quiſpiam, Gvarobai ſocer, nondum baptismo initiatus, parricidis exprobrare facti atrocitatem, quod hoſpites nulli noxios trucidaſſent. Sed enim ſenecionem bonum conſcelerati homines, in ſacrilegæ crudelitatis appendicem in veſtigio dilaniarunt. Gemini aderant adoleſcentes, Sociorum in Sacrificiis adminiſtri, hos ad ſuos remiſerunt, qui deinde magno adjumento fuerunt, ad tragici facti ſeriem penitus cognoſcendam.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Cor Rochi Gonſalvii poſt mortem loquitur.

BArbari exhalata crapula, nihilo temperatiores; ſequenti mane ad feralis ſcenæ locum gregatim ſe conferunt, diligenterque omnia ſcrutantes, ignem truncis cadaveribus ſuppoſitum, mitiorem fuiſſe reperiunt quam volebant. Interea accidit res ſane admirabilis! quippe Rochi Gonſalvii cor ex ipſo cadavere, gravi & diſtincta oratione, in hæc verba carnifices perſtrinxit: *occidiſtis*, inquiebat, *me veſtri amantiſſimum*, *occidiſtis corpus meum*, *& oſſa confregiſtis*, *non ſpiritum*, *qui jam inter beatos beatus regnat. Ob id magnæ vos manent calamitates*, *nam filii mei* (Neophytos puta) *injuriam DEI Matri illatam vindicabunt.* Unanimes hoc aſſeruerunt ab auribus & oculis teſtes locupletiſſimi. Quorum aliqui alias voces ex eodem auditas adjecere, quæ dicerent ſe Gonſalvium illis denuo affuturum, opemque la-

turum. Adeo nihil vindictæ ſpirant Chriſti pugiles etiam poſt acerba fata. Prodigii raritas non modo non manſuefecit, verum exacerbavit obſtinatos; quare Caarupe Marangoæ rurſum mandat, ut Rocho pectus aperiat, ſcruteturque unde ac unde voces emittat. Is diſſecto corpore, cor cum evulſiſſet, hoc, inquit, hoc loquitur præſtigiator, ergo continuato furore, ſagitta præferrata illud tranſadigit.

Parricidæ, lapſo tempore, in manus venere ad unum omnes, qui quas pœnas dederint, ac qua ratione baptismo admoti ſint ante mortem, qua obſtinatione e vita exceſſerit Cabure, non eſt hujus loci fuſius enarrare. Id certiſſimum eſt, ſingulos antequam morerentur, edixiſſe: cauſas illatæ Patribus necis, nullas alias fuiſſe, quam quod Chriſtianam legem odiſſent, & avita ſua inſtituta amaſſent. Marangoæ ita manus imputruerunt, ut ſe ipſe horreret, aliis interfectoribus fœdæ ac graveolentes puſtulæ pariter in manibus enatæ ſunt. Reliqui Caaroenſes admiſſis rurſum noſtri Ordinis hominibus reſipuere. Ut videlicet conſtaret vaticinio ſua fides.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Honor Heroibus datus, & de Rochi Gonſalvii dotibus.

Recuperatas eorum exuvias, inſtituta pompa Socii & Neophyti ad Conceptionis oppidum, ab Rocho Gonſalvio fundatum retulere. Et Didacus Boroa Vice-Provincialis, oratione panegyrica dicta, ſub ara rite compoſuit. Neque in uno loco funebris honor Chriſti pugilibus habitus eſt. Namque in Aſſumptionis urbe, cives cum utroque Magiſtratu mixtis mæroris & lætitiæ ſignis ſplendide parentarunt; Rochi Gonſalvii germanus frater, Canonicus, Ambroſianum hymnum præivit. Idem præſtitere noſtri & Franciſcanæ Familiæ alumni, reliquias tanti Viri flagitantes, quæ jam tum in tanto honore erant, apud omnis ordinis Viros, ut ante ipſas Paraquarienſis Epiſcopus, in genua provolutus, ſancte aſſeruerit; ea ſe quidem authoritate deſtitui, qua opus eſt hujusmodi grandes animas Divorum albo inferre; neminem tamen ſibi obſtiturum, quin privato cultu veneretur. Mutius Vitelleſcus Generalis cor Gonſalvii ſagitta transfixum, ex ipſa Paraquaria dono miſſum, cum accepiſſet, propinquum ſibi volens eſſe, in cubiculo ſuo ſacram intra ſupellectilem reverenter poſuit. Academia Cordubenſis Gymnaſticis encomiis, Nierembergius panegyri Hiſpana Latinaque, Joninus carmine, Ferrufinus Provincialis ſynopſi Catholico Regi inſcripta. Denique Didacus Boroa ejusdem provinciæ Præpoſitus, longa & accurata juſti voluminis Hiſtoria tantos Heroes celebravit.

Rochus Gonſalvius indole placida fuit, & gravi, ſic ut facilitas nil demeret authoritati, neque innata gravitas quenquam ab alloquio ab-

ſter-

errerct. In ſuſcipiendis pro Chriſto laboribus pie temerarius, in feren-is ferreus. Cupediarum abſtinens, vix neceſſarium cibum, ſomnumque dmiſit; quanquam valetudine perpetuo tentaretur. Orandi ſtudium rdentiſſimum, cum opere externo ita conjunxit, ut alteri duntaxat, on utrique ſtuduiſſe videretur: Urvaicenſi & Paranenſi Miſſioni ſecun-um præeſſe juſſus, exemplo potius, quam voce Socios rexit. Obedien-æ cum ſui nominis diſpendio tenax fuit. Altitudinem animi tum præ-ipue oſtendit, cum maxima quæque pro gloria DEI ageret; neque ta-ien arrogans quidpiam aut ſuperbum præſeferret. Lactea plane fuit Ivaranicæ linguæ eloquentia. Pro ſuggeſtu (cum res ferret) acrimo-ſam adhibebat. His virtutibus, poſteritati & cœlo usque ad annum tat. 60. ſe Rochus Gonſalvius commendavit, cujus infinita augendæ di-inæ gloriæ cupido, laborum inſatiabilis fames, demiſſio animi magna-imitati par; ita ſe in omnium animos inſinuavit, ut a domeſticis perin-e, atque externis Vir ſanctus appellaretur.

ALPHONSUS RODERICIUS ZAMORENSIS.

De Alphonſo Rodericio quædam memorabilia.

ALphonſus Rodericius Zamoræ honeſtiſſimis progenitoribus in Caſtella natus, Societati nomen dedit 25. Martii 1614; poſtquam literis humanioribus probe excultus fuiſſet Villa-garciæ. Tyro coercendus fuit a moderatoribus, ne cor-puſculum ſuum nimium vexaret. Confecto cum laude hiloſophiæ & Theologiæ curriculo, Gvaicuræis primum domandis, de-nde Paranenſibus, tum Urvaicenſibus inſtruendis ſedulam operam nava-it, donec trigeſimo tertio ætatis anno a barbaris trucidaretur. Præter lias animi virtutes, integritatem ſic coluit, ut (teſte Joanne Ferrufino rovinciali,) acceptam innocentiæ ſtolam, nulla per omnem vitam, ravi labe macularit. Chriſto pro nobis paſſo ſic affectus erat, ut cum x eodem Ferrufinus percunctaretur, quid eſſet, quod hac ætate ita cæ-utiret? candide fateretur; eam ſe pati oculorum defectionem, ob quo-tidianas lacrymas, quas ſibi Chriſti patientis contemplatio eliceret. Ne-cem ejus vide in Rochi Gonſalvii cap. 13.

JOAN-

JOANNES CASTILLIUS

BELLOMONTANUS.

APUD JIVIENSES OCCISUS.

Caput Primum.

Niezuvius ejus necem imperat.

POſtridie quam Rochus Gonſalvius, & Alphonſus Roder cius occiſi ſunt, Niezuvius de eorum cæde certior redd tus, mirum quantum exultavit. Mox plumarum amicu lo ſe circumcinxit, addidit barbara ad horrorem ornamer ta, atque eodem cultu præcipuam de concubinis ornari ju bet, cum hæc pompa ſibi jam conſtaret, noctu popularium concioner cogit. Extincto ſubinde circum omni igne, poſtquam de immenſa gul neſcio quid horrendum turbinaſſet, & crepitaculo ex cucurbita ficto pe ſtrepuiſſet, atque lymphaticas ſuas vociferationes perſæpe ſilentio inte polaſſet, tandem horrore concuſſis omnibus, feralem ſententiam in Joar nem Caſtillium his ferme verbis pronunciavit: Ite ite, inquit, & oppr mite ſacrificulum advenam, qui pueros incantationibus allectat, ut pe luat, jusque meum in fœminarum præſtantiſſimas impudenter obturbat.

Comprobato furore; Portirava, & Quaraibius Niezuvii ſocer, d lectu parricidarum facto, ſceleris patrandi tempus ac locum indicunt tractisque ſecum nonnullis ethnicis, qui paulo ante Religioni Chriſtian nomen daturi venerant, adeunt luce orta Caſtillium, qui tum domi ſu orabat. Doloſe flagitant, ut Religionis candidatos in album relatc aliquo munuſculo pro more donaret. Caſtillius comiter acceptos, & i catalogum refert, & large donat. His intentum, ſuique incautum a tergo invadunt, lacertis compreſſum fuſte manuque cædunt, conti meliis onerant, humi proſternunt. Tum ille: *ſi* inquit, *ob ea mun ſcula, quæ impertior in me ſævitis, veſtra ſint omnia, me inſuper manc*

pium

pium veſtrum habetote. Ad hæc barbari, appage inquit cum tuis crepundiis, neque tua, neque te vivum quidem volumus, mortem tuam tuique ſimilium per Paranæ & Urvaicæ ripas ſparſorum quærimus. Peribitis novæ ſuperſtitionis Antiſtites, te perempto cum Aragona nobis res erit. Caſtillius audito Aragonæ nomine, flagitat ad eum conferri, ut in ejus conſortio moreretur. Cum non impetraret, & undique conclamaretur moriendum ſibi eſſe; *non moriar*, *animus quippe meus poſt tormenta in æternum vivet.* Hæc dicentem fune vinciunt, ac pene nudum extra oppidum raptant, ſcaberrimas per vias, ſaxa inter & acutas ſpinas, inſano cum clamore, ac petulantiſſimo joco. Enſibus faciem feriunt, ſagittas per corpus transadigunt, oculos & alia membra ſummis mucronibus diſpungunt, Tucanda (hic Niezuvii ſervulus erat) per intervalla ventrem clava non molliter pulſante. Tandem ſanie & obvio luto deformatum caput lapidibus obruunt, quoad conſtaret animam ipſum exhalaſſe. Sacrum cadaver rurſum inter ſannas & verbera in ſilvas extrudunt, tigribus eſcam, ipſi tanquam re cum laude geſta, ad Niezuvium revertuntur, triumphos ſuos enarraturi.

CAPUT SECUNDUM.

Geſta poſt ejus necem, cum brevi commemoratione vitæ & virtutum recenſentur.

AUdita cæde Caſtillii, Niezuvius ad magnam hilaritatem ſe erexit. Sacerdotales veſtes, ſuæ victoriæ ſpolia ſibi injecit, addidit veteratoriæ ſuperſtitionis amiculum, ac multitudine adeſſe juſſa; quanta poterat vocis contentione clamabat: Extinctum tandem ſacrificulum, Divinitatis authoritatem ſibi iterum eſſe aſſertam, hoc jam ſe jure palam pronunciare, integrum eſſe omnibus Majorum more pluribus uxoribus perfrui. His dictis, ad contemptum baptiſmi pueros ex ordine evocat, quos luſtrales undæ contigerant, & velut exauthoraturus calida aqua lavat, ſanctum Criſma eluit, & ne *exorciſati ſalis* myſterium ſupereſſet, linguas aſpera concha defricat, & nefando liquore relotis parvulis, nomina vetera reſtituit, matribus tanquam ad ridiculam ſcenam applaudentibus; ſed enim brevis ea ſcelerata voluptas fuit, namque & Niezuvio, & Jivienſibus omnibus celeri fuga dilabendum fuit. Quippe Neophyti ira pariter ac vindicta incenſi parricidarum veſtigia prementes oppidum compleverunt. Ea res opportunitatem Coadjutori noſtro Antonio Bernal dedit, ut pias exuvias colligeret. Sindone carebat, ergo religioſa veſte reverenter contectas, ad Socios retulit, hi rite depoſuerunt.

Joannes Caſtillius vultu, & moribus ſuavis, Belmontana in urbe, Toletani regni, natus eſt divitibus parentibus, decima quarta Septem-

bris anno 1596. bene ominato crucis amatoribus die. Latinas literas, ſub Didaco Boroa, poſtea Paraquariæ Provinciali, in patria didicit. Adoleſcens inſidiantem pudori mulierculam arrepto fuſte fugavit. Alios blandiuſculis verbis ſe appellantes tanquam pudori noxios, verborum & oris aſperitate ſæpe arcuit. Compluti Philoſophiæ dans operam anno 1614. vigeſima tertia Martii, in Societatem cooptatur. Matriti Religionis Tyrocinium poſuit ſub Euſebio Nierembergio, quem poſtea Hiſpanico Latinoque ſermone laudatorem habuit. Gelidiſſimis noctibus procul ab lectulo veſtes ſeponebat, ut poſtridie per algorem quæritare cogeretur. Nihil de ſe magnifice loqui auditus eſt. Omnium amores caſtiſſima oris venuſtate, & urbanitate ad ſe alliciebat. Spretis parentum lacrimis, in Paraquariam navigans, triennio integro in Chilenſis regni Metropoli (in quo regno ejus Patruus exercitus Regii inſtructor erat) latinitatem docuit. Inde in Tucumaniam revertens, Æthiopiſſam ſibi blandientem fortiter abegit. Decurſo per quadriennium Theologiæ curriculo, & cæteris religionis noſtræ experimentis feliciter peractis, ad Uruvaicenſes miſſus, in plenitudine ætatis Chriſti, die veneris, & hora tertia triumphum meruit. Nierembergius narrat, dum abs ſe Matrito diſcederet, in Indiam navigaturus, præſenſiſſe neſcio quos animi motus, ſuggerentis venerationem erga Caſtillium, & exinde nunquam dubitaſſe, quin magnæ ſpei Juvenis, ad ſumma cælitus deſtinaretur.

ALPHONSUS ARAGONA NEAPOLITANUS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus Patria, Religionis initia, ſtudia, & navigatio in Paraquariam.

ALphonſum Aragonam tantis Heroibus jure meritiſſimo ſubjungo, ut qui & Apoſtolicorum laborum particeps fuit, & ab eorum glorioſa morte vix latum unguem aberat. Piis & honeſtis parentibus Neapoli in Italia ortus, experrectam indolem optimis diſciplinis in patria excoluit. Societati ibidem anno hujus ſeculi ſecundo auctoratus, in Tyrocinio, & ipſis adeo ſeveriorum ſtudiorum curriculis, eam collegit ſanctitatis famam, ut

ut palam Beato Aloyſio Gonzagæ ob morum ſimilitudinem a Patre Alegambe conferretur. Ac ne vanam exiſtimes famam, Claudius Ruierius (Vir ſummæ fidei) aſſeruit: ab Rectore Collegii Neapolitani, poſtea domus profeſſæ Præpoſito, audiviſſe ſe: Beatum Aloyſium, quem apprime noverat, ac Alphonſum Aragonam ſibi videri quam ſimillimos, & quaſi gemellos. Per Collegium Neapolitanum increbuerat Vincentium Caraffam, & Alphonſum Aragonam pari gradu niti ad culmen perfectionis. Junioribus, qui domi ſtudiis operam navabant, præfectus, exemplo, cohortatione, ſingularibus induſtriis adjungendam literis pietatem ut plurimum author fuit. Marianum cultum in Sodalibus, quos rexerat, Hebraicam linguam, qua noſtros inſtituerat, cum laude promovit.

Anno 1616. impetrata, quam ardenter cupierat, Indica Miſſione cum ſelectiſſimo Sociorum numero (Neapolitani erant) triremem conſcendit, in Hiſpaniam & deinceps in Paraquariam vela facturus: ac in Hiſpaniam quidem ſuos, namque Sociis præerat, per opem divinam evitata tempeſtate, & opportunis aſpirantibus ventis, feliciter deduxit. Uliſſiponem terreſtri itinere delatus, obvias utriusque regni urbes virtutum odore complevit. Uliſſipone auctus Sociorum numero, cum Joanne Viana, ipſa die Sancto Carolo Boromæo ſacra, auſpicato ſolvit. Cum ad eum Oceani locum perveniſſet, ubi triginta novem Socii Azebedio Duce pia pro Chriſto morte defuncti ſunt, eorum memoriam (quod unum poterat) inflammatiſſimis ſermonibus celebravit. Eodem itinere Præfectus ſpiritus datus noſtris, omnium amorem ſibi conciliavit. Bajam Braſiliæ portum cum tenerent, ac noſtri Ordinis homines in Societatis Collegio ab diuturnæ navigationis faſtidio recrearentur, ipſe ad navis cuſtodiam reſedit. Inde ſolvens aliquot poſt dies, anno 1617. die 17. Februarii, Boni aeris portum ingreſſus eſt. Hoc in portu linguæ Quichoanæ, quam per iter didicerat, primum fructum cepit, Indorum Confeſſionibus auditis. Ex portu Boni aeris ducentarum leucarum itinere ad Aſſumptionis urbem pervenit, atque iſthic (nuper Neapoli Hebraicæ linguæ Profeſſor) pauculis pueris linguæ Latinæ rudimenta biennio inſtillavit, atque una Parthenium Juvenum Sodalitium rexit. Et quoniam interea linguam Gvairanicam combiberat, numeroſæ Indorum Confraternitati diu præfuit.

Caput Secundum.

In Conceptionis oppido Urvaicenſibus Chriſto domandis inſiſtit. Divi Nicolai oppido condendo, regendoque præficitur.

ANno 1620. ad Urvaicenſes Indos translatus, in Conceptionis oppido vixdum inchoato, cum Rocho Gonſalvio ſeptem prope annis indefeſſum Apoſtolum egit, incredibili laborum tolerantia. Caſam ex arborum ramis compoſitam, luto con-

jectam habuit, ædiculam ſacram haud quaquam melius materiatam. Ex hoc ſuo caſtro frequentiſſime excurrit, ac tantam barbarorum multitudinem collegit, ut de ampliori Templo moliendo cogitandum ſibi eſſe putaret. Qua in re dum ſtrenue enititur, latera educit, paleamque intextam faſtigio parat, parum aberat, ut campo late flagrante ignis abſumeret. Creditus eſt Aragona poſitis humi genibus, ac fuſis ad DEUM precibus perniciem avertiſſe. Anno 1621. coram Petro Oniato Provinciali, ac frequenti Paranenſium concurſu Neophytorum, inter ludos, ac feſtiva hilaria quatuor Vota profeſſus eſt. Valuitque ea celebritas ad cicurandam gentem, quæ cerimoniis ac ſpectaculis eſt vehementer addicta.

Sequenti anno peſtis ſæva his terris incubuit, ac magna Neophytorum & Catechumenorum pars, in antiqua ſe latibula abdidit. Decumani labores erant, diſpalatos barbaros per campos & ſilvas veſtigandi, primo & ultimis Sacramentis conſolandi. Regredi ad oppidum identidem, venas laxandi, quod unicum remedium multis corporibus ſaluti fuit. Peſtem ſecuta fames eſt, utroque malo, pejus acceſſit: nempe ariolorum perverſitas; perditi hi homines nihil aliud vociferabantur, quam ob receptum baptiſmum, Urvaicenſibus has pœnas cœlitus imitti. Nec deerant alii hoſtes, qui occultis cuniculis Fidei fundamenta apud Urvaicenſes, ſi poſſent, convellerent. Labores hos exhauſit Aragona; ariolorum terriculamenta & minas neglexit. Fidei hoſtibus forti pectore reſtitit. Poſtquam cœlo ſalubritas rediit, ac ſedata fames eſt, in reducendo diſperſo grege dies noctesque conſumpſit, ac id cum Rocho Gonſalvio conſequebatur, ut utrorumque conſtantiæ ac ſtudio referamus in acceptis, numeroſiſſimæ provinciæ Chriſto adjunctæ gloriam. Annis, hæc tempora conſequentibus, mutuo pariter enitebantur Aragona & Gonſalvius ad animarum lucra augenda; hic ut plurimum foris late omnia circum procurando, quod corporis viribus valeret. Ille, quod imbecillior eſſet, domi nihil prætermittendo, convenas myſteriis noſtris imbuendo, imbutos ſacro fonte, quod plerumque feſtivo apparatu faciebat, luſtrando. Demum poſtquam Gonſalvius facem Evangelicam ultra Urvaicam proferre meditaretur, ſecutus eſt Apoſtolum Apoſtolus.

Anno 1626. Rochus Gonſalvius cœpto abs ſe S. Nicolai oppido, ad Piratinium flumen, Aragonam præfecit. Hanc curam toto pectore complexus, a parvulis initium fecit: frequentiſſimos baptiſmo admovit, tum teneram ætatem inſtituit rudimentis Fidei ac morum, fabricam Templi ad juſtam molem eduxit, leges populo dedit. Diu noctuque gregi commiſſo experrectus ac vigilantiſſimus Paſtor adfluit. Magos aut procul arcuit, aut dedocuit. Atque horum quam nihil perfunctorie ab eo actum ſit, inde diſcas, quod catecheticæ inſtitutioni in dies ſingulos, quinque ipſas horas dederit. Stabilitis oppidi rebus; ſalu-

ſalutares procurſiones ſuſcepit, multos ab inani idolorum cultu ad ſinceram Fidem traduxit, ut ſub ſua Præfectura quingentas admodum ethnicorum familias Chriſtiani jam nominis, numerato percenſeret. Digreſſus ad remotiora, tantam vim barborum poſt ſe traxit, ut ea alteri oppido apud Jivienſes fundando poſtea ſufficeret. Joannem Caſtillium, qui non longe poſt glorioſam pro Chriſto mortem oppetiit, Socium nactus, linguam Gvairanicam docuit, ejusque & Rochi Gonſalvii necem creditus eſt præſciviſſe. Namque paulo ante lugubrem illam ſcenam, cum utrumque cœnula exciperet, ſuper utriusque capite, in cænaculo literis grandioribus inſcribi voluit hæc verba: *Beati, qui ad cænam agni vocati ſunt.* Caſtillio amiſſo datus Aragonæ comes eſt Franciſcus Clavicus, Vir admodum pius, quocum in converſione gentium deſudavit, tam læto rerum exitu, ut Nicolaus Durandus, Maſtrillus Provincialis, cæterique rerum teſtes Socii, vehementer admirarentur: pervicaciſſimam gentem ab homine a viribus & valetudine parum firmo, tanta facilitate edomitam, ac plerique exclamarent: *hoc opus dexteræ Excelſi.*

Caput Tertium.

Niezuvius & Potirava in Alphonſi Aragonæ necem conſpirant. Mors ejusdem & virtutes.

Poſtquam Rochus Gonſalvius, Alphonſus Rodericius, & Joannes Caſtillius cruenta morte ſublati ſunt. Niezuvius cum Potirava novum crimen conflarunt, ut Aragonam & Franciſcum Clavicum pari prioribus fato e medio tollerent. Ergo populares ſuos exſtimulant ad ſcelus audendum, viamque commonſtrant: in S. Nicolai oppido agere Patres ſui ſecuros, illic facile opprimi poſſe. Ferale nuncium cum boni Patres per fidos homines accepiſſent, ad rite oppetendam pro Fide Chriſtiana mortem ſe compararunt: Sacrificio litato, caſtiſſimis ſuſpiriis in cœlum præmiſſis. Indi vero indigenæ, quanquam pauci numero eſſent (quod potior pars ruſticationem ſequeretur) conſilia contulerunt, qua ratione periculum ab amantiſſimis ſibi ſuique Patribus averterent. Dum hæc iſti cudunt; illi, nempe Niezuvianæ factionis homines nunciantur adeſſe, inſano tumultu, magnis clamoribus, picto ad formidinem corpore, cædem ſpirantes. Patribus lubebat in ipſo Templi veſtibulo honeſtam mortem præſtolari, obſiſtebant Neophyti Piratinienſes, teſtati: mortem eam glorioſam Patribus, ſibi contra noxiam futuram. Itaque pias Patribus manus injecere & invitos ad proximas ſilvas abripiunt, notisque ſibi latebris recondunt. Interea perduellium trecenti, necquicquam reluctantibus pauculis Neophytis, oppido potiuntur. Prima curarum erat, ut in Patres inciderent; his fruſtra perquiſitis, furorem in tecta & parietes convertunt, utraque con-

vellunt. In Templi culmen palea conteĉtum, ignem injiciunt, & quod mirere menſe Decembri, ubi ſummus hic terrarum & ardentiſſimus ſol eſt, atque ipſo meridie arente palea, nihil injectus ignis profecit. Dum id barbari ſtupent; folia librorum Joannis Caſtillii, quæ in criſtas criſpabant ac jam geſtabant, ſibi detrahunt, inflammant, admovent paleis, ſed nihilo ſecius illæſæ igni reſiſtunt (ut creditum eſt) divina virtute. Inſolentia miraculi petulantiores fecerat barbaros, ut ferocius inſiſterent. Actumque erat de re, ni e villis exciti Piratinienſes quam plurimi, pugnam redintegraſſent. In qua ſedecim ex hoſtibus cecidere, plures vulnerati, reliqui in fugam acti; nullo a noſtris, præter pauca & innoxia vulnera, accepto damno.

Interea Alphonſus Aragona cum Franciſco Clavico Socio ad Conceptionis urbem magnis itineribus, in ſumma rerum inopia regredi eſt coactus. Prævolaverat jam fama Niezuvianæ factionis. Illic vix dum reſpiravit, ad ſuos rurſum reviſit, comitantibus Neophytis iis ipſis, qui ad recuperanda Sociorum corpora magno numero jam ibant, & ſane commodum; namque horum fama perduellium furor repreſſus eſt. Aragonæ porro in ſuo oppido diu eſſe non licuit, dum licuit; baptismis conferendis totum tempus dedit, ulcere in ore ſubnato & aliis ægritudinibus pene tabeſcebat. Eapropter ad Aſſumptionis urbem curandæ valetudinis cauſa traducitur. Vim medicorum vis morbi ſuperavit, communi omnium dolore anno ætatis 44. ad Superos abiit Virginitatis palma ut plurimum commendatus. Secundum ejus mortem literæ Mutii Vitelleſci apertæ ſunt, quibus Aſſumptionis Collegio Rector nominatur. Defuncto: Paraquariæ Proepiſcopus, uterque Magiſtratus, provinciæ Prætor, & plebs univerſa parentarunt. Ne ſingulas Viri virtutes appellem, omnes in eo erant ſingulares, ſic ut Nicolaus Durandus Paraquariæ & Peruviæ Provincialis, ſumma Vir authoritate, poſt peragratam Italiam, Hiſpaniam, Auſtralem Americam pene totam, in publico conſeſſu non dubitaverit dicere: *neminem alium Religioſum Virum ſe cognoviſſe, in quo majora elucerent virtutum ſpecimina, atque in Alphonſo Aragona.* Erga Virginem Sanctiſſimam, ejusque Filium, amorem ſuum tenerum productis in aliquot horas colloquiis fovebat, idque in dies factitabat. Erga Indos profuſa erat liberalitate. Periculorum, quæ Apoſtolicos illic Viros circumſtant, tam erat amator, cum abeſſent, quam contemptor, cum adeſſent. Ab Martyrii gloria, vix tantillo abfuit, ut ſupra diximus. Lethalem morbum in perſecutione Niezuviana creditum eſt eum contraxiſſe, ob enatas ærumnas, & præcipitata itinera. Multa ſcripſit uſui futura iis, qui Gvaranicam Miſſionem excolunt. Quare Alegambe eum inter Societatis Scriptores decore admodum retulit.

DIDA-

DIDACUS BOROA
TRUXILLENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Vitæ initia.

DIdacum Boroam provinciæ Paraquariæ decus, & ornamentum, Truxillum, illuſtre in Caſtella oppidum, multarum animarum bono in lucem edidit anno 1585. Parentes nobilitate claros nactus eſt. Hi puerum tam arcte habuerunt, ut jam ſenior de ſe ipſe diceret, Monachas in Clauſtris vigilantius obſervari non potuiſſe, quam ipſe in puerili ac adoleſcente ætate fuerit a piiſſimis genitoribus cuſtoditus. Geminæ puero itiones indulgebantur unice, ad Templum & ludum. A diverticulis arcebatur, ne corrupta juventus, innocentulum, maligno quopiam halitu contaminaret. Magiſtros in ſcholis publicis adiit optimos, humanitatis ſtudia cum laude decurrit. Ariſtotelicis diſciplinis excultus, Societatem ingreſſus eſt 1605. Sub Ludovico Palma, grandi illo aſceticæ vitæ Magiſtro Tyrocinium poſuit, iis ſpiritus incrementis, ut alii ex diſcipulo Magiſtrum metirentur, ac rurſum alii ex Magiſtro diſcipulum, dubiumque eſſet, uter alteri plus laudis afferret. Eluxit jam tum in Juvene mirus Apoſtolicæ vitæ ardor, temperatiſſima quædam morum ſeveritas, & prudentia ætate major. Literas humaniores, Belmontana in urbe publice docuit. Diſcipulum habuit Joannem Caſtillium, poſtea in Paraquarienſi provincia clariſſima morte defunctum. Quamquam per Hiſpaniæ domicilia in præclara luce eſſe poſſet, quod ſummis muneribus deſtinaretur; maluit tamen anno 1610. in Paraquariam tot votis ambitam, cum Joanne Romero Procuratore navigare. In Chileno ſubinde regno Theologiæ Scholaſticæ operam dedit undique commendatiſſimam. Tandem rebus agendis idoneus, arduæ Diaguitarum expeditioni admovetur.

CAPUT SECUNDUM.

Diaguitas & alios populos excolit; inter Gvarambaræos multum laborat; Itapuanos inſtruit.

INter Hiſpanos & Diaguitas bellum exarſerat, componendis nullum aliud remedium erat ſuper, quam ſi Societas pro tranquillitate publica victimam ſe offerret. Ad eam rem Joannes Darius, & Didacus Boroa deſtinati ſunt; per iter multis ſaluti fuere. In Aconguica valle, & aliis locis, plurimos barbaros Sacramentorum uſu procurarunt. Diaguitarum fines ingreſſi, rebellione compreſſa; Gvaſſanos, Malleos, Huachaſſes, Andalgales tenuium pagorum incolas adierunt, quingentis barbarorum per baptismum Chriſto adjunctis: ſed enim in quanta itinerum ac rerum difficultate! Didacus Boroa facinorum ſuorum parciſſimus æſtimator, quanquam animi ac corporis vigore præſtaret, mihi aliquando narravit, in ea ſe expeditione pene ſuccubuiſſe. Quaqua ibant, idolorum monumenta, ethnicorum anathemata, ſuffectis crucibus deturbabant, nulla quod mirere, barbarorum offenſione, quin contra, ſummis ſtudiis Societatis conſtans contubernium depoſcebant. In prima hac expeditione Didacus noſter ita rem geſſit, ut eum Darius, *Xaverium abbreviatum* apellaret. Igitur ad Gvarambaræos ut abiret, expedientiſſimum eſſe viſum eſt omnibus.

Gvarambaræorum præcipuum oppidum, ab Aſſumptionis urbe, adverſo Paraquario flumine quinquaginta leucis abeſt, anno 1613. nongentas familias Chriſtianas atque ethnicas complexum, nulla re memorabile; niſi quod peſtilenti loco ſitum ſit. Ad id oppidum iter erat per paludes nudatis ferme corporibus transmittendas, aut per Pajaguarum ferociſſimorum barbarorum fines. Decem circiter ab Gvarambaræo leucis, Pituenſes & Nieguaræi in exiguis trecentarum familiarum oppidis habitabant. Illuc delatus Didacus Boroa ſtrenue rem egit primum cum Balthazare Senia, non diu poſt morte ſublato; alias cum Joanne Salas Socio impigro, quorum labores inde metiri licet, quod ſeſquianno, quingenta ſupra mille capita Sacramentis ſint expiata; quæ in tribus hiſce oppidis non longe poſt peſtis furor abſumpſit. Peſte gravius accidit conſecuta barbarorum vexatio ab iis orta, quorum authoritate tuenda erat tranquilitas publica & incrementa Religionis fulcienda. Cum porro Societas eam nec avertere poſſet, nec connivere Indorum injuriis; Didacus Boroa juſſu Majorum, ſtationem continuis litibus obnoxiam deſeruit; incredibili Gvarambaræorum lamentatione, ſic ut doloris portio redundaret in Socios, qui in complexu, & digreſſu filiorum, quos in Chriſto genuerant, lacrimis non temperabant.

Ex Gvarambaræa expeditione, ad Paraquariæ Metropolim redux, Paranenſibus Chriſtiana Religione imbuendis deſtinatur. Eo, magnis itine-

itineribus profectus a barbaris jugum adhuc ſubire renuentibus, indignis ſane verbis exceptus eſt. Sed per probra & occurrentia paſſim pericula, ad Itapuanam ſtationem, ubi Rochus Gonſalvius quadrimeſtri integro inter barbaros unicus ſtationem tuebatur, incolumis evaſit. Læti uterque mutuo conſortio, Itapuani oppidi aream deſignant, Templum & caſas barbarorum erigunt, plura exemplo, quam verbis impetrant: ipſi per ſe paleam, & lutum convehunt, parietes fingunt, liniuntque, ligna findunt, dolant, committunt, tanta rerum inopia, cibariorum præcipue laborantes, ut farina lignea, fabæ inſipidæ, cardui agreſtes, deliciæ eſſent. Idonei cibi defectu, cum herbulas quasdam campeſtres conſectarentur a pſitacis edi ſolitas, pulmentumque ſibi inde pararent, atque id barbari viderent, Boroam & Gonſalvium faceto joco pſitacos appellabant. Rochus Gonſalvius interea ad aliud oppidum ponendum abierat, Didacus Boroa Itapuæ permanſit, oppidumque auxit novis incolis; quos poſtquam rite inſtituiſſet, pompa ſolemni baptiſavit, quanquam obſtreperent vicini populi, & ſalutis myſteria proterve criminarentur arioli. Sæpe diuque novellam gentem peſtis vexavit, ſæpe mala fortuna transverſim incurrit, nihil tamen de labore & conſtantia Didacus remiſit, quin potius obnitendo fatis, per ipſa adverſa rem Chriſtianam viriliter promovit. In obverſa Itapuano oppido inſula, miræ magnitudinis crucem in altum ſuſtulit; quam ut a longe aſpexit Ferdinandus Arias, & Hiſpani milites, Itapuanum oppidum primum inviſentes, feſta cymbarum circumductione, & repetita bombardarum exploſione, aliisque lætitiæ ſignis militariter venerati ſunt; id gaviſi, quod in eo loco crux regnaret, in quo communes hoſtes tamdiu triumphaſſent.

Caput Tertium.

Ignatiano ad Paraquarium oppido præeſt.

Petrus Oniatus Provincialis Didacum Boroam ad Paraquariæ Metropolim evocat, ut in commune conſultarent. Tum vero Sancti Ignatii oppido recens fundato, id eſt anno 1616. præficit. Didaci potiſſimum auſpiciis, Arapizanduvius nuncium Religioni Chriſtianæ remittere volens, a fuga retractus reſipuit, ac poſtea Religioni ad Paranam promovendæ utilem operam commodavit. Præterea Didacus omnem in partem ſe vertens, quo gentem crudiſſimam ad officium reduceret, cum omnium amorem mereretur, mala dæmonis fraude omnium in ſe odia fere concitavit. Efferati (incertum unde) barbari, clavis, ſecuribus armati, in eum inſiliere, haud dubie oppreſſuri, ni Joannes Salas ejus Socius intrepidum pectus oppoſuiſſet, ac fictis minis verum furorem repreſſiſſet. Alias barbarus alter, in eas Virum anguſtias redegit, ut de ejus vita actum eſſe putaretur. At vero omni nece

ipſa longe acerbior fuit, fama contra ipſius integritatem ſparſa, inde orta, quod Didacus Vir Sanctus, eo tempore, quo ludi publici celebrabantur in meretricis confeſſione audienda, diutiuſcule immoratus, tædium creaſſet Neophyto, quem interim præſentem ſibi in Templo adeſſe voluerat. Qui fruſtratione ſpectaculorum impatiens in forum egreſſus obviis ſodalibus affirmavit, ſe affuiſſe in Templo Didaco Boroæ, cum meretrice fornicanti. Octo integris menſibus inſcio Boroa obſcura ea fama vagabatur, & ab Ignatianis Neophytis incredibili detrimento Religionis credebatur, donec accepto indicio, obtrectator peſſimus, publico in conventu retractatam calumniam legitime dilueret. Interim Boroa Catechumenis, quotquot erant in oppido, Chriſtiano ritu ablutis, latebras infidelium nondum reductorum, tum per ſe, tum per Neophytorum fideliſſimos excutiebat, uberrimo fructu, eo in barbarorum emolumentum propenſior, quo pluribus injuriis peteretur. Sic tolerantiæ artibus pedetentim ferociſſimos homines ad humanitatis formam ita finxit, ut poſtmodum aliis oppidis ad Paranam conſtitutis in probitatis exemplum proponi meruerint. Ex ea colonia, ad Jaguapuanum oppidum, quod Sacerdote careret; identidem excurrebatur tum aliis temporibus, tum præcipue peſte graſſante.

CAPUT QUARTUM.

Sociis ad Paranam, & Urvaicam elaborantibus præfectus, multa utiliter agit.

TRiennio exacto, Paranenſibus, Urvaicenſibusque Sociis præficitur, quorum Præfecturam ſexennio integro ingenti barbarorum emolumento geſſit: nam eo præſertim adnitente tria jam fundata oppida magnis ethnicorum acceſſionibus increvere. Paranenſes inſulæ ſæpius aditæ: remoti populi ad ſacra Chriſtiana allecti, ferocientes barbari & arioli ubique refrænati, mores Chriſtiani introducti, avitæ ſuperſtitiones abolitæ, Neophytorum depravatores caſtigati, peſte afflati frequenter adjuti, & loca omnia indagata, quo quamplurimi barbari in caſſes Chriſti inducerentur. Quanquam in hac ſacra expeditione cæteri omnes Socii impigre admodum elaborarent, eminebat tamen inter omnes Paranæ Apoſtolos noſter Didacus, adeo in animarum prædam intentus, ut ſui incurius diſſimulata quandoque febri, aut ſtupefactis frigore artubus, gelidiſſimos torrentes umbilico tenus merſus vado tranſiret; contractis rigore nervis, cum paluſtri luto luctaretur, & nudis pedibus arenoſa ſilveſtriaque loca peragrans ad rupium cacumina rependo eniteretur. Ut nempe ethnicorum manipulos ex nemore, aut littoralibus ſpelæis, rupiumque receptaculis erutos, ad nova oppida, quanquam cum vitæ periculo, reduceret. Nec minutis ſpoliis contentus

tus tam numeroſas prædas egit, ut iis coercendis, nova oppida fuerint molienda.

Caput Quintum.

Inianenſes novo oppido fundato includit; apud Acarajenſes coloniam ducit; Iguaſuanum oppidum molitur.

Diu reſtitere Inianenſes, Paranæ populi, Evangelio. Verum tandem Anno 1622. Didaco Boroæ manus dedere, polliciti, ſi Sacerdotem concederet, ſe in fidem clientelamque Chriſti conceſſuros. Lætus pollicitatione Boroa, reluctantibus barbaris, Petrum Romerum, genti præfuturum, ad eorum villas deduxit, ac ſenſim officiorum varietate ita ſibi adjunxit, ut jam pauculi reniterentur. Poſteaquam igitur lignum SS. crucis in altum ſuſtuliſſet, oppidi fundamenta jecit, infantes pro more noſtræ Religionis abluit, novellam rempublicam ordinavit, ariolos reſiſtentes adhibitis mortalium cœleſtiumque terriculamentis compreſſit. Denique adeo ſolide oppidi principia poſuit, ut etiamnum firmo pede conſiſtat. Baptizata illic Sociorum opera ſunt aliquot capitum millia.

Biennio poſt Acarajenſes ethnici, ſuperioris Paranæ ripas incolentes, augendæ rei Chriſtianæ amplam materiam præbuere. Ad eos populos Didacus Boroa aliquoties multorum dierum itinere curſim ire auſus, ægre vim apertam ariolorum evaſerat. Pedetentim tamen nonnullis Caſiquiis grata beneficentia ſibi devinctis, res ad eum ſtatum perducta eſt, ut crederetur novi oppidi fundamenta tentari poſſe. Igitur Didacus Boroa eam expeditionem, aſſumpto in Socium Claudio Ruierio, magno animo ſuſcepit. Acarai fluminis, Paranæ ſe committentis oſtium, triginta leucis ab Inianenſium novo oppido, unde diſceſſerat, abeſt. Circa eum fluvium incolebant frequentes Caſiquii, quorum unus, conſilio Boroæ cognito, lubens volensque in ſuo agro, locum oppido ſtatuendo deſignari poſtulavit. Cujus rei fama longe lateque perlata pleroſque regionis Caſiquios ad colloquium pertraxit. Ex quo ſic diſceſſum eſt, ut multi legi Chriſtianæ conciliati putarentur: quapropter excitata ſacra æde, naſcens oppidum Virginis MARIÆ natali ſolenniter conſecravit, omnemque induſtriam adhibuit, ut accolas circum undique oppidum allicere poſſet. Poſt bimeſtre ſpatium, ad reliquorum Sociorum curas inviſendas reverſus; locum Claudio Ruierio ſtabiliendum regendumque tradidit.

Anno 1626. ducentarum leucarum itinere ad Comitia Provincilia perrexit. Solutis Comitiis, voluntate Mutii Vitelleſci literæ ei traditæ ſunt, quibus Aſſumptionis Collegii Rector renunciabatur. Antequam officium adiret, infimis precibus apud provinciæ Præſidem egit, ut ſibi facultas fieret, Iguaſuanos, Paranæ conterminos populos, perſæpe a ſe

aditos, de oppido condendo, ac de ampleɕtenda Fide, extremum alloquendi, æquiſſimas preces ratas habuit Provincialis, anni ſpatium indulſit. Ergo Boroa accingitur, rebus omnibus ad eam rem opportunis inſtruɕtus cum eſſet; Acarajenſem coloniam primum adiit, ut inde futura ſua proſpiceret. Porro Iguaſuani fluminis accolæ difficiles aditus habebant, prærupto præcipitio ſe tuebantur, externi nominis infenſos animos gerebant. Hoſtium carnibus tanquam deliciis veſcebantur. Hiſpanis eatenus erant impervii. Triennio ante, Didacus Boroa, cum parvo Neophytorum comitatu, legem Evangelicam promulgare moliebatur. At enim ab armatis barbaris referre pedem coaɕtus eſt. Biennio poſt, idem præcipitium prætervectus, poſtquam Caſiquios aliquos ſibi conciliaſſet, ab Taupa Iguaſuanorum potentiſſimo, iterum repulſus, ſpe meliori excidit gentis domandæ. Hoc tandem anno rurſum erexit animum, & quoniam a munuſculis ad frangendos barbaros erat inſtruɕtior, expeditionem ſuſcepit, aſſumpto in Socium Claudio Rujerio. Cognito Patrum conſilio, Iguaſuani convivalibus ſuis comitiis, more gentis conſultant, an eſſent novæ legis propagatores ad colloquium admittendi? Ut vero res majore concurſu, nec ſine auſpiciis agitaretur, adoleſcentem quemdam captivum pro hoſtia deligunt, horrendis cerimoniis interfeɕtum, coɕtumque epulis adhibent: diras inter operationes rogantur ſuffragia (mirere) ad unum conſenſere omnes, admittendum eſſe Boroam, propterea quod ex eo tempore, quo eum repuliſſent, Superos ſibi habuiſſent adverſos: conſecutam agrorum vaſtitatem, corporum miſerandam ſtragem, eos qui mali conſilii capita & authores erant, peſte ſublatos. Itaque ubi certis nunciis cognoviſſent, ex Acarajenſi portu Boroam ſolviſſe, cymbas ad regionis ſuæ clauſtra, & nota præcipitia mittunt, his ſuperatis, primi pagi incolas de ſui Senatus-conſulto admonent, igitur ab his, cum Didacus propinquaret, benevolentiſſime excipitur; ſuccedunt confines accolæ, rurſum alii & alii, tanto numero, ut admirationem res pareret. Et quoniam ſe ſuoſque in Patrum poteſtatem darent, facile intelligi potuit, quo animo adeſſent. Conſpirantibus in eandem ſententiam omnibus, oppidum conflatur, & MARIÆ Majori dedicatur. Ad hæc tempora Societas ex ea gente decem circiter hominum millia ſacro fonte purgavit a communi labe. At enim difficillima ſane erant initia: quinque menſibus integris, antequam Templum DEO, Patribus ædicula ſtaret, ſub ſtorea uterque Sociorum, omnibus cœli injuriis patebat. Illic ſacrum fiebat, cogebatur concio, funɕtiones catecheticæ, ac baptiſmi celebrabantur. Ad hæc: vivebatur adeo tenuiter, ut inſipidiſſimæ radices ſumma prandii eſſent.

CA-

CAPUT SEXTUM.

Quædam res ab eo geſtæ in Aſſumptionis regimine; S. Xaverii apud Tabativienſes oppidum inchoat.

EX Iguaſuano oppido ad Aſſumptionis urbem & Collegii regimen tandem traductus, optimi Rectoris partes omnes implevit, domi foriſque ad opinionem uſque Sanctitatis venerabilis. Et quanquam in Hiſpanorum urbe verſaretur; curas tamen exporrexit ad ſemotiſſimos Indos, ac quidquid poterat in eorum commoda largiter profundebat. Frequentiſſimis literis Socios in media barbarie degentes animabat, & ſi qua pericula eorum capitibus imminebant, ſummo ſtudio avertit. Memorabilis eſt illa excurſio, quam ſpretis vitæ diſcriminibus ſuſcepit, poſt necem Rochi Gonſalvii Sociorumque, ad Paranam & Urvaicam; namque ubi reliquos Ordinis noſtri homines vita periclitari nunciatum eſſet, Hiſpanorum & Indorum auxilia contraxit, magnis itineribus Urvaicenſibus ſe conjunxit, ac poſtquam in rem conſultaſſet, cum copiolis ſuis in Caſapaminienſem agrum profectus, Petrum Romerum periculo ſubduxit, hoſtes compreſſit, cadavera Rochi, Gonſalvii, & occiſorum Sociorum, magna pompa in Conceptionis oppidum invexit, funebrique laude cohoneſtavit.

Cum in Urvaicenſi agro verſaretur, Tuca clari nominis Caſiquius, percommodam opportunitatem obtulit rei Chriſtianæ promovendæ. Is, qua Tabatius fluvius ſeſe in Urvaicam exonerat, authoritate pollebat, acciderat que, ut ejus clientes ab Rocho Gonſalvio Sacerdotem de Societate peterent, ad oppidum fundandum. De qua re admonitus cum fuiſſet Boroa, rurſumque barbarorum vota afferrentur; commutato itineris conſilio, illuc properavit. Tuguriolum ſibi poſuit, in ædiculam ſacram, partem diviſit; multitudini barbarorum (quæ undique confluxerat) noſtra myſteria explicavit. Dum oppido ſedem eligit, areas partitur domibus, fervetque opus; è vicinis montibus ex improviſo adſunt barbari, toto corpore nudi, clava ſua armati, ad horrorem picti. Tuguriolum Patris obſident, ac inter confuſa murmura feroces minas intentant. Ad quos Didacus Boroa, his terroribus dudum aſſuetus: *parum*, inquit, *moveor ferocia veſtra, quam, ut vos doceam, dudum contempſi. Inter Paranæ accolas ſæpe hæc arma vidi, nec horrui; qui animarum cauſa & ſanguinem fundere & vitam projicere paratus ſum.* Hoc dicto munuſcula in barbaros diviſit, illi, donis acceptis, incondito clamore ſublato, ad ſuos montes rediere. Res periculi plena fuit; namque hos inter Caſtillianæ necis complices aderant permulti. Nocte ſubſequenti veriores metus Patrem occuparunt: effera enim tigris tuguriolum ingreſſa, Indum Boroæ ſervulum lethaliter vulneravit. Illo mortuo, ineſcata jam tigris ſæpe rediit, fruſtrato ſemper conatu, DEO ad alia Boroam

ſervante, quem nec barbarorum furor, nec periculorum metus retraxerant, quin ſuæ meſſi inſiſteret. Quæ ut cumulatior fieret, magnopere adjuvit quæpiam mulier, Mariana nomine, quæ Chriſtianis nuper initiata myſteriis, ſexum oblita, præco DEI effecta eſt. Hæc per proximos Tabativi ſaltus ſilvasque cum conjuge curſitans, dicendi vi effecit, ut plurimæ mulieres barbaræ, cum viris, latebras tantiſper deſererent, ut Boroam audirent. DEO infima eligente, ut fortia dæmonum agmina confunderet. Didaco Boroa ad Collegium ſuum regreſſo, eo loco, Societatis ſedes poſita eſt, ejusque opera, barbarorum plura millia damnatis erroribus ad Chriſti ſigna tranſivere.

CAPUT SEPTIMUM.

Cordubenſis Rector, & Provincialis multa agit memorabilia; Paranam, & Urvaicam luſtrat, tum Tapenſem regionem adit.

POſt geſtum Aſſumptionis Collegii Magiſtratum; Rector Cordubenſis nuncupatur, principis Collegii magno emolumento, nondum circumacto triennio, totius provinciæ Præfecturam iniit, ipſo Immaculatæ Conceptionis die. Famam ſanctitatis adeptus eſt, inde ortam, quod ſupra communem modum vitam victu, cultuque aſperam profiteretur, & Indorum emolumentis ſe totum dederet. Conſentaneum dicebant omnes, ut qui ſingulas provinciæ partes expeditionibus Apoſtolicis adierat, univerſæ aliquando illuſtrandæ præficeretur. Quanquam igitur communis bonorum omnium erat gratulatio eorum tamen, quorum Indicis Miſſionibus occupati erant animi, lætitia fuit ſingularis; quod ſperarent miniſteria ſua vigorem a tanto capite acceptura. Neque eos fefellit opinio. Quippe præcipua ejus cura fuit, Indorum immenſas prope regiones Fide imbuere, imbutas omnibus adjumentis procurare. Illius igitur voluntate ex omnibus domiciliis noſtris, utiles procurſiones ſunt inſtitutæ. Ipſe porro officii neceſſitate, in univerſæ Tucumaniæ utilitatem verſa, bello afflicta Collegia luſtrans, magno animarum commodo, varias adiit Indorum regiones. Inſpecta Tucumania, ad Paranenſia Neophytorum oppida curſum direxit, Sociorum multiplices labores conſolaturus, eadem opportunitate expeditionem ad Chiriguanas per delectos Socios duos maturavit.

Paulo ante, quam Socios ad Chiriguanas dimitteret, Collegium Aſſumptionis inſpexit. Inde redux, perpetuo itinere Paranenſium, Urvaicenſium, Tapenſium oppidorum luſtrationem ſuſcepit. Quam & mihi ſequi lubet, ut ex itinerum longitudine, laborum varietate, ac magnitudine, diſcas; quam Apoſtolicum ſit Paraquarienſis Provincialis munus. Triginta leucis diſtat ab Aſſumptionis urbe primum Paranæ oppidum Divo Ignatio conſecratum; cujus incolas abs ſe magna ex parte cœleſti lavacro

vacro purgatos longe alios ab iis, qui olim, quando primam eam vineam excolebat, reperit; namque ejus ſucceſſores, omnia pietatis officia pedetentim induxerant, adeo, ut vix ab probis Hiſpanorum moribus differrent. Superatis viginti leucis, Itapuam delatus ab Neophytis, quorum pleroſque ipſe Chriſto aliquando genuerat, varia hilaritate exceptus eſt. Decimo quinto lapide ſupra Itapuanam coloniam, Corporis Chriſti oppidum ſurrexit conditore ipſo Didaco, quem incolæ venientem omni officiorum genere ſuſcepere. Inter Itapuam & Corporis Chriſti oppidum, duæ aliæ coloniæ viſebantur, quarum incolas ſolita amoris ſignificatione inſpexit.

Luſtrato Parana, ſexdecim leucarum itinere ad primum Urvaicæ oppidum, a Conceptione nuncupatum pervenit. Tertio inde lapide Iguaſuani ad Urvaicæ ripas translati, Provincialem, qui eos ad Fidem & oppidum reduxerat, hilares conſalutarunt. Ex hac ſtatione, adverſo Urvaica, Divi Xaverii oppidum petens, in perbrevi quatuor leucarum navigatione naufragium fecit. Navigationis comites vi tempeſtatis abſtracti, quod ab torrente violenter abreptum vidiſſent, periiſſe putarunt, ſequenti vero die nuncius de ejus incolumitate acceptus, Socios multipliciter exhilaravit. In Sancti Xaverii oppido, cujus fundamenta pariter jecerat, bis mille capita ſacro flumine luſtrata reperit. Inde navigans, Acaraguam, ſeu ad Aſſumptionis novam coloniam ſe contulit. Ex qua colonia, reflexo ſexdecim leucarum itinere, Piratinienſes, Sancti Nicolai oppidum, & inde Caaſapaminienſem, uno die abs ſe diſtantes ſedes petiit.

Salutatis Urvaicenſibus oppidis, tridui itinere per vaſtas ſolitudines peracto, Sanctæ Thereſiæ coloniam fracta valetudine tenuit. Ea confirmata, ad oppidum delatus eſt, quod nuperrime inchoatum Viſitanti Virgini dicabant Patres, a Sancta Thereſia octavo lapide abeſt: Reperit conveniſſe plurimos barbaros Chriſtianæ Fidei deſiderio incenſos, at neceſſario Paſtore deſtitutos. Quoniam vero Socii non ſuppetebant; Patribus, qui vicina oppida accurabant, ſunt commendati. Secundo lapide ab colonia JESU MARIANA locus erat peridoneus, quem barbari tacite oppido deſtinaverant, ac jam centenæ familiæ concurrerant, ædilem, ac Inſtructorem efflictim ſibi poſtulantes, quod ut conſequerentur: Caraichure de præcipuis ethnicis unus, a popularibus ſuis legati nomine ad Provincialem miſſus eſt; is quinquaginta leucis obviam procedens, non deſtitit importune cauſam ſuam agere, donec tandem Provincialis, motus conſtantia hominis, Sacerdotem addixit, oppidi fundamenta jecit, Divo Chriſtophoro dicavit: iis auſpiciis, eo rerum progreſſu; quo non facile alias alibi. Namque ſesquiennali ſpatio novæ fundationi quater mille & ſexcenta capita nomen dedere. Trans Igaim pari felicitate ſurgebat non longe ſemotum Sanctæ Annæ oppidum, octingentis familiis celebratum; cui cum ſuprema manus impoſita eſſet, provinciæ Modera-

tor

tor tranſito Igaimo , Sanctorum Coſmæ & Damiani , Sancti Michaelis, Sancti Joſephi, & Sancti Thomæ oppida, Societatis opera conſtructa, non longo intervallo abs ſe invicem diſtracta , ſumma accuratione inſpexit. Admiratus eſt, & ampliſſime collaudavit Patrum induſtriam , qui tantam multitudinem in album Chriſtianorum intuliſſent. Neque ipſe per iter feriatus eſt; etenim in recenſitis oppidis , præter magnum infantium numerum , octingentos ferme adultos primo Sacramento initiavit. Cum vero ad eam quæſtionem ventum eſſet: quot anno 1634. in Tapenſi, Urvaicenſi, & Paranenſi regionibus , Socii ſacro fonte immerſiſſent , reperit tredecim millia & octingenta capita in numerum filiorum DEI fuiſſe relata. Quibus ſi addas aliorum annorum non minora ſpolia, enim vero, a paucis at ſelectiſſimis Viris , luculenta clades dæmoni eſt illata. E Tapenſi provincia per Japeiuienſe ultimum oppidum , iter circumflectens, ad portum Boni aeris navigavit.

CAPUT OCTAVUM.

Per Tucumaniam & per alios terrarum tractus laborat ; transmigrationem Tapenſium urget; in Itatinenſem provinciam abit.

AD portum Boni aeris appulſus, Franciſcum Diaſtanium in Tapenſem provinciam amandavit , in JESU MARIANO oppido, contra Mamalucos excubias acturum; nam rumor increbuerat, eos in noſtros Neophytos arma moliri. Et quia Præpoſitus Generalis Vitelleſcus nuperrime ſcripſerat , ſingulos in Tucumania pagos , ſemel adminus per anni curriculum ab noſtris adiri oportere ; provinciæ Præſes , Apoſtolicos excurſores in omnibus Collegiis nominavit, quos ipſe ad maturandum iter ſuo exemplo incitavit. Igitur e portu Boni aeris per planitiem centum & viginti leucarum profectus , vagabundorum Indorum turmas ad capeſſendam Fidem , humanitatemque Gvarano idiomate, majori conatu, quam fructu , animavit ; quod animi plerorumque avitis moribus pervicaciſſime forent addicti. Inde pagos in orbem omnes Indorum , qui inter Cordubam , & Tucumaniæ Metropolim degunt, per iter expiavit , atque eodem laborum curſu reliquas Tucumaniæ urbes inviſit; & per immenſa hæc terrarum ſpatia , ampliſſimam animarum meſſem fecit. Exploratum eſt, eundem unica provinciæ ſuæ luſtratione, octingentas minimum leucas confeciſſe , quod cum per ſeptennium, quo munus geſſit, ſingulis prope annis factitaſſet, loca omnia indagando, barbariſque neceſſaria Chriſtianæ ſapientiæ præcepta & dogmata proponendo , Provincialis *Apoſtolici* nomen laudeſque emeruit: Idem Indorum operarius, Hiſpanorum Pater , Eccleſiarum omnium concionator, & Sociorum utiliſſimum exemplar.

Poſt

Poſt crebras Mamalucorum invaſiones, evaſtata ad Urvaicam oppida, Tapenſis provinciæ funeſtam ſtragem, provinciæ Præſes, multorum conventum indixit, ut in commune conſuleretur de malorum remedio. Viſum erat: Tapenſes omnes ad Paranam & Urvaicam transferre; ne miſeras reliquias Mamalucorum furor penitus abſumat. Sancita rite hac migratione, Boroa Provincialis, votum DEO nuncupavit, nihil ſe eorum neglecturum, quæ transferendæ genti opportuna fore judicaret. Inter Socios laborem partitus, ſuas ſibi ex æquo partes ſumpſit, namque præmiſſis aliis, ipſe Sancti Michaelis, & aliorum oppidorum colonos, quorum ter mille & quadringenta capita cenſebantur, Urvaicam verſus non exiguo temporis locorumque ſpatio magna cura ductabat, donec transmiſſis præruptis montibus, ad plana perveniret. Inde ad primas turmas acceleratis itineribus progreſſus: Ducis more, conſilio, providentia, ſeveritate cum neceſſe erat, affuit. Quid porro hoc itinere ſeptuaginta leucarum, per immenſam, ſterilemque ſolitudinem, in deducendis duodecim capitum millibus, tulerit; lectoris conjecturæ relinquo. Poſt migrationem, Patres aliquot ad colligendas diſperſorum barbarorum reliquias quaquaverſum dimiſit, Templa & oppida reſtaurari juſſit, bombardas novo, at utili exemplo Neophytis ab Senatu Regio adverſum Mamalucos impetravit. Denique ejus conſilio, authoritate, laboribus, Tapenſium libertas maxima ſui parte ſtetit.

Ad Itatinenſium etiam ſemotiſſimam regionem, paludibus interdum ad umbilicum usque merſus; per Pajaguarum ferociſſimorum mortalium fines difficillimo itinere delatus eſt. Conciliatis gentis Primoribus, Socios in omnes regionis partes diſperſit, qui barbaros veſtigarent, colligerentque. Authoritate deinde Boroæ factum, ut procumbentia illic terrarum oppida firmitatem, ac meliorem faciem acciperent. Inde redux, vix explicari poteſt, quanta difficultate iter proſecutus ſit, propterea, quod pluviis aquis paludes & amnes increviſſent, Pirapium flumen, ripas ſuas late prætergeſſum, crate ex cannis contexta, grandi cum periculo transmiſit: etenim quamvis hæ cannæ cruribus humanis craſſiores ſint, & reticulatim colligatæ non facile mergantur, quia tamen ob viriditatem graves erant, ubi pondus accepere, in fluvium primum depreſſæ, & mox celeritate aquarum tractæ toto ferme corpore ſubmerſum, tamdiu rapuere, donec ab natandi peritis in adverſam ripam impelleretur. Alterum fluvium per majora diſcrimina ſuperavit; in uſu eſt per has regiones, corium bovinum flexili ligno marginatum, in concavam formam fingere, cui impoſiti viatores, ab circumnatantibus Indis ſuſtentantur, donec ex una ripa in aliam transferantur: Boroa unum de his vehiculis ingreſſus, ubi ad medium flumen pervenit, accedentibus pluribus, quam par erat natatoribus, qui marginem contingere officii atque urbanitatis cauſa ambiebant, officio in perniciem verſo, prope ſubmerſus eſt. Curcuiſenſem fluvium, eo tempore alveum ſuum excedentem, cymbula ex corticibus arbo-

arborum compacta tranſivit. Nec minora a barbaris eas terras latrocinio infeſtantibus fuere pericula. Hæc ſingillatim percenſere volui; ut ex unius itineris deſcriptione, quantas per ſeptennium muneris ſui, quater mille leucas conficiendo, perpeſſus fuerit difficultates, conjectatio fiat. Inde ſecundo Parana delatus, Tucumaniæ Collegia, magno noſtrorum, & Indorum bono inſpexit. Qua cura ſolutus, per portum Boni aeris, adverſo Urvaica iter reflexit, diſpoſitisque Sociorum animis ad novas expeditiones ſuſcipiendas, ſub finem anni 1640. ad portum Boni aeris rediit, excepturus reducem e procuratione Romana Franciſcum Diaſtanium, ubi dum tantiſper conquieſcit, Succeſſor in officio nominatur Franciſcus Lupercius Curbanus, qui mox provinciæ Præfecturam optimis auſpiciis init.

CAPUT NONUM.

De cæteris ejus geſtis & virtutibus.

DEfunctus Præſidis officio, quadriennio Cordubenſem Rectoratum geſſit, & interjecto tempore Aſſumptionis Collegium gubernavit, ubi religioſiſſimæ in pauperes & Indos liberalitatis exempla dedit plurima. Poſito Rectoratu in funeſto illo Paraquarienſis Collegii fato, ex urbe Aſſumptionis abire compulſus, diu in Europæi hominis villa, meliora tempora operiens, commoratus eſt. Donec poſtliminio cum aliis reſtitutus, ad vetera ſua ſtudia rediit, Miſſiones Paranæ atque Urvaicæ complexus, ubi emerita jam ſenectute, Sociis longe, lateque elaborantibus, præeſſe jubetur. Deficientibus ſenſim viribus, apud Iguaſuanos abs ſe quondam cicuratos, aliquandiu privatam vitam duxit, at minime otioſam. Namque bonus ſenex, aſſidue excipiendis Neophytorum confeſſionibus, aut ægris (ope bajulorum deportatus) inviſendis, aut concionibus habendis, aut Sociis per literas inflammandis, aut defendendis Indis operam dabat. Sic occupatum morbus lethalis intercepit, in oppido Sancti Michaelis ad Urvaicam, & inter pios animi affectus anno 1657. oppreſſit. Funus tanti Viri magno Neophytorum luctu elatum, & cadaver ut optarat, inter ſuos filios in Chriſto chariſſimos compoſitum fuit.

Ob virtutes eximias, tantam in hac provincia adeptus eſt famam, quantam nemo ante illum, ſi Fundatorem excipias. Aſſiduo ferme inter Sacrificandum, lacrymarum imbre perpluebatur. Quod donum cœlitus acceptum diurnis, nocturnisque cum DEO colloquiis, conſervare ſtudebat. Ad carnis motus reprimendos, formicarum morſibus diſcruciandum ſe tradidit. In corpore domando tantam ſeveritatem exprompſit, ut modum exceſſiſſe putatus ſit. In concionibus habendis gratior & utilior ob vehementiam apud externos, quam domeſticos fuit. In defendendis Indis,

Indis, induſtriam, vigilantiam, & ſolicitudiuem maximam adhibuit. Poſt triſtem Mamalucorum depopulationem, ad Tapenſem provinciam properans, diſpalatos hinc illinc Neophytos in unum collegit; fortiſſimorum barbarorum delectu facto, trans Igaim ire auſus, ut prædones reprimerentur, ad minus ut eorum audacia infringeretur, quod conſecutus fuit. In everſis oppidis, cum nil niſi cadavera barbarorum crudeliter oppreſſorum reperiſſet, humatis corporibus, actæ rei ſeriem exquiſitis literis ad Regem Catholicum perſcripſit. Quæ ducentis ab Luſitania leucis, ſumma perfidia in mare projectæ, miraculo ad littus Ulyſſiponenſe poſtmodum repertæ, Regique traditæ ſunt, cum pari Didaci Boroæ laude, & prædonum infamia.

CLAUDIUS RUIERIUS
BURGUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De Vita ejus usque ad Miſſiones.

ANno 1647. vigeſima ſecunda Decembris, Claudius Ruierius quatuor Vota Societatis profeſſus, anno ætatis ſexageſimo tertio, religioſæ vitæ trigeſimo tertio animam Conditori ſuo reddidit. In comitatu Burgundiæ honeſto loco natus, ac Neapoli in Italia ſtudiis excultus, quanquam ſumma ipſe de ſe præcipere animo poſſet, inter adjutores noſtros cooptari ambivit. Juſſus altiorem gradum poſtulare, cum Presbyter eſſet, inter Scholaſticos, cum aliquot ſelectis Viris, quos ipſe Religioni noſtræ lucrifecerat, jam tricennis adlectus eſt. Antequam Societatem ingrederetur, Neapoli inter Sodales Marianos merens, non dubitavit per plateas obviam ſæpe concionem advocare, ad quam moribus ac fama virtutum utilius dixit, quam verbis. In Calabriam Tyro etiamnum miſſus, blanda ſim licique, & non ad pompam circumducta oratione, plurimos ad virtutis amorem permovit. Sodalitium quod ad hoc usque tempus cum ipſius memoria viget, erexit.

Caput Secundum.

De primis ejus apud Indos laboribus ; Acarajenſis oppidi initia facit , augetque.

TYrocinio exacto anno 1617. Paraquaria provincia ei obtigit , in qua totum ſe Indorum commodis devovit. Cum Didaco Boroa in oppido S. Ignatii recens poſito , ac deinde in Itapuana colonia vixit. Ex his locis identidem ille per montium prærupta, loca invia, per denſa nemora , immenſas paludes, per occurrentia paſſim ferarum ſpelæa, per mille demum diſcrimina jejunus ac alacer excurrit ad ſpolia animarum facienda. Compluribus annis pane, vino, carne, cæteriſque cibariis deſtitutus ignotis radicibus, leguminibuſque famem fallebat nil aliud per omnes ærumnas quæritans, quam Indorum ſuorum animas, ac certe quidem rem Chriſtianam in Ignatiana pariter ac Itapuana colonia , ſummis incrementis auxit.

Anno 1624. cum Didaco Boroa, ad Acarajenſes profectus, bimeſtri ſpatio reducendis barbaris operam dedit. Didaco porro ad reliquorum Sociorum regimen , pro munere reverſo , totum novi oppidi onus in unum Claudium Ruierium incubuit. Neque miraculo caruit, potuiſſe eum , febri identidem exagitatum , debilemque , eas curas complecti , quas novarum coloniarum inſtitutiones offerunt, atque rite exequi. Præter Neophytum unum, ad aras miniſtrum habebat neminem, cujus domi opera uti poſſet, hoc etiam febri correpto, & Indis omnibus morbo proſtratis, ipſe per ſeſe , quamvis febriciret, aquatum lignatumque ibat. Poſtquam cum reliqua gente convaluit, aſſumptis aliquot Caſiquiis, adverſo Parana navigans, varios ethnicos adiit, ac verbi divini ſemen adeo feliciter ſparſit, ut geminorum pagorum incolæ parvulos ſuos ſacro fonte tingendos offerrent; patres matreſque ſe in fidem Patris dederent, ſpem denique facerent, cum novo oppido, avitam ſedem commutandi. Unus Quaracipucutius obſtiterat, & verbis & armorum minis; hunc Ruierius conſtantia vultus, & ſermonis gravitate repreſſit, objurgato hominis faſtu , quod pro Sacerdote ſe gereret. Cum contra barbarus circumſonaret armis, & necem intentaret; furorem riſu Pater excepit, ac demum ita flexit, ut Ruierium etiam viatico adjutaret. Illud quoque commemorandum hoc loco eſt, multum valuiſſe Aterapæ adhuc Catechumeni & aliorum comitum intrepidam fortitudinem, quos veritus Quaracipucutius, vela contraxit, & bilem reſorbuit. Conciliatis poſthæc & reliquis adverſi Paranæ Caſiquiis, ad ſua ſe recepit , maximo Catechumenorum gaudio, quod eum fama vulgaret peremptum eſſe. Non multo poſt eodem comitatu , ac pari fructu, prono flumine delatus , accolarum indolem pertentavit, reperit plerorumque animos, avitis opinionibus ita occupatos, ut a noſtris myſteriis vehementer abhorrerent. At pedetentim, divi-

divinis beneficiis allecti, & tigridum præter ordinem ſævientium infeſtatione territi, plerique ſapuere. Præter ferarum metum illud ad Ruierii patientiam exercendam acceſſit, quod cyniphes plenis agminibus, diu noctuque pertinaciſſimo morſu eum vexarent. Arioli item feris omnibus pejus infeſtarent, usque adeo, ut Ruierius ſcriberet, hos inter populos, absque peculiari Numinis favore, vitam agi non poſſe. Verum DEUS Optimus Maximus inexplicabilibus deliciis ejus animum recreabat, qui ſe ultro in media barbarie tantis ærumnis conſecrabat. Præclara quippe ejusdem ac Sociorum opera factum, ut plerique barbari longe lateque eam oram incolentes, baptismum reciperent.

CAPUT TERTIUM.

Iguaſuanæ coloniæ fundandæ operam dat; multosque Fidei deſertores ovili Chriſti aggregat.

BIennio in Acaraienſi oppido ſtabiliendo poſito, ad Iguaſuanos Chriſto lucrandos gradum fecit. Ubi primo ſemeſtri ea egit, tulitque, quæ ſupra a me in Didaci Boroævita narrata ſunt. Poſt diſceſſum Boroæ, fame & peſte ultra modum graſſantibus, incolarum plerique ad antiqua latibula ſe recepere, e quibus Ruierius una excurſione quadringentos ad oppidum poſtliminio reduxit. Ex his qui avelli ſe a ſilvis paſſi non ſunt, tigris puellam unam laniavit. Vulgata laniena Ruierius, Divo Carolo in auxilium vocato, laqueum feræ ſtruxit adeo proſpere, ut illa magno Indorum plauſu, ſeſe eadem nocte irretierit. Qua re cognita, reliqui fugitivi ad oppidum rediere Ruierium ut tigrium domitorem impoſterum celebrantes. Ex altera fluminis parte, gens hoſtilis nulli certo addicta loco, perpetuo vagabatur; de hac Iguaſuani Catechumeni, ſtimulante avita feritate, aliquot captivos fecerant, & non paucos in vindictam olim acceptæ cladis trucidaverant; reliquis carnificinæ deſtinatis. Neque a conſilio deſtitiſſent, ni Ruierius magno animo, corona populi inſpectante, paricidii reos ante ſe vinctos trahi juſſiſſet, ac caſtigaſſet. Inter has recrudeſcentis ferociæ reliquias, multi Chriſtianam manſuetudinem amplexi ſunt; nam in ſchedis memorabilibus reperio, ſub prima fundationis tempora, centum & quinque ſupra mille Iguaſuanorum uno anno; & altero ſeptingentos, alias ſexcentos, Ruierii & Sociorum opera probe inſtitutos Chriſto adjunctos fuiſſe.

Quemadmodum anno 1629. conſtituerat, ut Iguaſuanos ethnicos omnes ad Sanctæ MARIÆ Majoris oppidum deduceret, fecit. Mox omni populo edixit, ut una ex pellicibus in uxorem aſſumpta, cæteras domo exigerent, ſi quidem albo Catechumenorum inſcribi vellent. Plerique dictis paruere; reliqui verentes, ne vim Pater adhiberet, fugam

 adver-

adverſo fluvio arripuere, dein per denſa nemora diviſi ſparſim habitarunt, donec ſemente facta, rurſum in pagum conſpirarunt, nuncium Chriſtianæ legi remittentes. Vulgata fuga Ruierius fideliſſimos (ut rebatur) Neophytos ad transfugas ablegat, nunciaturos, nulli fugam noxæ ac dedecori fore, ſi modo citra moram redeant. Verum nuncii priſca libertate allecti, commutata repente voluntate, ipſis illis, ad quos mittebantur, pernicioſiores fuere. Quippe transfugis, ut ne redirent, cæteris ut oppidis egreſſi ſilvas & auream ſuam libertatem repeterent, authores fuere. Metuebatur ſane, ne malo exemplo, peſte ſævum in modum graſſante, alios ex aliis allicerent, totusque Parana quaſi tempeſtate turbaretur. Habito ſuper ea re Sociorum conſulto, & Numine per Sacrificia conciliato; Ruierius aſſumpto in Socium Vincentio Bodia coadjutore impigro, celeritate qua potuit maximâ, itineribus difficillimis, cum fida Neophytorum manu, ad eorum latibula perrexit, effecitque ſua comitate, ut rurſum ad priſtinas ſedes ducendos ſe traderent. Ruierius diſſimulatione potius, quam verborum caſtigatione utendum ratus, collaudato revertendi conſilio, in dæmonem culpam tranſtulit, dictitans: *nihil illo fraudulentius ad pervertendos eorum animos, qui ſe abs ſua tyrannide ſubducerent; caverent inpoſterum male monentem audire.* Oppido reſtituti ingentem toti Paranæ lætitiam peperere, hoc uberiorem, quod ad conſtantiam ſe obfirmarent. Neque diu poſt, ejectis pellicibus, fere omnes adultæ gentis homines, ſacro fonte abluti, legitimo matrimonio copulati ſunt.

CAPUT QUARTUM.

Caaiguarum gentem utcunque conciliat; Gvaraniæ transmigrantes adjuvat, Iguaſuanos alias in terras deducit.

CAaiguarum populus minimus eſt, at maxime barbara Indorum portio, ut plurimum crudis vermibus, muribus, viperis, formicis veſcitur. Utrique ſexui tenuiſſimus rationis uſus, quam cibandi ratione, & quotidiana feritate ita depravant, ut ab ipſis ferarum moribus parum abſint. In ſilvis ſparſim degunt, unde nomen ſortiti ſunt, nam Caaigua ſilvanum ſonat. Si qui bello capiuntur, difficilius, atque ipſæ feræ cicurantur. Acarajenſes Socii, aliquot ejusmodi homines, æquali animarum utilitate, ac corporum pernicie reduxerant, namque prope omnes ut primum oppido includebantur, plantarum more, quæ in umbra natæ ſolem apricum non ferunt, accepto baptiſmatis beneficio emortui ſunt. Ex hac gente adoleſcentulum unum captivum Ruierius eo fine redemit, ut linguam Gvairanicam perdiſceret, Sociorumque interpres apud populares ſuos eſſet. Nec res fructu caruit, cum enim Caaiguæ obſervaſſent, Iguaſuanos Chriſtianam Fidem amplexos,

xos,

xos, miram manſuetudinem præſeferre, metu poſito aliqui eorum ad oppidum ventitarunt. Porro Ruierius cognita gentis Indole, cœleſtia remedia conſultiſſimo arripuit. Habebat Lypſanothecam, qua Divi Xaverii imago claudebatur, hanc advenis ſpectandam propoſuit. Pluſque potuit mutus pictusque Xaverius, quam vocalis & viva cæterorum virtus. Ex eo quippe tempore, ſermonem Ruierii, arripiebant ſimplices barbari avide, metu, ferocia, ſuſpicionibus propulſatis; cibos appoſitos non illibenter deguſtabant, veſtes & calceos attrectabant, autumantes, quod calceati ac petaſati olim nati fuiſſent. Id dolebat Ruierio, quod ob ignorantiam ſermonis, ac interpretis hæſitantiam, nec animi ſenſa explicare, nec percontantibus ſatisfacere poſſet. Spem tamen concepit, eorum animos gratis ſtudiis, & largitione capi poſſe. Ergo munuſculis oneratos dimiſit ad ſuos, illi acceptis eo animo videbantur divelli, ut tacite reditum pollicerentur.

Celeberrima illa Gvairaniæ migratione, 1500. barbarorum cum ſuis Neophytis, quatuor integris menſibus, de ſuo aluit. Horum tertiam partem peſtis attrivit, incredibili Patris (dum opem ſingulis fert) labore. Majus onus incubuit, dum Iguaſuanos metu Mamalucorum, ſolum vertentes terra & undis ultra quinquaginta leucarum ſpatia deduxit: atque iisdem ad ripam Urvaicæ conſidere juſſis, Templum oppidumque poſuit. Et dilapſos abditaque ſua ſpelæa repetentes, rurſum per fidos Neophytos protraxit, ac ne nollent in commune vivere, perſuaſit. Atque oppidum quidem, quod olim MARIÆ Majori dedicatum fuit, nunc e ſuis ruderibus ſuſcitatum eidem nomini ſacrum voluit, eſtque deinde magnis barbarorum acceſſionibus auctum. In hac ſtatione, multis ordine annis permanſit, conſtantiſſima fama Viri Apoſtolici; quoad Sociis omnibus præeſſe juberetur.

CAPUT QUINTUM.

Urvaicenſibus & Paranenſibus Sociis præficitur; quibus virtutibus inclaruerit.

ANno 1639. Claudius Ruierius Didaco Alfaro, ſub id tempus a Mamalucis perempto, ad Urvaicam & Paranam degentibus noſtris, voluntate Mutii Vitelleſci præficitur. Mox ac regimini admotus eſt, oppidis ordinandis, & novis expeditionibus adornandis ſe totum quantum dedidit. Ejus juſſu delecti ſunt quadringenti Neophyti, ad Caracararum paludes, mox ſexcenti alii contra Calchaquinos, Prætore Regio poſtulante, amandatis, qui egregiam Reipublicæ operam, prædonibus domitis, præſtitere. Socios præterea longe lateque dimiſſos viatico inſtruxit, ut palantes, ac vagos Neophytos congregarent, aut barbaros e latebris erutos ad oppida

alli-

allicerent. Ipſe vero cum quatuor aliis de Societate, ad ſuperiorem Urvaicæ partem, hactenus imperviam, & ab frequentibus ariolis obſeſſam, luſtrandam progreſſus eſt. Iter fuit adverſo flumine, ob ingentia ſaxa, pluviam tempeſtatem admodum difficile. Pervicit tamen omnia obſtacula, & ad primos ethnicorum pagos incolumis pervenit. Horum Princeps erat Mburua, magnæ authoritatis Caſiquius, cujus filius non approbato Sociorum adventu, confeſtim arma oſtentavit. Sed Neophyti Ruierii comites tanto impetu in peruicaces invecti ſunt, ut pleroſque ad fugam compulerint. Trecenti in manus venere, qui ad oppida & Fidem Chriſti traducti, aliquod ſolatium expeditionis fuere. Præterea Ruierius multam utilitatem viginti oppidis abs ſe triennio gubernatis attulit.

Depoſita Præfectura, Lauretano Neophytorum oppido præponitur, in quo e ſolida materia Templum condidit, & ſubinde aliis in locis illuſtria multa egit, quæ ad nitorem ſacrarum ædium, & oppidorum ornamenta conferrent. Porro opus omne atque externam actionem ſic cum ardentiſſimo orandi ſtudio conjunxit. De genibus diurnum Sacerdotum penſum in Templo quotidie perſolvit. Tribus horis integris mane ante ſacrum, piis commentationibus & affectibus animum pavit. Nullo die flagellationem intermiſit. Reliquum tempus in variam ac ſtudioſe conquiſitam cœlites colendi artem ita diviſit, ut ne momentum quidem pietatis vacuum laberetur. Inter hæc exercitia, id mirabatur identidem, quæ homines veſania in transverſum ageret, quod cœleſtes illecebras, quas ipſe ſentiebat, terrarum deliciis poſthaberent, & faſtiditis æternis, puriſque voluptatibus, mentem inanitate paſcerent. Mirifice cœlitus, ac ſæpe illuſtratus eſt. Anno 1650. ad Superos, ut ſpes eſt, meritorum plenus abiit.

PETRUS

PETRUS SPINOSA BAEZANUS.

CAPUT PRIMUM.

A barbaris trucidatur.

POſtquam gemina Gvairaniæ oppida veteres ſedes cum novis commutaſſent, ea veſtium penuria laborabant, ut prope ad priſcam nuditatem relaberentur. Hos ut Petrus Spinoſa modeſte contegeret, ad Sanctæ Fidei urbem longiſſimo centum & quinquaginta leucarum itinere, cum delectis Neophytis profectus eſt. Coemerat gregem ovium idcirco & jam redux præ ſe egerat, ac medium iter confecerat, cum res accidit funeſtiſſima: forte paucis ante diebus Hiſpanorum aliqui, per viam, Guapalachibus vagis barbaris damni quidpiam dederant; hi ad vindictam ſe comparaverant. In opportunitatem omnem intenti dum ſunt, de campis ſuis non longe ab Paranæ littore fumum denſum (viatorum ſignum) proſpectant, rati rurſum Hiſpanos prædam facturos adeſſe, ad eum locum intempeſta nocte tacite arrepunt, ubi cum ſuis Petrus Spinoſa ſub dio ut fit quietem captabat. Impetu repente facto quinque Neophytos adoriuntur & jugulant. Hoc tanquam præclaro facinore perfuncti, in Spinoſam ruunt, expergefactum ac quærentem quid rerum ageretur? vocem cum audiere barbari, opinantes unum de Hiſpanis eſſe, quos neci deſtinaverant, corripiunt, nudant, verberant, ac pro mortuo relinquunt. Is vero ſenſim anima recepta, pie ingeminare JESU & MARIÆ ſacra nomina incipit, hoc rurſum exciti parricidæ, poſtquam impie objectaſſent: hos ei nil profuturos, oppreſſum extinguunt brachio ejus revulſo, reliquum cadaver in eſcam tygribus diſpergunt. Ut illuxit, & Sacerdotem abs ſe occiſum compererunt; indoluiſſe feruntur, qui necem unice Hiſpanorum quæſierint, ac eorum quidem, qui præteritam noctem illic loci egerint. Nec vero deerat qui aſſeveravit, parricidas prudentes ac volentes id perpetraſſe. Dilapſis barbaris in-

ventum brachium ajunt, quod mirere, digitis in crucis formam compoſitis.

Caput Secundum.

Quædam de eo memorabilia.

Sunt, qui Spinoſam Martyrem appellant, quod ſicarii, implorantem ſacra nomina, ludibrio habuerint; atque eapropter novo furore aucti, parricidium explerint. In Matritenſi Collegio inter Societatis Martyres pictus viſitur. Algambe in compendio Martyrum anceps hæret, an Fidei cauſa mortem ſubierit; in hoc corrigendus: quod mortem ejus ad annum 1637. referat; cum certum ſit, eum obiiſſe trigeſimo quarto. Quidquid demum ſit de cauſa mortis, Spinoſæ germanus frater Societatis noſtræ Sacerdos, olim a barbaris trucidandum prædixit, qui cum in Peruvia tum eſſet, ſingularibus literis Parentes ſuos hortatus erat, ut ne ullam curam præterirent educandi fraterculi, futurum enim eſſe, ut Societate inita ſe in Indiam ſequeretur, & a barbaris trucidaretur. Fidem dictis eventus fecit. Quin & Spinoſa noſter Societatis tum Scholaſticus, cum in æde ſacra ferventius cum DEO ageret, viſus ſibi eſt a barbaro dire cœdi, in terram proſterni, raptari, atque ubi animum plene ad ſe revocaſſet (ereptus enim erat) ſane humi ſe jacere comperit, delaſſato concuſſoque corpore, ut ſi vera verbera excepiſſet. Hoc Cordubæ in Hiſpania eveniſſe Juveni, author eſt Algambe. Mater Spinoſæ, pia gravisque Matrona, ſic puerum allocuta fertur. *O fili! quam ego te malim mortuum, ac gravi culpa aliquando obſtrictum, vide inquam fili mi, ut ne aliquando, hunc integerrimi pudoris florem fœda macula aſpergat. Si matrem tui amantiſſimam audis, id promitte fili: cuſtodem te illibatæ Virginitatis perpetuo futurum.* Hæc cum Mater profuſis lacrymis pronunciaſſet, ita commotus puerulus eſt; ut id ſine mora ac ſancte promitteret. Quaterni erant Matronæ filii, Societatem omnes ingreſſi. Auguſtinus ab Nierembergio inter illuſtres Societatis Heroes eſt relatus. Alphonſus Bonilla Poeta laureatus omnium quatuor vitas, & Apoſtolicas virtutes eleganti carmine cecinit.

Caput Tertium.

Tenor vitæ in Religione, & virtutes.

Petrus noſter poſito Religionis Tyrocinio, Cordubæ in Bætica operam literis dedit. Hiſpali Sacerdotio initiatus, in Paraquariam navigavit. Cordubæ Tucumanorum, perfecto ſtudiorum & probationis curriculo, in Gvairaniam miſſus eſt,

Nivatinguienſes barbaros excoluit, ferociſſimam ad Tajaobas Antropophagorum gentem cicuravit, Chriſtianæ Religioni adjunxit, oppido incluſit. Nullum ſuffugit ſive laborem, ſive periculum, ubi de Indorum ſalute ageretur. In commigratione Gvairanica, miſerrimæ genti levamenta quærens, per ſolitudinem oberrabat, illicque morbo oppreſſus periiſſet, ni Ruiſius veſtigans hominem, in tempore accurriſſet, & ſecta vena opem tuliſſet ſane præſentiſſimam, Ad Urvaicam, cum barbaris aggregandis inſiſtit, naufragium facit, ac jam aqua tectus pene perierat, poſtquam emerſiſſet, adeo nulla ſtuporis aut mæroris ſigna dedit, ut ſuum ipſe periculum, & circumſtantium dolorem riſu ſuavi dilueret. In Gvairania: Macetæ de vita periclitanti, ob circumfurentes Mamalucos, dum ſuccurrit, pene cervicem fregit.

In caſtigatione corporis immodicus ſane erat. In quodam per Hiſpaniam Collegio ab Rectore impetrarat, ut aliena manu flagra excipere ſibi liceret. Apud Tajaobas ex trabe ſe poſita veſte ſuſpenderat, ſic expeditus a bene lacertoſo Indo Neophyto ſcutica verberabatur diu ac quotidie, donec de facto Superior cognoviſſet, ac modum rebus poſuiſſet. Eodem in loco ut gulam affligaret, præter turcicum triticum, pulmentatum, ac inſulſum, nihil edulii admiſit; nunquam cibariorum defectum accuſabat, oblatis parce admodum veſcebatur. Tenuiſſimo viatico contentus, magna ac difficillima itinera, animarum cauſa ſuſcepit. Otii oſor erat acerrimus, atque ſi aliud nihil eſſet, quo illud commutaret, Sociorum veſtes factitabat, aut laceras interpolabat. Conſervatam Virginitatem poſt DEUM ad chariſſimæ Matris primas curas referebat. Latentem ſub pane DEUM præcipuo cultu venerabatur. Affectum ſuum erga intemeratam Virginem duplici facto prodidit, primum cum de Immaculata ejus Conceptione tuenda votum conciperet, tum quod de ejus *octava*, ut vocant, rite celebranda, ordinem rationemque conſcripſerit. Eo die, quo mortalitate hac ſolutus eſt, uni noſtrorum in Itatinenſi provincia 200. leucis diſtanti ſpectabilem ſe præbuit, gloria & cœleſti luce circumfuſum, cum voce hac: *mane cum DEO frater, nam ego ad Cœlos evolo.* Socius oſtento experrectus, quid ſibi accidiſſet, enarravit, igitur notato die ac hora, ita res congruebant, ut eo prorſus tempore a barbaris trucidaretur.

CHRISTOPHORUS MENDOZA PERUANUS.

CAPUT PRIMUM.

De ejus Vitæ exordiis.

CHriſtophorus Mendoza inter Peruviæ montes, qua Paraquariam reſpiciunt, in Sanctæ Crucis urbe, lucem primam aſpexit, editus generoſa ſtirpe; namque Patrem & Avum regionis Prætores habuit. Paternam nobilitatem, ut a virtute illuſtriorem redderet, contempta avitæ Præfecturæ ſpe, commutato nomine (Rodericius enim antea vocabatur) diſſimulata præterea veſte, e patria in Paraquariam profugit, ne cum renitentibus domi parentibus colluctandum eſſet. Admodum Juvenis ſub vexillo Chriſti (in Societatem admiſſus) ſtipendia meruit. Exacto Tyrocinio, & ſtudiorum curriculo, prima Apoſtolici fervoris ſpecimina dedit, in Aſſumptionis Collegio. Atque etiamnum Scholaſticus, oſtendit, quam formidabilis eſſet futurus orco; nam cum cujusdam viri a malo dæmone inſeſſi, cura eidem demandata eſſet, obſervatum, ad unius Chriſtophori nutum dæmonem facile circumagi & quieſcere, reliquorum imperia tumultuoſe eludere, ut diceres præſenſiſſe ſui olim domitorem.

CAPUT SECUNDUM.

Primi in Gvairania labores; apud Tajatienſes oppidum erigit, illudque moderatur; vitæ periculum ſubit.

VIrtutibus Apoſtolicis apprime inſtructus, in Guiraniam amandatur, ubi principio adjuvit Patres; qui in ejus regionis coloniis elaborabant; donec Ibitirambetani populi ad oppidum nuperrime reducti, ei ſubderentur. Eo in oppido Catechumenos inſtruxit, inſtructos magno numero baptizavit. Ethnicos ad vitam communem fidemque Chriſto dandam allexit, Antropophagos exagitavit. Ulteriores Gvairaniæ populos crebris beneficiis & forti ſermone ad petendos Chriſtianæ legis ac doctrinæ Magiſtros permovit. Frequentibus

tibus excurſionibus ſilvas & campos excuſſit, nihil eorum præterivit, quæ Apoſtolici muneris ratio depoſcebat. Quo porro labore, quibus vigiliis qua cura & ſolertia, quibus denique periculis; non attinet dicere, quia earum gentium excultoribus ſunt communia.

Suruba, ampliſſimæ authoritatis apud ſuos Caſiquius, eatenus vehementer obſtiterat, ne Tajatienſes Guiraniæ populi, non longe ab Ibitirambetanis poſiti, ubi Mendoza degebat, Chriſtianam Religionem amplecterentur. Nempe Suruba & avitæ ſuperſtitionis defenſor erat acerrimus, & idcirco cum iis, qui Chriſtiani nominis eſſent, ac præcipue cum noſtri Ordinis hominibus inimicitias atque pertinax odium ſuſceperat. Is Suruba, quem toties appello, ea tempeſtate, cruenta morte ſublatus eſt, cum nonnullis aliis Caſiquiis, Fidei obſtaculis. Imperitabat pro eo Pindovicus, qui quanquam Antropophagus, & pariter Chriſti legibus infenſiſſimus eſſet, repente animum mutavit, quod videret, ad quantam humanitatem Ibitirambetani Mendozæ opera perveniſſent; igitur & ſibi Chriſtianæ legis Magiſtrum dari enixe flagitavit. Lætus optatiſſimo nuncio Antonius Ruiſius, qui tum Gvairaniæ Sociis præerat, eo Mendozam deduxit, actumque ſine mora de oppido condendo. Campus erat ea in regione ob præterfluentem amnem & pinorum abundantiam opportuniſſimus, capti omnes loci commoditate, illic ipſo Divi Laurentii Pervigilio puro & aperto loco præcelſa crucis trophæa conſtituunt, peracto mox Sacrificio, urna prolata eſt, in quam varia Divorum & myſteriorum nomina conjecta ſunt, ut quod ſortito obtingeret, eam appellationem novum oppidum conſequeretur. Miſcetur urna, Incarnationis nomen educitur, iſtudque inpoſterum loco adhæſit. Auſpicato ſane; namque & domibus & Templo auctum oppidum, ea incrementa ſumpſit, ut ſeſquimille familiæ exiguo plane tempore in Catechumenorum album ab Chriſtophoro Mendoza ſint relatæ.

Ubi fama rei dimanaſſet, interiores provinciæ populi, contra Pindovicum, quod Socios recepiſſet, arma parant. Mendozam morti, novum Incarnationis oppidum excidio deſignant. Conflatis copiis adoleſcentem ſubornant, atque ad explorandas Pindovici vires præmittunt, qui ex indiciis captus tortusque, cum diu pernegaſſet, ſcire ſe popularium ſuorum conſilia, hac demum ratione res omnis eſt detecta. Mendoza vinctum juvenem apud ſe detinet, profert librum horarum Sacerdotalium ad diurnum penſum ſolvendum. Quod cum vidiſſet adoleſcens, (putant quippe hi barbari, per literas & libros Europæorum, arcana quælibet aperiri) exiſtimabat ex lectione ſe detectum iri, ac proinde attonito ſimilis, in hæc verba prorupit. *O Pater*, inquit, *te quæſo, ut ne rurſum torquear, omnia ut ſunt, fatebor; quid enim te celem, qui libros ſecretorum indices tenes!* Tum nefariam hoſtium machinationem detegens, ajebat: eos incredibili Sacerdotum carnes guſtandi cupiditate flagrare, brevi affore, ut oppreſſis incolis, oppidum evaſtent. Cognito

hoſtium conſilio, Pindovicus ſuos arma corripere juſſit, ac ſine certamine latrones fugavit. Metu ſolutus Mendoza, oppidum extendit ac incolis frequentavit. Inianienſibus, non longe ſemotis populis, author fuit, ut Patres Societatis ſuas in terras evocarent. Tupicos Mamalucorum prædonum aſſeclas, a vi campeſtribus Indis inferenda arcuit. Ariolorum loquacia oſſa venerationi ſubduxit, atque iſtud quidem præſentiſſimo vitæ periculo.

Dum hæc fiunt, turmatim Mamaluci e Braſilia in Gvairaniam irruunt, nec paucos Neophytorum ex Incarnationis oppido vinculis compeditos abducunt. Quos ut redimeret Mendoza, exiguo Indorum manipulo ſtipatus caſtra latronum adit. Cum propius hoſtibus ſuos admoviſſet, ii confeſtim proſiliunt, ſclopetis atque arcubus reſolutis noſtros aditu prohibent. Hoc primo impetu unus Indorum cecidit, Mendoza ſagitta percuſſus, geminum vulnus accipit. Periculo audacior factus, Joſephum Domenecum Coadjutorem corripit, atque eo comite per reluctantia Mamalucorum caſtra ad ipſum latronum ducem ſe penetrat, in os homini exprobrat factum, captivos repoſcit, minas addit, totius Gvairaniæ Neophytos armorum jure uſuros. Nec plura effatus, attonitis illis, captivos vinculis ſolvit, & ad oppidum ſuum, inter hilares acclamationes, ovans ipſe, revertitur.

CAPUT TERTIUM.

De reliquis rebus ab ipſo in Gvairania geſtis; varias colonias conſtituit; captivos liberat.

HÆc cum ex animi ſententia fluxiſſent, campeſtrium Indorum legati adſunt, orantes ut ſuas quoque terras Mendoza oppidis firmaret; nihil refragatus Pater eſt. Ac reipſa non longe poſt collata cum tribus Ordinis noſtri hominibus opera, trium novarum coloniarum fundamenta poſuit, quarum una ab Sancto Michaele nuncupata ejus curæ concredebatur. Hinc ad Ibianguienſes, mari obverſos populos miſſus eſt, ut vagam gentem in ordinem cogeret. Quoniam vero perpauci admodum ſe objiciebant oculis, iique Mamalucorum metu disjecti, ponendi oppidi conſilium evanuit; centum nihilominus ethnicorum familias collegit, atque coloniæ Sancti Michaelis aggregavit, quæ, acceſſione hac, ita increvit; ut cenſu inito bis mille incolæ numerarentur. Celebrantur & aliæ utiles Mendozæ excurſiones, quibus carptim multos barbarorum dæmonis jugo eripuit. Majora molientem, Mamalucorum furor, ita inhibuit, ut non modo nihil progredi, verum nec parta tueri poſſet. Namque obortus bellicus turbo pleraque oppida evertit, quod unum reſtabat, id enitebatur; ut Gvairaniæ reliquias ad Paranenſem provinciam translatas, tuta aliqua ſtatione deponeret.

neret. Quod dum facit, prope erat, ut ferro barbari caderet. Quippe præferocis animi Indus, quod patrium ſolum vertere nollet, & a Mendoza urgeretur potentius, enſem diſtrinxit, immerſiſſetque in Patrem, niſi circumſtantes a tergo Neophyti, intercepto ferro periculum avertiſſent.

Ex Gvairania excesſerat, ut Petrum Romerum, qui tum Paranenſibus & Urvaicenſibus Sociis præerat, conveniret. Optatus adfuit; eundem quippe cum delectis aliis Sociis ad Tapenſem provinciam Atlantico Oceano obverſam ſecum abſtulit. Ad eam regionem delatos, & Itajacecoenſes, & fæderati Caſiquii amiciſſime accepere, ac Templum abs ſe fabricatum, domumque Patrum uſibus conſignarunt, viſum eſt Romero, ut Mendozam genti præficeret. Atque iſtud quidem ut augurio, ita eventu bono; namque hic, antequam annus revolveretur; ſeptingentas & quinquaginta ethnicorum familias contraxit, & majorem partem ſacro fonte ſolitas inter cerimonias abluit, multæ deinceps aliæ coloniæ in eadem provincia ejus opera coaluere. Nec mirum; linguam enim Gvairanicam cum lacte biberat, tractandorum Indorum erat peritiſſimus, zelo præterea animorum erat ardentiſſimo. Quaqua verſum diſcurrebat ipſe; eminus poſitos, per internuncios invitabat, barbaros nunc dulci alloquio, alias munuſculis ad ſe pelliciebat. pellectos eloquentiæ vi, ac grata beneficentia ita ſibi devinxit, ut divelli nec poſſent, nec vellent. Atque his actibus & ſancti Chriſtophori, & ſanctorum Coſmæ, ac Damiani oppida ſurrexere. Nam quamquam Petri Romeri authoritate novæ coloniæ ducerentur, nemini tamen dubium erat, Mendoza prodromo hæc fieri, qui primus faciles gentis aditus repererit; aſperas vias æquarit, obſtacula amolitus ſit, animos comparit. Quanta vero hic laborum moles fuerit, nemo facile calamo expinget.

Percrebuerat interea rumor de latronum conciliis per oppida pleraque, qui velut indagine Neophytorum loca circumcinxerant, ut aliquid noſtrorum hominum carperent. Hæc ut anteverteret Romerus, ipſe longius profectus, Mendozam oppido ab JESU & MARIA nuncupato, quod in finibus provinciæ ſitum erat, præeſſe voluit, ac in mandatis dedit, uti vigilantiſſime excubaret, ne quid novella Eccleſiæ ſoboles damni caperet. Ut ne porro authoritas homini deeſſet, Tapenſis provinciæ Socios ei ſubjecit, ut nempe eorum opera jure ſuo, cum res depoſceret, uti poſſet. Hæc ubi Romerus conſtituiſſet, Mendoza ad JESU MARIANUM oppidum propere diſceſſit, illicque, quibus ad defenſionem opus erat, ſedulo curavit, atque eos quidem, qui oppido ſe continuerant, conſervavit. Qui porro in villas egreſſi ſepta deſeruerant, a latronibus, ut exploratores nunciaverant, capti & abacti ſunt, deinde vero Mamalucorum ære commutati. Hac injuria adeo commoti ſunt JESU MARIANI, ut fortiſſimi quique arma corripuerint, rapidiſſimo itinere

eo

eo properarint, qua tranſeundum hoſtibus erat. Ducem ſe dederat Chriſtophorus Mendoza, Mendozæ comes aderat Petrus Mola, hi hoſtes conſecuti & adorti, levi certamine rem finiverunt, extorta præda, receptis popularibus ſuis, omnem prædonum colluviem verſus Paranam diſpulere.

CAPUT QUARTUM.

Varias nationes adit; trucidatur a barbaris.

CUm tantiſper quies ab hoſtibus eſſet, potiori cura in id incubuit, ut, qui mare accolunt, populos conciliaret; ne ſi Mamalucorum mores & armorum ſocietatem ſequerentur, univerſæ aliquando Tapenſi provinciæ perniciem afferrent. Quanquam vero in hac re plurimam induſtriam collocaſſet, tamen quia per nuncios res gerebatur, nihil admodum proſpere evenit. Ergo per ſeſe ad Tebiquarini fluvium multorum dierum itinere profectus eſt, coram ejus gentis animos inſpecturus, id præcipue egerat, ut impiam Mamalucorum ſectam, eorumque mores prorſus inhumanos noſſent, ac odiſſe inciperent. Domum reverſus, Caaguanam expeditionem ſuſcepit, numeroſam manum JESU MARIANORUM ſecum trahens, ut, ſi vis alicunde pararetur, eſſet, quod opponeret. Paucis poſt diebus Ibiacenſium fines ingreſſus, pleroſque ad ſpeciem benevolos habuit, ut qui ſponderent, dum Mendoza a Caaguis reverteretur, frequentiſſimos ſuorum affore, qui de rebus divinis dicentem audirent. Hac præclara ſpe ſibi facta iter ad Caaguas profecutus eſt, tantumque apud hanc gentem profecit, ut de Mamalucorum perverſitate dicentem, & item leges Chriſtianorum explicantem, perlibenter audirent.

At enim dum Caaguarum fera pectora emollit, pagos villaſque per orbem circuit, ſementem verbi divini indefeſſus ſpargit, Ibiacenſes, in caput Mendozæ conjurant. Caput ſceleris Tajubajus fuit, doloſus ultra quam gentis indoles ferat, & putidæ ambitionis homo, namque pro DEO ſe gerebat, ob hunc ſacrilegum faſtum, ac præterea quod Catechumenos, ab concepto propoſito, morumque probitate longe abduceret, domi noſtræ unius diei carcere multatus fuit. Pœnas dependit equidem, at vix rimula ad effugium patebat, ad ethnicos tranſiit, omnemque deinceps induſtriam in id impendit, ut ne Religio Chriſtiana incrementa caperet. Cum igitur intelligeret interiores populos, ab Mendoza impenſius ſolicitari ad ſinceram Religionem, ipſe, qui dudum id ſcelus anhelabat, Ibiacenſium Primores adortus, jurejurando cum iis conflat parricidium. Ad condictum diem capita factionis, tracta ſecum armatorum multitudine, inſidias opportuno loco collocant. Quæ tum quidem a Mendozæ comitibus detectæ ſunt, ut adeo conſcelerati illi ad lati-

bula

bula ſua dilaberentur. Verum mox integra phalange reverſi, impetum in noſtros fecerunt, cumque Mendoziani ab Ibiaenſibus opprimerentur, Pater equum conſcenderat, abreptoque ab obvio barbaro, clypeo huc & illuc diſcurrens, atque adverſa tela excipiens, hoſtes qua poterat, territabat. Præcipua vero Viri cura fuit, ne Catechumenorum quiſpiam ſine baptiſmo in prælio caderet. Quod dum agitat, & ad unum ſuorum gravi vulnere ſaucium properat, equumque per paludoſa loca incitat; repente in limo lento una cum jumento adhæreſcit, divulſum a ſuis circumſiſtunt hoſtes, plagis ſauciant, equo delapſum pene obruunt. Cadentis cura fuit, comites alta voce commonere, ut ſibi fuga conſulerent. Interea parricidarum unus auriculam deſectam in furoris monumentum abſtulit, alii veſtem dilacerant, nudantque corpus, alii Crucifixi iconem e collo ſuſpenſam inter probra comminuunt, cæteri mortuum arbitrati, ob pluviam tempeſtatem in nemora ſe recipiunt, funebres epulas, ſaginam ſuam barbaram, in craſtinum differunt. Dilapſis illis, Pater quanquam lethale vulnus accepiſſet, & jam extremam ageret animam, alio arrepſit. Reduces altero mane parricidæ, cum cadaver non adeſſet, admirari primum, tum ſanguinis veſtigia ſequi cœperunt. Reperto Sacerdote, cruentam ſcenam redordiuntur, exprobrantibus aliis: nihil Chriſtum poſſe, ut qui in extremis caſibus clientem ſuum negligeret. Blaſphemiam redarguente Patre, ac Chriſtum prædicante languida voce. Tum ſeminecem corripiunt, dentes excutiunt, os enſe feriunt, verberant undique, & altis vulneribus fædant. Cum nec ſic animam extrudere poſſent, rati ſuperſtitione infectum eſſe, neque plano & aprico loco emori poſſe, perticæ impoſitum in proximam ſilvam deferunt, & quoniam Chriſtum & ſuſpiraret & annunciaret identidem, diceretque animam ſuam per dilacerati corporis rimas cœlum petituram, labium cum naribus præſcindunt, ventrem diſſecant, viſcera rimantur, linguam evellunt, cor ſagittis transverberant, inter quæ tormenta anno 1635. animam reddidit Authori.

CAPUT QUINTUM.

De geſtis poſt ejus mortem, & virtutibus.

PAtrata nece ſicarii ad parricidale convivium converſi, barbaræ gulæ geminos adoleſcentes Patris ſervulos addiderunt, utroque crudeliter trucidato. Refert Antonius Ruiſius, Mendozam familiariter ſecum agentem aliquando dixiſſe: optare ſe breve Martyrium, ne lento nimium percelleretur. Verum quando robur animi, quo Martyres tormenta perferunt, divinæ gratiæ opus eſt, ut adjuvantis virtus magis eluceſceret, longam lentamque

mortem maluit DEUS ſervo ſuo obtingere. Author conjurationis Tajubajus, in ipſo loco, quo Athleta noſter animam poſuit, ab Neophyto Caſiquio clava percuſſus pœnas dedit. Chriſtophori Mendozæ cadaver vindicatum, ad JESU MARIANAM coloniam translatum, Socii majore luctu, quam pompa terræ mandarunt. Fuit in domando corpore aſperrimus, in procurandis aliorum commodis ſolertiſſimus, in obſervandis Collegiorum legibus minutiſſimus. Indorum curam adeo menti infixerat, ut in ſomnio ipſo id unum ſpectaret & agitaret. Nocte quadam dormienti objecta eſt nudi pauperis imago, cui ut opitularetur, de ſtragulis quidpiam utut ſopore merſus e lecto ad januam abjecit, experrectus mane, factum reperit. Familiariſſime cum DEO colloqui ſolitus eſt, ſi quid vacabat, totam mentem referebat ad animas juvandas, quæ piacularibus flammis detinentur, ferturque his opera ſua omnia dicaſſe.

PETRUS MOLA
ARAGONENSIS.

Caput Primum.

De ejus juventa, navigatione, ſtudiis, primis Miſſionibus.

Petrus Mola in Aragonia, oppido Diœceſis Grauſoſcenſis, natus eſt ſtirpe perhoneſta. Ubi adolevit, novercæ ingratias averſatus, clam patre in Italiam diſceſſit. Itinere hoc militiæ nomen dedit. Vix dum guſtata militum conditione, Romam profectus, ab Pontifice tenui beneficio impetrato, patriam repetiit. In patria ab Avunculo Illuſtri Abbate ſtudiis admotus, eum ſe præſtitit, qui Societati noſtræ authorari ſit meritus. Peracto Tyrocinio, in Paraquariam navigans, altioribus ſtudiis nuncium remiſit, ut quantocius barbaris regionibus Chriſto aſſerendis admoveretur. Corduba ad Boni aeris portum iter faciens, coram nobilibus Viris, ſocero & genero, qui inter ſe graviter diffidebant, & arma intentabant, ſequeſter futurus, acriter ſe flagellando impetravit, ut gener ſana ſoceri conſilia capeſſeret. Sacerdotio initiatus ac in Gvairaniam

niam proficiſci juſſus, non modo in veteribus Neophytorum oppidis operam navavit, verum etiam in barbaris e nemoribus eruendis, cum laude præluſit. Magiſter in arte factus, Sancti Antonii novæ coloniæ fundandæ regendæque præficitur, qua in provincia incredibili plane labore id conſecutus erat, ut bimeſtri ſpatio bis mille & quingentos barbaros e vaſtis nemoribus pellectos in album Catechumenorum retulerit.

CAPUT SECUNDUM.

In vaſtatione oppidi abs ſe fundati, multa agit & patitur.

INter eos, qui Chriſti Sacra amplexi ſunt, fuit Tataurana magni nominis Caſiquius, Mamalucorum nuper captivus. Is eluſo domino, libertatem conſecutus ad Sancti Antonii coloniam a Petro Mola optimis legibus communitam, cum numeroſa clientum manu ſemet recepit, ac Catechumenis (ut flagitarat) adſcriptus eſt. Hunc latronum Dux repetierat per internuncium; cumque reſponſum eſſet ab Mola, Tatauranam natura liberum eſſe, ſibi integrum non fore, ut nova vincula induat; latronem ita irritavit, ut palam minas ac vindictam fulminaret. Re omni cognita, Petrus Mola quod grande periculum ab tanto hoſte immineret, teneriori ætati beneficium baptismi largitur; quo in opere ſeptem horas conſumpſit, eſtque adeo delaſſatus, ut fulcris brachiorum opus haberet. Altero die, ut præſagiebat, Mamalucorum armata cohors oppidum aggreditur, diripit, Sacra profanat, obluctantes obterit, gentis Primoribus vincula injicit, imbellem turbam disjicit, Sacerdotem ſupellectili ſpoliat. Mola in omnem partem ſe verſabat, ut ad commiſerationem barbaros flectere poſſet; at fruſtra. Ergo cum videret in ipſo Templi ſacerrimo ſinu, nihil tutum eſſe, deſperata corporum integritate, ad animarum ſalutem tuendam ſe convertit. Huc & illuc ferebatur celerrime, captivos inter vincula ſacro ritu expiat, ſuis ipſe lacrymis ſolabatur ſingulos, obvios ſingulari amoris ſignificatione alloquebatur, complexu ſtrinxit. His offenſus, neſcio quis de Mamalucorum grege, jam Patri imminebat, ut occideret. Actum erat de Mola, niſi telum alter latronum de manibus excuſſiſſet. Illum cum redargueret Pater, ac graviſſimis verbis doceret, indignam cœlo manum, quæ tantum facinus auderet. Riſit latro & addidit: *invito etiam DEO ſe poſt mortem cœlos petiturum, beatam ſedem poſt ſuſceptum baptismum, nec ab ipſo quidem DEO negari homini poſſe.* Incertum, ex quibus id hæreticorum placitis didicerit.

CAPUT TERTIUM.

De Vita periclitatur.

BIs mille & quingenti circiter in manus hoſtium venere, relicto ſine grege paſtore, funeſtiſſima haud dubie ſcena fuit, dum Pater filios ſibi ſuique amantiſſimos, ut pecora abigi coram videret; nec opem ferre poſſet. Reſpondebat Patris gemitibus captivorum dolor, anxie circumſpectantium, num quæ a vinculis effugii pateret via, qua reperta auſi ſunt nonnulli ad Molam confugere, rurſum alii, qui ſeſe latebrarum opportunitate prædonum furori ſubduxerant. Hos ille, dum benevole accipit, atque ad aliud oppidum tanquam tutam ſtationem ductat, fere mortem adiit. Nam plerique commutata voluntate, tumultus civere, ſuſpicati dolum aliquem & perfidiam; ut ſi Pater cum latronibus colluderet. Et jam expeditis armis vim parabant; tum Mola ad eos converſus: Societatis in totam gentem beneficia commemoravit, quæque ipſe eorum cauſa exhauſiſſet pericula. Ad hæc, tranquillitas tantiſper rediit, præcipue quod fideliores Neophyti Molæ partes tuerentur, atque arma ipſi caperent ad ſeditionem comprimendam. Verum paulo poſt rurſum turbida omnia, iisdem de cauſis & majore periculo. At enim Petrus Mola, in tuto jam erat, propterea quod Sylverius Paſtor ex Incarnationis oppido ſuccurreret cum ſubſidiis. Interea hoſtes Gvairaniæ oppida ordine adorti, memorabilem provinciæ vaſtititatem intulerunt. Mola ſubinde ad Paranenſes & Urvaicenſes Socios juvandos, ducentarum leucarum itinere proficiſci jubetur.

CAPUT QUARTUM.

Apud Caapienſes Sancti Caroli oppidum fundat, & gubernat.

ANno hujus ſeculi trigeſimo, Apicabiia Caſiquius, ex Caapienſibus ſilvis, quæ ab Urvaica tridui itinere abjunctæ erant, tantam barbarorum multitudinem collegerat, ut frequentiſſimum oppidum conſtitui poſſet. Hanc gentem Petrus Mola e Gvairania veniens, cum coram inſpexiſſet, conſilium ſuggeſſit, ſedis ponendæ Societati. Gratum id ratumque fuit apud convenas, adeo, ut ſexcentæ quinquaginta ethnicorum familiæ ſemet aggregarent. Id oppidum Divo Carolo Boromæo conſecratum reperio, in memoriam Frederici Boromæi Cardinalis, qui hanc provinciam inſignibus beneficiis affecerat. Stabilito, ut par erat, oppido, vicina remotaque alternis ſtudiis ita attraxit, ut qui in caſtra Chriſti tranſiiſſent, nume-

numerum ipſi ſuum mirarentur. Negotium faceſſivit unus ex oppidi ducibus, qui in venerem projectus divelli ab pellice non potuit Is igitur Chriſtiana ſacra contemnere, ariolorum contra ſomnia magnifice extollere cœpit, ac Patrem e medio tollere nitebatur. At Mola piis artibus circumventum adeo fregit, ut perverſi conſilii hominem pertæderet, puro veroque animo Fidem Romanam amplecteretur, & in expiationem pervicaciæ, ultro longuinqua itinera ſuſciperet, ad Religionem nova multaque ſobole augendam. His adminiculis, quotannis quingenta, ſexcentaque capita in numerum Neophytorum referebantur. Auxit famam oppidi, Sancti Caroli Imago, ab Ludovico Bergero eleganti penicillo expicta, quam Petrus Mola in Templum a ſe ingenti labore conditum, ſumma pompa intulit. Ex hoc loco Majorum juſſu in Tapenſem provinciam migravit, ut colonias duceret, ac peſte laborantes relevaret. Hinc ad JESU MARIANUM oppidum translatus eſt.

Caput Quintum.

In JESU MARIANÆ coloniæ fundatione, & Regimine Apoſtolice elaborat.

JESU MARIÆ oppidum, connitente Chriſtophoro Arena, ædificavit, ac demum ipſe moderabatur. Mille facile ethnicorum familiæ illic domicilium fixerunt, & poſtquam rudimentis Fidei probe imbutæ erant, manipulatim nec ſine publica pompa batismum acceperunt. Annis deinceps ſingulis mille plerumque capita, duorum Apoſtolorum opera acceſſerunt, noſtris ſacris de more initiata. Peſtis, quæ intervenerat, omnem prope coloniam diſſolvit, laboremque Patrum cumulavit. Ac Mola quidem quantumvis febricitaret, ad diſperſum gregem ſuum juvandum revocandumque profectus, utut nihil remitteret febris, tamen & ſub dio ac humi noctare, madens algensque (quod ſæpe fallente veſtigio in obvios torrentes rueret) non dubitavit. Pertinaci labore tandem effecit, ut ſe rurſum congregarent, ac deſertas ſedes repeterent. Dum hoc opus fervet, confeſtim novi barbari latebris relictis, acceſſerunt, ut adeo JESU MARIANUM oppidum cæteras Tapenſis provinciæ colonias frequentia longe ſuperaret. Subinde cum Chriſtophoro Mendoza, Indorum abactores ſecutus, luculenta rurſum pietatis exempla in ſuos edidit; namque complures in libertatem aſſeruit, neque deſtitit pro commodis ſuorum magna agere & fortia pati.

Caput Sextum.

De ejus geſtis usque ad mortem.

Et jam Petrus Mola, Socio Apoſtolo, per intervalla adjutus, ſex mille & quinquaginta ſeptem barbarorum ſalutari lavacro expiaverat, pluresque in Candidatorum numero habebat, cum novus Mamalucorum furor, non tantum florentiſſimum reipublicæ ſtatum convulſit, verum etiam ulteriores ſpes evertit. Tertio ab fundato oppido anno, ſceleratiſſimi mortalium, cum mille & quingentis Tupicis, contractaque non exigua ethnicorum vi, oppidum adorti, ſui juris fecerunt, ac fœde populati ſunt, Mola ipſo graviter in capite vulnerato. Poſt captum ſubverſumque oppidum, ſaucius Pater, ſuos æque ac hoſtes, qui eo armorum conflictu læſi fuerant, extremis Sacramentis adjuvit, & omni ope ſolatus eſt, humoque injecta mortuis juſta perſolvit. Poſtquam deſæviit bellum, tranquillaque circum eſſent omnia, hujus coloniæ & aliarum quæ paria fata ſubiverunt, miſeras reliquias collegit, oppidum ac Templum molitus eſt, utrumque difficili admodum labore perfecit. Hac cura operaque ſolutus, aliis oppidis & ſacris ædibus omni ſolitudine atque inopia vaſta loca reſperſit, ut iis, qui in commune vivere vellent, ſuæ ſtationes eſſent. In hoc ſtudio ita verſatus erat triginta admodum annis, ut inter utiliſſimos Vineæ Domini operarios jure optimo cenſeretur. In tumultibus Tapenſibus ab Angelo (ut ipſe mihi retulit) in ſomno admonitus eſt: *videret, ut ſtructas ſibi inſidias eluderet.* Mox experrectus clamorem tollit, quo territus qui advolarat parricida, fugam corripuit. In Sancti Nicolai colonia Vir meritis plenus, paupertatis, animi demiſſionis, charitatis cultor peculiaris, inter barbaros, honeſta morte defunctus eſt anno 1659.

EUGE-

EUGENIUS VALTODANUS CASTELLANUS.

Hunc Virum quantumvis non Sacerdotem, tantis Heroibus addo, ut qui per 50. fere annos, ante ac poſt conſtabilitam provinciam Apoſtolicis factis claruit, commerita laude non privetur. Benedicti Valtodani Senatoris Regii nepos fuit. A Catholico Rege, Proregi Peruviam petenti aulicus cliens conceſſus, tametſi a Proregis benevolentia nihil mediocre ſibi polliceri poſſet; ſpretis ampliſſimis favoribus, in ſpem rerum æternarum Societati noſtræ ſe mancipavit. Qua re cognita, ejus Avunculus, vehementer excanduit, id permoleſte ferens, quod nepotem chariſſimum, in ultimo coadjutorum gradu militare videret. Ergo literis ad Claudium Generalem datis; poſtulat, ut imperet eum Sacerdotio honeſtari. Poteſtatem fecit Claudius Aquaviva, at Eugenius noſter ſuo gradu contentus, honorem non admiſit. Poſito Limæ Tyrocinio, in Tucumaniam dimiſſus, primis antè fundatam provinciam Sociis, utilem admodum operam navavit; omnemque reliquam vitam Auſtralibus regionibus conſecratam, puram ab omni graviore culpa traduxit, & pulcherrimis virtutibus ornavit. Ut Viri graves, eundem cum Illuſtribus Societatis coadjutoribus conferri poſſe cenſuerint. Sub devexam ætatem paſcendis ovium gregibus paſtor datus eſt, ut tonſa lana Neophyti nudiores contegerentur, in hoc munere ad annum usque octogeſimum ætatis perſtitit. Certumque eſt ſenem optimum, plus inde veræ laudis retuliſſe, quam ſi Avunculi Senatoris, & Peruviæ Proregis benevolentia, ad quascunque novi orbis opes ac dignitates eluctatus fuiſſet. Atque ſane pro contemptu rerum terrenarum, cœleſtibus deliciis recreabatur: Antecinerales dies erant: Tucumaniæ urbes, in tripudia & id genus ineptias pro libidine ruebant, tabernæ, plateæ, fora, omni hilaritate perſonabant, Divorum ædes deſtituebantur. Unicus Valtodanus noſter, poſitis reverenter genibus arcanum latentis ſub ſpecie panis Chriſti DEI myſterium, in Templo noſtro adorabat, id dum inter caſtiſſima ſuſpiria facit, ipſis oculis videre meruit Servatorem JESUM, talari ac cruenta veſte, crucem humeris geſtantem, propeque ſub onere fatiſcentem. Quem ingenua ſimplicitate cum interrogaſſet, quo laſſus contenderet; reſpondit bonus JESUS: *tantillæ quietis cauſa ad*

Tem-

Templum hoc ſe iter flexiſſe, quod in reliqua urbe bacchanalibus perſtrepentibus, nullum locum ſuis rebus commodum reperiſſet. Quo dicto famulum ſuum incredibili primum dolore, tum majore gaudio affecit, eaque ſpecies evanuit. Et aliis cœleſtibus favoribus cumulatus fuiſſe fertur, quæ cum rite conſignata non ſunt, ſatius putavi omittere.

Mortuus eſt Itapuæ inter Indos pientiſſime anno Salutis 1645.

FINIS DECADIS TERTIÆ.



DECAS
QUARTA.

PETRUS ROMERUS HISPANUS.
MATTHÆUS FERDINANDIUS PARAQUARIENSIS.
DIDACUS RANCONIERIUS FLANDROBELGA.
NICOLAUS ENARTI⁹ LOTHARINGUS.
GASPAR OSORIUS HISPANUS.
ANTONIUS RIPARIUS ITALUS.
ANTONIUS RUISIUS PERUANUS.
MARTINUS URTASUM NAVARRUS.
DIDACUS SALAZARIUS HISPANUS.
DIDACUS ALFARUS PERUANUS.

PETRUS ROMERUS HISPANUS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus Natales, Juventa, Religionis initia, Sacerdotium.

PEtrus Romerus, quem inter clariſſima provinciæ noſtræ lumina, & vitæ cum laude actæ, & illuſtriſſimæ mortis titulo colloco; Hiſpali in Bætica primam lucem aſpexit honeſto loco editus. Pæne infans, cum parentibus in Indiam occidentalem vela fecit. Ibi puero res mira accidit; nam in rapido flumine navigans, cum impetu aquæ cymbula abrepta eſſet, ipſe in profluentem lapſus, conto adhæſit; ac quanquam natandi expers eſſet, nec quiſquam mortalium opem ferret, repente in ripam evaſit; Superis ut

pie creditum eſt, puerum ſervantibus, qui tot animas æterno naufragio erepturus erat. Emicabat a teneris unguiculis ad virtutem experrecta indoles, ſpem non eluſura, ſi cultorem nanciſceretur. Quare Joanni Ladradæ Carthagenæ Epiſcopo, e Divi Dominici familia, a parentibus traditus: ita inter Ephæbos juventam tranſegit, ut nihil antiquius haberet, quam optimi Præſulis pios caſtosque mores in ſe transformare. Apud noſtros homines, non magis latinitate, quam religioſæ vitæ deſiderio imbutus, Societatem noſtram ambivit; ut nempe ſpreto Americano auro, lucris animarum ſe totum impendere poſſet. Ejus in ſcholis humanitatis Magiſter, cum tres e diſcipulis, veluti Societatis Candidatos, provinciæ Præſidi ſiſteret, ac commendaret; unum gubernio, alterum Theologiæ docendæ, Romerum tertium Apoſtolicis Miſſionibus ſummo uſui futurum non fallente eventu divinavit. In ſpem igitur Societatis obtinendæ, Patri Didaco Torres, Quitenſis provinciæ Conditori ſimulque provinciæ Paraquarienſis fundandæ regendæque, Provinciali deſignato, adhæſit, atque una ad celebrem Americæ Iſthmum navigavit. Aliud rurſum cum eodem mare expertus eſt, Panamenſi littore in altum provectus. Atque ſic longiſſimo itinere probatus, in ipſa navigatione, in Societatem adlegitur anno 1607. ætatis 23. die Sancto Thomæ Aquinati ſacro, multorum mortalium bono. Tyroni Didacus Torres optionem dederat, ut ſi vellet in Quitenſi provincia rebus jam conſtitutis pacatisque frueretur, vel ſi in Paraquariam ſecum ire mallet, omnia ardua ſibi proponeret: ſciret vero, bis mille leucarum intervallo, per infeſta ferociſſimis hominibus loca, montes frigoribus & altitudine inſignes, per torrentes & paludes eundum eſſe, & cum eo perventum eſſet, ſummam rerum inopiam, in infinita locorum vaſtitate ſuſtinendam. Etenim nova illa, quam animo deſtinabat Didacus Torres Paraquaria, totam illam terræ molem complectitur, quæ Peruviam inter, Braſiliamque media, ad usque fretum Magellanicum utroque Oceano intercepta procurrit. Porro hæc mortalium terriculamenta, Juvenem Chriſti crucisque amatorem, invitabant magis, quam abſterrebant. Quapropter nihil cunctatus; mediæ virtutis impatiens, arduam provinciam, in qua heroicorum facinorum arena eſſet, delegit. Limam Peruviæ Metropolim tetendit, inde in novam provinciam per Chilenſe regnum admiſſus, peragrata ferme tota meridionali America, Cordubæ Tucumanorum conſtitit, Tyrocinium continuaturus. In hac urbe primus omnium Paraquarenſium Sociorum, rite Religionis Vota nuncupavit. Confectoque per compendia ſtudiorum curriculo; cum ſe Majoribus ſuis undique probaſſet, ſacris initiatus, ac ferociſſimæ Gvaicuræorum genti domandæ ducentarum leucarum itinere objectus eſt.

Ca-

CAPUT SECUNDUM.

Gvaicuræis Chriſto ſubjugandis præponitur.

AD hanc gentem diſperſis mapalibus habitantem, anno hujus ſeculi decimo, primi omnium aditum invenere Rochus Gonſalvius, & Vincentius Griffius. Quoniam vero barbari hi conſpectum Patrum perferre non poterant, neque ſementem admittebant, & undique dilabebantur; majori ſpe quam fructu facem Evangelicam oſtenderunt. His Romerus ſuffectus, vix barbarorum terras contigit, cum Duce gentis agere cœpit de oppido condendo, ut ſtabili aliquo loco conſideret populus, certa communique lege viveret, ac ſenſim diſciplinam pati diſceret. In quam rem barbari, ut ſunt ad novitatem alacres, non difficulter conſenſere. Quapropter in unum locum ſe contraxerunt non pauci, atque ſtoreas multa ſedulitate erexerunt, ut ſubito ſimulacrum quoddam ſurgentis oppidi videret. Obſtabat egregiis principiis inſcitia linguæ, & per interpretem Indum difficile erat, obſcura Religionis myſteria obtuſiſſimis ingeniis explicare. Unicum in arctis rebus fuit remedium, verborum penuriam liberalitate compenſare, & factis eximiis, ſilentii tædia relevare, donec improbo labore, paucula Gvaicuræorum vocabula condidiciſſet. Tum demum frequentem concionem cogere, parvulos inſtruere, barbaros mores carpere, Chriſtianos collaudare, quod nequibat verbo, geſtibus & vultu, denique ſacri Magiſtri partes pro modulo implere ſatagebat. Præterea aratro ipſe terram proſcindere, ſementem facere, metere cœpit, non tam ſui cauſa, quam ut agriculturam, ſine qua animarum cultura fruſtra futura erat, barbaræ genti commendaret. His officiis annum unum, egregia plane animi, corporiſque patientia, poſuit. Nam victus, ſi venena (quibus barbari veſcuntur) excipias, erat ex gentis uſu; domus ex ſtorea & luto quinque cubitalis, culicum diu noctuque pertinax infeſtatio, aer in paludoſo ſolo peſtilens, aquæ dulcis inopia; quæ omnia haud æque facile tolerantur, ac ſcribuntur, leguntur que. Adde fætorem inexplicabilem, quem uncta piſcium pinguedine corpora exſpirabant. At minime ferendæ erant vitiorum ſordes, totis receptæ animis ac longo uſu inveteratæ. Vixdum Patri adhæſerant, rurſum ex innata inconſtantia, ad priſca latibula reſpexerunt, quaquaverſum ut lubebat dilapſi; latrocinia exercebant, vicinos populos infeſtabant, in cædes ruebant, ut ſi domeſticis quibusdam furiis exagitarentur. Ex cædibus reduces, captivos contra jus omne, tanquam mancipia vænum proponebant, totis noctibus victorias ſuas, religioneſque celebrabant, atque ea facies rerum erat, ut nihil pejus averſarentur, quam ſuave jugum Chriſti. Id tamen in lucra Romerus retulit, quod nonagenaria anus, abjecto omni ſuperſtitioſo morbi remedio, & item ſexagenaria altera, ante mortem Chriſtianum dogma

dogma ſint amplexæ. Præterea multi infantes Sacramento expiati, cœlo tranſcripti ſunt. Reliqui in priſca & a parentibus hauſta impietate perſtitere. De quorum religionibus diligentiſſime percontatus Romerus, comperit eos lunam & plauſtrum Bootis pro Numinibus habere, alia ſacra ignorare. Itaque dum novilunium facerent, atque effulgens cornu geſticulationibus clamoribusque adorarent; medius intervenit ſacerdotali veſte ad conciliandam majeſtatem indutus, ac crucem præferens: acriter redargutos monuit, ut niſi verendam DEI poteſtatem irritare mallent, ab impia inſania deinceps abſtinerent. Multa deinde addens in crucis & veræ Fidei commendationem, impetravit; ut omnes de genu crucem adorarent. Verum optima principia rurſum inconſtantia corrupit, & ſpes lætas, pravitas indolis fruſtrata eſt.

CAPUT TERTIUM.

In Divi Ignatii oppido operam collocat; Gvaicuræis reſtitutus labores redintegrat.

INterea rumor apud Hiſpanos invaluit, Gvaicuræos de mactando Romero conſilia agitare. Quamobrem multi revocandum eum cenſebant, contra ipſe frequentibus literis enixe a Majoribus poſtulabat, ne ſe optato periculo ſubtraherent. Sed cum ſub id tempus nunciatum fuiſſet; non procul Parana rem Chriſtianam feliciter urgeri, & ſi novis Sociorum auxiliis fulcirentur, plurimos Paranenſes ad oppida, & Chriſti Fidem reduci poſſe; Romerus Majorum imperia ſecutus, ad Sancti Ignatii Neophytos, apud quos Rochus Gonſalvius Societatis miniſteria ſolus atque unicus accurabat, conceſſit. Tantæ ſpei admotus, Gvairanicam linguam primum didicit, tum dæmoni palam bellum indixit. Barbarorum penitas latebras rimari, ad Chriſtiana ſepta traducere, traductos rudimentis noſtræ legis imbuere, inſtructos luſtrali aqua expiare, ægrorum corporibus animisque mederi, ad populum verba facere, quotidianæ erant exercitationes. Recurrebat nihilominus animo, & invitabat Gvaicuræorum regio, ceu laborum & ærumnarum feracior. Sed ut eam mallet, tamen præſentes curas toto animo complexus eſt, ratus id demum Societatis hominibus cordi eſſe debere, quod a Majoribus imperatur, non quo pronitate animi ferimur. Hoc in munere magna rerum inopia ſeſquiannum poſuit, quoad P. Didacus Torres provinciam ex officio inſpiciens; ad S. Ignatii oppidum cum novis Sociis veniret, quibus illic relictis, Romerum id maxime cupientem & tantum non ambientem, ſuis Gvaicuræis reſtituit.

Anno 1613. ad finem vergente, Gvaicuræis redditus, modicam ſibi & Antonio Morantæ caſam finxit ex luto paleaque, perfecto hoc opere: ut ut ardentiſſimi ſoles eſſent, & aquæ dulcioris ſumma penuria, multorum

torum dierum iter arripuit, ac eo contendit, ubi Dux gentis cum frequenti multitudine domicilium fixerat. Iſthic aſpirante Numine, ejus quem diximus Duculi matri brevibus perſuaſit, ut ſe ſequeretur, & non longe ab æde ſacra, recens conſtructa habitaret; quæ deinde Chriſtianis imbuta præceptis, effecit, ut ſocrus ſub iisdem tectis viveret, & mox aliis atque aliis exemplum ſecutis, plerosque novæ Apoſtolæ eo perpulere, ut ſe Romero cum Duce adjungerent. Quos omnes ipſe privatis, publicisque congreſſibus, de finibus bonorum & malorum, quaque bonis via inſiſtendum eſſet diligenter & ardenter edocuit. Quidquid poterat, ſuis commodis ſubſtraxit, ut miſerrimam gentem recrearet, quapropter taleri veſte de vili goſſipio contentus, cibo potuque tenuiſſimo, lecto e corio; totum æs reliquum & commodorum ſupellectilem, quam annue Rex Catholicus ipſi Socioque pro vitæ ſubſidio addixit, in veſtes ferramenta & id genus, ad devinciendos largitate barbaros profudit. Si quid cupediarum, aliarumque rerum a pia amicorum munificentia nanciſceretur, in pueros ægrosque partitus eſt; corrogabat vero ultro a multis, ut multis quod daret, ſuppeteret, id animo reputans: dona apud barbaros omnium egentes, miraculorum vices ſubire oportere: ſi Gvaicuræi (quod pæne quotidianum erat) commutarent loca, ſequebatur difficillimis itineribus, ſuaque lucra captabat, multosque ætate jam graves, & item infantes morti proximos errori & periculo ſubductos cœlo tranſcripſit. Domi porro quotquot gravius ægrotaſſent, omni ope adjutum ibat, enitebaturque ut qui vitam ferarum more traduxiſſent omnem, mortem homine cœlo nato oppeterent dignam. His, quas dixi artibus, ferocem Gvaicuræorum, & Gvaicuritiorum gentem in officio continuit, & præterea Niapuros & Bajares truculentiſſimos ad ſe pellexit, atque ita ſermone tenuit, ut de divinis rebus verba facientem placide audirent.

CAPUT QUARTUM.

Ibidem multa agit & patitur memoratu digna.

INſignis Romerianæ charitatis partus fuit, venefica mulier his terris atque his populis orta, quos, quia frontem arte quadam jam a teneris altius producere ſolent, Frontones apellamus. Ea, in ancipiti morbo, ad ſuæ gentis veteratorem, ut ſe malis præſtigiis ſanaret; deportari voluit. Ac quanquam id quotidie ageret, Romerus tamen per ſervulum identidem gratos bolos, & lautiorem cœnulam ſubmiſit, qua aſſiduitate benefaciendi, ægram permovit tandem, ut faſtidito venefico homine, baptismum ab ſuo Patrono in animæ remedium peteret. Quod dum facere aggreditur, turmatim Sacerdotem circumdant Gvaicuræi, flagitantes majorem in modum, ne id

officii præſtaret mulieri peſſimæ, quæ venena ſpargere, & manu peſtem facere ſolita ſit. Namque ſi eam baptismo initiatam pro inſtituto ſuo in ſacra æde ſepeliret; fore, ut in tigridem converſa, late circum omnia vexaret, ac dilaniaret, ſatius eſſe, in loca vaſta, remotaque mortuæ cadaver abjici, ne a morte plus furat noceatque, quam dum viveret. Hæc illi: quippe Gvaicuræi in ea ſunt opinione, ut malorum animas putent a morte in feras migrare atque eo terribiliores, quo, dum viverent, pejores fuiſſent. At Romerus peracta functione, Pythagoricam migrationem dedoctis, comprobavit eam eſſe baptismi vim, ſi rite comparato animo accipiatur, ut fœdiſſimorum mortalium animas ſole reddat clariores, & corpore exutas aſtris miſceat, æterna felicitate donandas. Sub ea tempora, piam ac elegantem imaginem in ædem ſacram intulit, adorationem trium Magorum complexam. Ab ea pompa obſervatum eſt, barbaros cum morte colluctantes, minus a baptismo abhorrere, Cœlorum Regina nec non Regibus, gentium Patronis, opitulantibus, ut pie creditum eſt. Sed & Romero Chriſti Mater ſaluti fuit: Is per fluidum fœdumque carcinoma putrem materiam egerebat, pertinaciſſimi mali vis adeo exhauſerat hominem, ut functionibus ſolitis impar omnino eſſet. Nulli circum late erant medici, pharmaca nulla ſuppetebant, animus æſtuabat deſiderio rei Chriſtianæ proferendæ, languebat ſine viribus corpuſculum. Ergo ad Superos converſus, caſtas preces fudit obteſtans: reſpicerent barbaros Doctore deſtitutos; tum novemdiale Sacrificium ad aram fecit, ac litaſſe videtur; quippe arcano inſtinctu arbuſti quoddam folium temere repertum ulceri admovit, ſenſitque pæne ſubito in cicatricem coiviſſe. Qua de re Provincialis ad Claudium Aquavivam ſcribens aſſeruit: *videri ſibi divinitus Romero ſanitatem & priſtinas vires reſtitutas eſſe.* Multo illud memorabilius: Gvaicuræorum lingua difficili admodum & implexa (namque ea gens voces in gutture turbinat) myſteria noſtra explananti, dubium ſubrepſit permoleſtum, num fideliter concepta exponeret. Ex hac animi perplexitate, cœleſti voce creditur emerſiſſe, ſiquidem & tranquillum ſubito rediit, & ad obeundos labores Apoſtolicos novo ac mirifico ardore ſe ſenſit impelli.

CAPUT QUINTUM.

Ad Gvaicuritiorum regionem explorandam proficiſcitur; peſte afflatis opem fert.

POſtquam ad Gvaicuræos ſecundo Romerus veniſſet, mox Gvaicuritiorum Dux, ſive vicinorum æmulatione, ſive quod permagni faceret Sacra Chriſtianorum, affuit; rogabatque vehementer, ut Romerus ſuas quoque terras coram inſpiceret, locumque idoneum novo oppido condendo exquireret. Lætus iis initiis, con-

confidentius, quam ſecurius barbarum Ducem ſequebatur. Porro in omni peregrinatione, is apud eam gentem mos inolevit, ut non modo uxores & familiam, verum ſupellectilem omnem, arma, domosque ipſas circumducant, de re penuaria ac commeatu nihil ſoliciti. Quapropter impeditiſſimi progrediuntur; ac vix triduo milliare unum Italicum emetiuntur, namque ubi tantillum itineris proceſſerint, erectis in caſtrorum ſpeciem ſtoreis, cibum quærunt, neque ex eo loco in alium migrant ante, quam venatione ac piſcatu totum exhauſerint. Hæc inter tædia Romerus cum Gvaicuritiorum gente, uno ſervulo comite, barbara ac fortuita menſa contentus, per infeſtas culicibus paludes, infeſſa tigribus loca, ſpinas & vepres, totis quadraginta diebus, ſeptem admodum leucas confecerat, cum literas ab Aſſumptionis Rectore accipit, quibus perlectis, barbarorum Duci ſignificat, ſibi, niſi acceleratis itineribus cum expedito comitatu profectionem maturarent, re infecta, ex Majorum voluntate, cauſis urgentibus, revertendum eſſe. Igitur relicta multitudine, Dux duplicat iter, Patrem per ſuas terras celeriter circumductum, deſignata oppidi area domum reduxit. Romerus laudem tulit, ut qui infidæ genti animarum cauſa ſe credere non dubitarit. Id præterea operæ pretium fuit, quod infantem moriturum Sacramentis oportuniſſime procurarit; & anum veneficam, extremam fere animam agentem diuque animæ medelam reſpuentem, ad ſaniora conſilia perduxerit. Solatium iſthoc mæror interpolavit; Romerus enim linguæ interpretem amiſit, cui ne in agone quidem perſuadere potuit, ut ſuperſtitionum pœniteret, baptismumque admitteret.

Triennio in his laboribus exacto, nullamdum Gvaicuræi ſpem de ſe dabant oppidi frequentandi, moresque efferos corrigendi. Inter cædes ac divagationem vitam exigebant pro genio; ac quanquam per intervalla ad Romerum ventitaſſent, id tamen non Religionis ſtudio, verum ſuorum commodorum cauſa factitabant. Eam ob rem multi arbitrati ſunt, deſerendam eam gentem, Romerumque eo transferendum, ubi & campus ardori eſſet, & fructus. Contra, Romeri ſententia fuit; contumaciam barbarorum, conſtantia frangendam; flexitque in vota Provincialem, qui ut ſubſequentibus etiam annis cum obſtinatiſſimis animis experiretur, indulſit; & ad Claudium Aquavivam ſcribens, invictum Romeri animum, tolerantiam, conſtantiam meritiſſimis laudibus extulit. Res has fæda, ſed utilis procella excepit: namque duobus annis inſequentibus, peſtis iis terris incubuit, multisque Gvaicuræorum profuit, æternum alioquin perituris, ut ni cœlum minas oſtentaſſet. Romerus utendum ratus animis, periculi præſentis ſtupore perculſis, dies, noctesque magna animi & corporis contentione, ſingulos proficuis ſermonibus ad ſalutem æternam hortabatur. Neque ſane inutili conatu: nam quanquam multi per ariolos in transverſum acti, compelli ſe in regnum DEI non ſiverint, plurimi tamen adultæ ætatis homines, etiam venefici &

ſagæ ancipiti morbo correpti ſalutem ſempiternam ſunt conſecuti. Infantum ut copia major, ſic ſalus ſecurior, quos omnes quidquid renitentur parentes, morte appetente ſacris laticibus luſtravit. Quæ dum aguntur, illuſtre ad memoriam facinus ab Romero editum eſt. Animam agebat infans ferociſſimi hominis ſuos inter, ac ſi Ducem excipias, facile Principis filia, nec adduci poterat barbarus, ut ſuſtineret eam Chriſtianam emori, conſtitueratque more Majorum ejus inferias, eorum cæde ac funeribus proſequi, qui puellæ aut amore aut neceſſitudine propius juncti fuiſſent. Res moram patiebatur nullam; quapropter Romerus tanquam aliud agens moribundam abluit, & ad barbarum converſus: *filia tua*, inquit, *Sacramento jam expiata æternum cum Chriſto regnabit. Nihil hoſtiis opus eſt, abſtine a ſanguine & cæde tuorum.* Cui barbarus, & ſuopte ingenio ferox atque jam Religionis odio inflammatus, *enimvero*, inquit: *congeminabo funera, & promiſcua cæde parentabo.* Contra Pater, animo ad mortem ipſam obſtinato, clara voce edixit, id ſe nequaquam permiſſurum, ut ethnicorum ritu, cœleſtem gloriam adeptæ inferias daret. Ad vim jam res ſpectabat, cum inconditus ululatus barbarorum tollitur, qui cadaver infantis, inſtituto ac more Majorum, inter miras corporum jactationes planctibus proſecuti ſunt. Quæ res barbarum hominem exaſperavit magis, ac Romeri periculum auxit. In tam arcto conſtitutus Pater (Superis haud dubie ſuggerentibus) bene ſe facturum putavit, ſi fleret cum flentibus. Ergo aſſimulato barbarorum ululatu, cadaveri jacentis puellæ imminens, miſeros queſtus edebat, ut ſi chariſſimum caput amiſiſſet. Mirum dictu! ea comploratio adeo commovit barbarum, ut filiam arbitrio Romeri permitteret, parentaret, ut vellet Chriſtianis cerimoniis, ſpondens ſe nullius ſuorum nece dulciſſimæ filiæ manibus litaturum. At enim fidem fefellit, etenim incertum unde clam protractam anum jugulavit, & jam inferre ſepulchro parabat. Id cum animadvertiſſet Pater, imperterrite reprehenſa hominis inconſtantia, profanum cadaver removeri juſſit. Cæterum Gvaicuræi exiſtimabant, ſi confertim habitarent, atque in commune viverent, majus ſibi a ſæva lue periculum imminere; unde quidquid obmoveret Romerus, veluti ſigno dato, in diverſa oppidani omnes abierunt; corporum nempe diſcrimen, animarum periculis plus miſeri metuebant. Verum plerique omnes recepto jam malo, in itinere tabeſcebant, unde ſparſi per vaſtiſſimos campos, & immenſas paludes, atque uni ab aliis ſejuncti, prout quemque vis morbi dejecerat, ita ſine teſte, ſine ope, animam infelices exhalabant. Errones inſecutus Romerus, primo die ſenis ſaluti fuit, quos per bajulos domum revexit, inſtitutos propere rudimentis Fidei, ac baptiſmo initiatos, æternæ vitæ participes fecit. Anum ipſe vietam atque ipſo fætore putidiorem, in humeros ſuſtulit, ac bene longo itinere in oppidum ceu opimam prædam aſportavit, nihilque deinceps non egit, ut eam Chriſtianam faceret, verum omnis labor, ut eventus docuit, in

irri-

irritum ruit. Romerus ſequentibus diebus quaquaverſum per aſperos terræ hiatus, vepreta, cava ſaxa obibat, plurimosque in ipſa morte omnis ætatis Chriſto peperit. Peſte diſſipata; per ſeſe, atque etiam per alios, propoſitis præmiis, mortalium Superumque minis intentatis palabundos iterum ad oppidum revocavit. Ubi operam redintegrans, hac ſeſe, in confirmata barbarorum pervicacia, cogitatione ſolabatur; quod extremos conatus in ſingulorum ſalutem adhiberet. Ex adverſo barbari, inſano ululatu, ſagina poculisque onerati, terrificis vociferationibus ſuperſtitiones ſuas exercebant, intolerabili aurium tormento. Atque, ſi qua opportunitas ſe offerebat, ad injuſta bella dilapſi, ſtrage edita, captivos in vinculis præ ſe agebant, diriſſimeque vexatos minimo, ut mancipia, vendebant. Nonnullis ea ſervitus libertatem filiorum DEI confecit, cœlo ſumma barbarorum ſcelera in captivorum ſalutem vertente. Alia ex parte tygrides, Romeri caſam ingreſſæ, & ipſæ viperæ, inter domeſtica vaſa repertæ, & angues ex tecti paleis capita exerentes formidinem augebant. Hæc facies loci, ac temporum erat, hique barbarorum mores; cum Romerus inter Gvaicuræos ageret. Reſcripſerat tamen ille ad Socios; pluris ſe ſuam provinciam facere, atque alias ubi tranquilla omnia, fertilis ager, & animarum abundantiſſima meſſis eſſet. Neque aliud a Provinciali ſuo contendebat, quam ut ne ſe cupitiſſimis pro Chriſto ærumnis privaret. At poſtquam omni, qua poterat animi contentione, omni eloquentia, mille artibus, pervicaciſſimæ gentis indolem animosque frangere conatus eſſet, & ſeptennio integro fruſtra fuiſſet, ad Paranam ubi lætiores res erant, Majorum juſſu migravit.

CAPUT SEXTUM.

Apud Jaguapuanos Paranæ populos rem Chriſtianam provehit.

ROchus Gonſalvius, qui præter Itapuanum Neophytorum oppidum, Jaguapuanam coloniam in Paranæ ripa condere inœptarat, ad Urvaicæ populos tentandos deſtinatur, ubi penuria operariorum laborabatur. Quare Petrus Romerus Iguapuano oppido præficitur, cujus primus labor fuit, cum Rocho Gonſalvio, antequam is in novam provinciam concederet, vicinos ethnicorum pagos luſtrare: ſecundum quæ fauſta omnia ſibi precatus; Rochus in Urvaicenſem provinciam, Romerus Jaguapuam verſus, iter arripiunt. Jaguapua rudem potius imaginem oppidi, quam oppidum ipſum referebat, quadringenta non amplius capita in centum & viginti domibus cenſebat. Cæterum ſpes erat fore, ut increſceret ex vicinis, remotisque locis, Parana præcipue inſula, hominum feraciſſima. Poſtquam ergo ab Jaguapuanis, qui ferme omnes ethnici erant, ſolerti dexteritate evicit, ut pellicibus, & falſis religionibus abjectis Fidem Chri-

ſti capeſſerent, eorum pleroſque ſacro intinxit lavacro, ædem ſacram multitudinis capacem e fundamentis excitavit, compoſitiſque in novello oppido rebus, ad vicinos populos cicurandos animum advertit. Aberat ab Jaguapuana colonia biduo, Maracanais barbarorum pagus non infrequens, quorum nonnulli neſcio quibus terroribus agitati, verentes ne, ſi ſe Societati traderent inſtruendos, nimia religione vexarentur, deſerto patrio ſolo, longiſſime profugerunt. Perierant ſane, ni Romerus, ſine mora inſecutus, authoritate ſua e fuga retraxiſſet. In ipſo Maracanai oppido adhuc repugnabant ducenti circiter barbari, qui ſemet paludoſis locis, abruptiſque ſaxis abdiderant. At Romerus per abrupta repens, per plaudes umbilico tenus aqua immerſus, præferoces homines, ceu feras indagans, tandem dicendi vi pellexit, ut ad cæteros accederent. Frequentato ſic loco, ad paludem Paranæ contiguam proram convertit. Narrabant indigenæ ſub adventum olim Hiſpanorum, hujus paludis ripas ſcatuiſſe innumeris Indis. Sed pleriſque partim bello, partim inſalubritate craſſi aeris abſumptis, ad paucitatem redacti ſunt. Nihilominus ad eos per viæ duces, difficillimis itineribus delatus, id minime opinantes, comitate verborum aggreditur, ſpondens: ſi ſecum ire vellent, magnas animorum corporumque utilitates percepturos, & manifeſtis ubique DEI præſentis beneficiis in hac mortali vita, atque adeo ejuſdem poſtea viſione potituros. Cui Aperera paluſtrium Indorum facile Prineps jocanti ſimilior, quam ſerio: *ſi*, inquit, *DEUS ubique præſens eſt*, *hic æque, ac alibi nobis aderit.* Cumque ſubintuliſſet Romerus multa de neceſſitate myſteriorum Fidei Chriſtianæ & de bonorum malorumque exitu, eadem a barbaro futilitate verborum eluſus, fruſtrato conatu regreditur: hoc lætus, quod ſemen verbi divini jeciſſet, fructum aliquando daturum. Nec ſpem eventus fefellit, namque procedente tempore omnes ad Chriſti partes feliciſſime traduxit. In medio Paranæ, inſula jacet, amplitudine quindecim leucas complexa: undique in alta promontoria, rupibus excelſis præcincta, aſſurgit, undique inacceſſa; niſi qua per frequentes, periculoſoſque aquarum vortices paululum ſeſe dimittit. Olim Paranenſium contra vim Hiſpanorum munimen ſat tutum. Unde ejus incolæ præter innatam ferociam, bellicos animos adhuc præferebant. Ad eam inſulam (quanquam Neophyti commonerent, ne quod periculum ſibi accerſeret) cymbula vectus, iter arripuit. In navigatione, aquarum vortice interceptus, vix latum unguem ab naufragio abſuit. Diſcrimine defunctus, tandem ad inſulam applicuit, & primo conatu Arariem Caſiquium ariolandi arte, toto Parana celeberrimum, cum centum aſſeclis ex dæmonis caſtris, ad ſigna Chriſti proſpero ſucceſſu tranſtulit, atque Jaguapuanorum copiolis novas adjecit.

Excuſſis utroque Paranæ littore barbarorum latebris, auctoque jam novello oppido, ad humanitatis ſtudia, atque proficuas artes inducendas animum adjecit. Exemplorum breviſſimam viam ſecutus, ipſe præ-

ivit omnia: textoriam & fabrilem artem inſtituit, ad agriculturam converſus, primus boves aratro injunxit, terram vomere ſcidit, agrarias leges dedit, armenta ad paſtum duxit, oves opportunis paſcuis & ſepimentis incluſit, domorum fundamenta deſcripſit, ædilem egit, tum medicas potiones miſcuit, venam pertudit, vulnera obligavit; jus diſpenſavit. Hæc quidem artium & corporum, at vero animarum curæ ac ſtudia erant majora. Peſte anno 1621. graſſante, luculenter id oſtendit, cum omnibus omnia factus, Patris una, Medicique ac Magiſtri munere ſtrenuus fungeretur, nullum periculum ſuffugeret, omnem laborem ſubiret, unus omnibus omni ope adeſſet, incredibili patientia, incredibili charitate. Ea opportunitate nobile exemplum dedit ardoris divini & Chriſtianæ lenitatis: Neophytorum neſcio quis, turpi negligentia, nec absque publica nota, feſtis diebus ſacrificanti adeſſe renuebat, hunc benevole admodum Pater monuerat, ne ſe publica culpa apud populares ſuos infamem, ac Superis inviſum redderet. Cum vero diu longumque nihil proficeret, tandem ſtato die vecordem hominem e domo eductum præ ſe agens in Templum ingredi compulit, commotus facto ejus Caſiquius, Romerum adit, verbisque indecore perſtrictum alapa publice ferit. Enimvero ille Chriſtianæ patientiæ memor, in genua provolutus, percutienti alteram maxillam obtulit, dixitque: *tum ſe felicem fore, cum pro DEI cauſa, quam agebat, multa ejusmodi ſibi evenirent.* Valuit apud percuſſorem exemplum Chriſtianæ virtutis, qui viciſſim humi projectus, veniam repentini, ſacrilegique furoris petens, a benigno Patre liberaliter impetravit. Harum rerum fama non modo domi, verum etiam foris late inclaruit; quare & Majorum juſſu, & Patrum Franciſcanorum hortatu, qui in mediterraneis Paraquariæ regionibus duo oppida fundaverant, ut ea inſpiceret, perrexit, magno earum terrarum emolumento. In medio, ad ea oppida itinere, lapis viſebatur ethnicorum ſuperſtitionibus famoſus: illo diſturbato, crucem conſpicuam ſuppoſuit, quanquam res eſſet plena periculi. Non diu poſt, adventantem provinciæ Præſidem, ad Urvaicam, comes & viæ dux promovit; ubi in Patrum conſeſſu, de Indorum converſione, rectaque inſtitutione graviter & appoſite ſententiam dixiſſe fertur. Denique Jaguapuam reverſus, Neophytorum ſuorum commodis ſe totum, cum Petro Bosquer Societatis noſtræ Sacerdote impendit.

CAPUT SEPTIMUM.

Novo Corporis Chriſti oppido exædificando, regendoque admovetur; Jaroſios fruſtra pertentat.

INterea dum hæc apud Jaguapuanos geruntur, Inanienſes adverſi Paranæ populi ſpem de ſe fecerant, ut ad humanam, communemque vivendi normam adduci poſſent: miſſo proinde altero Sacerdote, qui res Jaguapuæ curaret, Didacus Boroa Paranenſis expeditionis Præfectus, Romerum noſtrum accerſit, quocum adverſo Paranà navigans, utriusque ripæ accolas paucis renitentibus invitat, trahitque ad novi fundamenta oppidi, cui deinde Corporis Chriſti nomen inditum, menſe Majo anni 1622. cæptum, Romeri curæ demandatum eſt. At quoniam maligno, craſſisque nebulis obnoxio ſolo poſitum erat, Pater Bernardinus Tholus Sardus, nuper ex Europa advectus, ac Romero Socius datus, paucos poſt dies omnino cæcutiit. Amiſſo illo, in ampliſſima provincia permanſit, atque ſolus & unicus omnem curarum molem ſuſtinuit. Pueros inſtituit, informavit omnem rudem ætatem, ægros fovit, mortuos extulit, ariolos domuit, politicam juxta atque Chriſtianam vivendi rationem induxit. Diu noctuque multa agere, permulta pati, vigilias extrahere, prolixe orare, ſudare & algere, tenuiſſime victitare, liberaliter ſua elargiri, erant optimi Patris concatenati velut labores & aſſidua exercitatio. Atque ut erat Indorum experientior, quam Jaguapuanæ indolis, plus inde fructuum retulit. Rebus domi ex voto fluentibus, inſequenti anno ad diverſa remotiſſimaque loca expeditiones ſuſcepit, multos oppidis concluſos ad Fidem pertraxit. Nihil intentatum, nihil inexploratum reliquit, per lacus, paludes, ſpiſſiſſima nemora, nullo tempeſtatum diſcrimine retractus, ibat redibatque, quemadmodum magna nominis ſui commendatione, ita profecto ſummo earum gentium commodo. Peſte depopulante omnia ad Tabiapum, Pirapum, & Caapibarim flumina per redundantes aquis provincias ethnicorum humeris delatus, plurimis baptiſmi beneficium contulit. Rem denique animarum ita ſolerter ac feliciter geſſit, ut ante finem ſequentis anni, oppidum Corporis Chriſti, quadringentis Chriſtianorum familiis locupletarit.

Jam longe lateque Romeri nomen innotuerat. Quare Petri Oniati Provincialis juſſu, adnitente Argentei fluminis Prætore, ad portum Boni aeris, ducentarum & quinquaginta leucarum itinere revocatur. Revocandi cauſa fuit, ut ex eo portu adverſo Urvaica flumine navigans, littorales populos exploraret, videretque, num ſpes foret Jaroſiorum gentem ad Chriſti Fidem traducendi. Porro Jaroſii inter Urvaicam & flumen Argenteum latiſſime vagantur. Gens Gvaicuræis ſimillima, niſi quod frequentiori commercio mitigati, minus ferociter cum hoſtibus agant.

Avitæ

Avitæ ſuperſtitionis, paternorumque morum tenaciſſimi, perpetuo palabundi, ſementis, regiminisque impatientes, oppidorum ſepta averſantur. In ſingulorum ſuorum morte, unius digiti nodum ſibi abſcindunt, unde plerosque videre licet vola tenus truncos. Ad hanc gentem anno 1623. magna animi fiducia, cymbula provectus, unico Hiſpano comite adiit. Sed enim reperit metu vexationum paſſim occupatos animos, ut ſe oppidorum ſepimentis credere non auderent. Ergo centum alias leucas emenſus, Gvaranicos populos pertentavit, verum & hos, comitibus mortem (ni retrocedant) intentantes, nondum Evangelio maturos arbitratus; ad portum Boni aëris unde diſceſſerat (Provinciali ſuo, Prætorique Regio abs ſe perſpecta explanaturus) rediit.

Caput Octavum.

Gvaicuræos reviſit & deſerit; Japejuvienſibus Urvaicæ præſidet, initia Caaſapaminienſis oppidi promovet.

HOc labore ſibi, quam barbaris utiliori defunctus, rurſum ad Gvaicuræos, confectis continuato itinere ſexcentis leucis Majorum ſuorum authoritate legatur. Hos curabant Joſephus Oregius, Oregii Cardinalis frater, & Alfonſus Rodericius, non longe poſt, pro Chriſti Religione fuſo ſanguine clarus; qui quantum apud crudiſſimam gentem promovere ſincera dogmata nitebantur, tantum renitebatur repullulans in barbaris feritas, libido & belluinæ libertatis amor. Placuit nihilominus reddito ipſis Romero extrema omnia experiri. Non ita pridem Gvaicuræorum Dux Societati noſtræ benevolentiſſimus, baptismo ante mortem ſuſcepto diem obierat, defuncto illo, res ad ejus filium devoluta eſt; hujus auſpiciis Romerus ædem ſacram pæne dirutam ſuſcitavit. Tum in omnes ſe artes dederat, ut barbarorum oculos ad lucem Evangelicam contuendam aperiret, mentem obſtinatam flecteret. Neque ſpem præter, quidquam obtinuit, hanc de ſe faciebant pueri, olim parentibus, ut præſeferebant, meliores futuri; ſed & hanc corrumpebant parentes, & infelicem ſobolem rurſum in avita vitia præcipitabant. Provecta ætas in utramque partem nutabat, propendebat tamen magis ad deteſtabile ſuum vivendi ac credendi inſtitutum, ut demum Societas conclamatis rebus (quod ne unus quidem e Gvaicuræis adultis, niſi in articulo mortis dignum ſe baptismo præbuerit) deſerendam omnem gentem putarit. Igitur anno 1626. Nicolao Maſtrillo Durando volente, Romerus ad Urvaicam, ubi Chriſtiana Fides caput extulit, multorum dierum itinere conceſſit.

Tria Rochus Gonſalvius oppida ad Urvaicam fundaverat, quartum molitus ubi Ibicutius fluvius Urvaicæ committitur; huic proſequendo regendoque deſtinatus eſt Romerus. Neque is moras traxit, opinione ce-

 lerius

lerius aderat, atque ingentes animos attulit operi onerique undique pares. Spes erat fore, ut non modo Japejuvienſes, qui novellam coloniam faciebant, verum Jaroſii quoque, & Mbaguæ, & Charuæ, cæterique linguarum varietate differentes, moribus pares populi, hactenus indomiti ſe Societati darent meliori diſciplina imbuendos. Primum id enitebatur, ut ad remota loca legis Chriſtianæ fama dimanaret; famam ſecutus ipſe, ſecundo Urvaica flumine eo delatus eſt, quo nuper ex Boni aeris oppido pervenerat, æquali ferme intercapedine. Nec labori ſive fructus, ſive ſolatium defuit: Etenim plures ethnicos Chriſto peperit, & more ſuo in oppida, pagosque diviſit. In itinere non paucos infantes contagione tum graſſante baptismo donavit. Charuam unum (Jaroſiis ea gens eſt ſimillima) fortuito caſu animam agentem neceſſariis Sacramentis procuravit. Admittente omnia juvene, & amicis ſpectantibus, neque neceſſariorum quiſpiam adhuc digito ſe mutilaverat, ut barbaro more, mortuo parentaret. Unicus genitor vehementi dolore in rabiem actus, neſcio quem veneficum quod veneno in filium graſſatus eſſet, bis pugione transfodit: vulneratum Romerus contra furibundum hominem, contemptis quas intentarat ſagittis, tutatus eſt intrepide, deinde præſtigias & ſuperſtiones abjurantem, feſtine, Sacramento militiæ Chriſtianæ adſtrinxit, alligatisque vulneribus corpori pariter atque animæ medelam fecit. Damnis ſibi illatis irritari viſus eſt malus dæmon; vicinos Japejuvienſibus populos vehementer commoverat, ut igne ferroque in novos Chriſtianos furerent. Et jam conſilia conferebant, cum unus, qui Romeri nuper liberalitatem deguſtaverat, in circulo aſſurrexit, ac pronunciavit: impie ſe facturos, ſi in Sacerdotem advenam, profuſiſſimæ largitatis virum; aut ejus aſſeclas, innocuos homines, ac præterea vitæ innocentiam & ſana conſilia ſecutos, arma corriperent; hac oratione placati conquievere.

Subinde Rochus Gonſalvius noſtris, qui Paranenſes & Urvaicenſes curabant, præfectus eſt, veneratque in ſpem, ut Caaſapaminienſes Urvaicæ populi facile ſe veritati dederent, ſi a ſolerti quopiam Sociorum adjuvaretur. Quamobrem miſſo altero Sacerdote, qui Japejuvienſes moderaretur, Romerum ad ſe evocat, & ambo ineunte anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octavo, Caaſapaminienſium fines ingreſſi, novi oppidi ſub Purificatæ Virginis auſpiciis fundamenta jaciunt, quod communibus operis, conſiliisque, toto ſemeſtri urgebant regebantque: donec Auguſto Menſe Rochus Gonſalvius a barbaris acciretur, qui oppida ſibi deſcribi flagitabant: tum enim Caaſapaminienſes unus Romerus curabat, qui ante finem anni partim Chriſtianorum, partim Candidatorum albo, ter mille inſcripſit, inſtruxitque indefeſſa opera. Mirumque videri poterat, unum hominem a nemine adjutum; & Indis e latebris ſuis quotidie eruendis, & docendis, & ad humanitatem expoliendis, idque per ætatum gradus, ſufficere potuiſſe.

CA-

CAPUT NONUM.

Sacras Sociorum exuvias vindicat, & de vita bis periclitatur.

His rebus intentus, Novembri jam adulto, nuncium accepit de nece Patris Rochi Gonſalvii, & Rodericii, quos Niezuvius apud Caaroenſes, quinto ab Caaſapaminienſibus lapide, Fidei cauſa peremit. Fama præterea ferebat, ſeque Sociosque per Urvaicæ & Paranæ oppida ſparſos, in ſummo capitis diſcrimine verſari. Quare apud Caaſapaminienſes trepidatum turbatumque eſt; qui incaleſcente dolore, & in iram vergente, vindictam ab Romero ſibi permitti poſtulabant. Verum Romerus forocientes monuit, ſi ſe amarent, ne quid per vindictam tumultumve agerent: ſatis in præſentiarum videri, ſi ulteriora parricidarum conſilia explorarent, & Sacra cadavera recuperarent. Quod utrumque Caaſapaminienſes, in Caaroenſium oppidum militari more delati, inſigniter præſtitere. Triduo, poſtquam hæc evenere, Caarupe Patrum trucidator trecentorum hominum cohorte inſtructus, repentinus Caaſapaminienſibus adeſt, Romerum, quem per caſtitatis religioſæ ludibrium, vetulam nuncupabat, de medio, ſi poſſet, ſublaturus, & facile poterat, niſi divinitus ad alios labores ſervaretur; namque municipes pro more gentis ruſticatum iverant, ſolique aderant decem juvenes, qui ſeniculo quodam duce arcubus & ſagittis inſtructi, contra confertos hoſtes progreſſi, adeo fortiter rem geſſere, ut illorum impetum detinuerint, arcuerintque; donec concurrentibus jam ex ruſticatione Caaſapaminienſibus in fugam hoſtes cum aliquot ſuorum clade, nullo e noſtris deſiderato, verterentur. Cui rei magnum momentum attulit Romerus, qui ut gregem ſuum tueretur, contempta morte cum illa juvenum decuria conſcenſo equo prodiens, ita perculit parricidas (terrebat enim equi ſpecies eatenus paucis viſa) ut ultra progredi non auderent. Ringebatur Caarupe, & impotenter ferebat, rabiem ſuam per pauculos juvenes infringi, & a vetula, ut ajebat, ſuas cohortes diſpelli agique ut armenta. Auditaque eſt vox furibundi hominis, clava terram impatienter ferientis: *optare ſe ut Romeri caput ſub ictu eſſet.* Exeunte Decembri Emmanuel Capralis Alpoinus, nobilis Luſitanus, intellecto Romeri & Sociorum periculo, Hiſpanorum manipulum publica authoritate, ſuis ſumptibus contractum, & numeroſas Neophytorum cohortes ad Caaſapaminienſes, ubi Romerus periclitabatur, celerrime deduxit. Nec ea celeritas fruſtra fuit; altero quippe quam venerant die, ſummo mane Caaroenſes parricidæ quingenti, in Caaſapaminienſium agrum deſcenderant, jamque imminebant oppido, cum noſtræ copiæ ex improviſo eductæ, tantum perduellibus terrorem incuſſere, ut poſt primum incurſum, ſecundum impetum non tulerint. Eo in prælio multis fuga dilapſis, aut occi-

occiſis, parricidarum principes in manus venere, de quibus ſumptum ſupplicium eſt.

CAPUT DECIMUM.

Urvaicenſibus, Paranenſibusque Sociis Præfectus, Caaroenſem rem reſtituit, & duorum oppidorum fundamenta ponit; Ibapirio domito alibi bina oppida condit.

Erepto diſcrimini Romero, literæ Franciſci Vasquii Truxillii Provincialis, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono redduntur, quibus Paranenſium Urvaicenſiumque Sociorum, pro Rocho Gonſalvio Præfecturam gerere jubebatur. Igitur pro poteſtate ad ſarcienda damna per Niezuvianos illata ſe convertit. Ad Caaroenſes recenti duorum Sacerdotum nece infames, quanquam retraherent Neophyti, quod certa ſubeſſent pericula; cum Patre Didaco Alfaro iter capeſſit. Quos cum reperiſſet facti pœnitentes; crucem in ſublime erigit, erectamque omnibus adorandam proponit. Spondet ad extremum: ſi præteritam vitæ labem, qua ſe fœde commaculaſſent, commutatis ad virtutis leges moribus eluere vellent; alterum ſe de Societate allaturum, cujus opera inpoſterum uti poſſent. Hæc cum dixiſſet, iter relegit. Quod ubi renunciatum eſt Provinciali, Romero annitente, eodemque comite, Caaroenſibus ipſis flagitantibus; gentem ipſe adiit. Ejus authoritate oppidum priſtinam faciem accepit, eſtque Joſephi Oregii curæ commendatum. Vixdum hæc fiunt, Tabativienſes populi opportunam rei Chriſtianæ promovendæ occaſionem obtulere, oppidum quippe & ipſi affectabant. Ergo impreſſione in pronos jam animos per Romerum facta, eodemque ædili, fundamenta agi cæpta ſunt; nomen ab Divo Xaverio inditum. Idem Aracagvai, Urvaicæ accolæ, ab eodem Romero impetrarunt.

In mediterraneis populis, ad Auſtrum converſis, idem plane in petendis noſtris Sacerdotibus motus ethnicorum erat. Eminebant præ reliquis Caapienſes, *Apicabija:* nec non Caaſapaguacuenſes *Mbocarata* Caſiquiis Authoribus. Cum porro ea res & per Caſiquios, & per internuncios jam ageretur ſtrenue; Ibapirus, homo atrox, Niezuvii præſtigiatoris vindicem, & imitatorem ſe palam profeſſus, interceſſit; qui armata primum familia, ariolandi arte, & loquacitate tantum valuit, ut periculoſiſſimam in Neophytos conſpirationem conflarit; & jam numeroſas cohortes eduxerat. Ergo ad arma conclamatur: Romero comite, Ibitiraquani, Tabativienſes, Piratinienſes, Caaſapaminienſes, Aracaguaii, Caaroenſes Neophyti, Catechumenique, Duce Alfonſo Quanara Caſiquio, copias in hoſtem educunt, repertumque nullo intermiſſo temporis ſpatio perturbant, multisque occiſis ad fugam compellunt, &

fugien-

fügientem inſecuti trans Igaim, redintegrata pugna, penitus profligant. Parta victoria Neophytorum Ducibus viſum eſt, ut de captivis, aliquot ad ſuſpendium damnarentur; ut vicinitati terror incuteretur: contra ſuaſit Romerus: ut cadaver non vivi, verum occiſi hoſtis, ex funeſta arbore penderet; illud enim æque valiturum ad incutiendam hoſtibus formidinem, ac ſi in vivos animadverteretur: ſic militari prudentiæ, & clementiæ Chriſtianæ abunde conſultum iri. Scripſit deinde jocoſe Romerus ad Socios; partam ab noſtris fuiſſe victoriam, & abs ſe quamvis Sacerdos eſſet, rebellium unum funeſtæ arbori adjudicatum, ſuoque ſuffragio ſuſpenſum fuiſſe. Cumque omnes, quibus nota mitiſſimi Viri prudentia erat, anxios redderet; ubi jocoſi ænigmatis ſolutionem acceperunt, riſum non tenuere, & ingenioſi ſtratagematis author, clementiſſimæ crudelitatis laudem meruit. Præterea apud Neophytos victores, ferocitatem præſeferentes de Chriſtiana charitate multa locutus, captivos ſervavit indemnes. Hac cura ſolutus, nondum dimiſſis copiis, ad conſtruendas novas ſedes, quas Mborarata, & Apicabija poſtularant, animum contulit, tantumque induſtria potuit, ut Caaſapaguacuenſe oppidum, Principibus Apoſtolorum dicatum, & Caapienſis colonia, Divo Carolo conſecrata, feliciter ultimam manum acciperet. Sic duo oppida derepente Romeri opera caput erexere. Unde factum, ut dæmon fraude præcipuus, melioribus artibus caperetur, atque inde fieret Chriſtiano imperio acceſſio, unde damna captabat.

Caput Undecimum.

Epiſcopum Paraquarienſem honorifice excipit, & Gvairaniæ transmigrationem juvat.

CUm labor ille omnis ferveret, nunciatur: adventare Epiſcopum; cui obviam factus Romerus, honorifice Præſulem induxit. Societatis labores Præſul magnopere probavit, quod rem Chriſtianam tam belle protuliſſet, & tantis incrementis auxiſſet. Epiſcopo dimiſſo: ad Comitia ipſe Provincialia Cordubam properavit, ſummaque celeritate confectis in eo itinere leucis quadringentis, rediit; oborta nempe Gvairaniæ fœda populatio Virum angebat. In hac provincia Societas ingentem barbarorum vim oppidis incluſerat, & Chriſtianis juxta ac civilibus moribus formaverat. Qua re irritati Mamaluci latrones: pleraque oppida, nunc armis, alias metu armorum vaſtaverant, ac demum triennio ferrum & flammas circumferentes penitus exſtinxerant. Cum idem timeretur reſiduis oppidis, e re viſum eſt, tantæ calamitatis reliquias alio transferre. Rato jam migrandi conſilio, Romerus ex Paranæ oppidis ſibi obnoxiis, eum quem potuit, cymbarum numerum collegit, commeatu inſtruxit, adverſo Parana promovit, illic-

que advenas expoſuit; ubi horrificum fluminis præcipitium Gvairanica navigia ultra progredi prohibet. Transvectos omni adjuvit ope, nova oppida advenis poſuit, ſemina terræ mandavit, multa boum millia coemit; demum populum in novas ſedes partitus, ſtabilitisque hunc in modum rebus, ad Tapenſem provinciam curas, animumque convertit.

Caput Duodecimum.

In Tapenſi provincia nova oppida molitur, & rem Catholicam provehit.

DIrepta Gvairania, invitabat Tapenſis provincia, quæ inter Urvaicam, & mare Athlanticum media jacet, atque hactenus intacta. Patres porro omnes, qui tot oppidorum Gvairaniæ cladi ſuperfuerant, Majorum juſſu ſe Romero conjunxerant, ſuam is cuique ſtationem deſignavit, & mirum dictu! vaſtiſſima regio paucorum annorum intervallo, totidem fere oppidis eſt frequentata, quot Mamaluci per Gvairaniam everterant. Chriſtophorus Mendoza Sancti Michaelis oppido præfectus; octingentas familias exiguo tempore: Ludovicus Ernotus mille & ducentas in ſuo S. Thomæ oppido aggregavit. Oppidum Sancto Joſepho ſacrum, Joſephi Cataldini provinciæ Gvairaniæ Fundatoris opera, quadringentas familias numeravit. Non longe inde Paulus Bennavidius coloniam Natæ Virginis octingentis & amplius familiis locupletavit. Nec diſpari fortuna ſurrexere oppida: Sanctæ Annæ, S. Joachimi, Beatæ Thereſiæ, item altera tria: JESU MARIÆ, Divi Chriſtophori, Divorum Coſmæ & Damiani, Romero plurimum promovente. Memoriæ proditum eſt: annis ſingulis dum oppida tot conficerent, duodecim aut tredecim millia ſacro fonti admota fuiſſe.

Sive dæmonum invidentia, ſive demum ſolito felicitatis humanæ temperamento accidit, rapidus tamen ſecundarum rerum curſus, intempeſtivis Prætoris Paraquariæ, & Epiſcopi poſtulationibus ſtitit. Hinc Romerus falce in meſſe relicta, ad Aſſumptionis urbem profectus, utrumque, ne grave aliquid contra Paraquarienſes Neophytos decernerent, authoritate ac prudentia compoſuit, eoque rem adduxit, ut ipſe Epiſcopus redintegrata amicitia, veſtigia Patris ſequens, iterum Paranæ oppida inviſerit, Sacramentoque confirmarit. Redux Romerus omnes ingenii vires eo impendit, ut præverteret Mamalucorum conſilia, Paranenſibus infeſta arma ex longinquo oſtentantium. Cumque propinquare nunciabantur; periculoſiſſimas ipſe ſtationes pro munere ſuo inſedit, atque ita rem geſſit, ut ſummam prudentiæ & dexteritatis laudem auferret, inde vero præcipuam; quod eos, qui Iguaſuanum & Aracajenſe oppida incolebant, tempeſtive ad tutiora loca tranſtulerit. Mox Franciſco Vasquio Truxillio Provinciali, tum Didaco Boroæ, nova Urvaicæ, Paranæ, & Ta-

Tapenſis provinciæ oppida inſpicentibus comes fuit. Qui cum ad Romeri labores, oculos converterent; tum enim vero patuit fuiſſe fertiles ac fructuum abundantiſſimos; nam vetera novaque oppida, ejus inſtitutione humanitatem, Religionem, mores bene cultarum gentium referebant. Hos felices progreſſus interrupit quorundam avaritia. Ad eam reprimendam Romerus cum gravioribus Patribus rurſum Aſſumptionis urbem adiit, ac coram Proceribus ſancte teſtatus eſt adverſus Societatis æmulos; ſola cruce, non vero armis Paranenſes Indos fuiſſe domitos, ac proinde uni Regi Catholico, non privatorum cupiditatibus vectigales eſſe oportere. Re confecta, redux literas accipit, quibus Mutius Vitelleſchus Generalis juſſerat, ut Magiſtratum ſex annis, totidemque menſibus geſtum, Antonio Ruiſio traderet. Tradidit vero quindecim oppidis per provinciam Urvaicenſem & Tapenſem, dum præeſſet, auctis.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

In JESU MARIANO, oppido Ariolos exagitat & ab Mamalucis obſidetur.

POſteaquam officio Romerus deceſſerat, JESU MARIANUM oppidum regendum ſuſcipit. Id oppidum omnium numeroſiſſimum, mille & quingentos ſagittarios præter imbellem multitudinem numerabat. Et quia in finibus Tapenſis provinciæ ſitum erat, hoſtium invaſionibus, & ariolorum injuriis patebat. Dolebat his, quod res Chriſtiana incrementa in dies caperet, jamque dominaretur; ſua contra deliria quod nullo pretio eſſent, ac riderentur. Quapropter concitata plebe, malis artibus eo pleroſque Neophytorum adduxerant, ut ad antiquos Antropophagorum mores redire, quam Patrum conſiliis aquieſcere mallent. Quæ hominum monſtra jam antea exagitarat Franciſcus Diaſtanius huic oppido præpoſitus, tandem vero Romerus, induſtria penitus oppreſſit. Debellatis ariolis, cum Mamalucis agendum fuit: Id genus hominum Gvairaniam deſtruxerant, & jam nunciabantur Tapenſis provinciæ ruinam meditari: quos ut anteverteret Romerus, ex Prætoris Regii, & Didaci Boroæ Præſidis provinciæ conſulto, propere excitata in JESU MARIANO oppido munitione, Neophytos ad arma & defenſionem animat, ad quam dum ſe comparant, anno 1635, ipſo Divi Xaverii recurrente die, Mamaluci cum mille & quingentis Tapicis, & contracta per vim ex Tebiquari ripis numeroſa ethnicorum manu; JESU MARIANUM oppidum repente obſident. Irrumpentibus ſemet objecere quadringenti Indi, cæteris pro more gentis ad ruſticationem venationemque dilapſis. In prima oppugnatione: P. Petrus Mola, Joannes Cardenas, & Antonius Bernal Romeri Socii vulnerati ſunt. Romerus ipſe omnium telis impetitus, ubique aderat, op-

preſſos erexit, ſaucios ſolabatur, expeditis animos addidit, hoſtium inſultibus occurrit; donec hoſtes numero & armis ſuperiores, injecto in Templum (ubi imbellis multitudo ſe abdidit) igne; loco & Indis potirentur. In ea orbitate ad omnem ſe partem Romerus verſabat, ſi alicunde ſpes aliqua affulgeret, qua prece, qua pretio captivos aliquot redimendi; at fruſtra fuit. Igitur acerbo animi dolore, præda in manibus hoſtium relicta, ad tutandas alias ſtationes, cum Sociis vulneratis receſſit.

Caput Decimumquartum.

Pro tuenda Tapenſi provincia, & in tutum recipiendis Neophytis multa agit patiturque.

Quinque circiter millibus paſſuum, ab everſo JESU MARIANO oppido aberat Neophytorum noſtrorum municipium, a Sancto Chriſtophoro nuncupatum, quo cum perveniſſet Romerus, collato cum Patre Auguſtino Contreras conſilio & opera, omnes loci incolas ad S. Annæ oppidum deduxit. Vix dum in tuto erant, Mamaluci deſertam coloniam invadunt, quam cum vacuam inveniſſent, in furorem acti, circum omnia explorant, villas populantur, e latebris protractos Indos abigunt. Romerus contra mille & ſexcentos Neophytos partim de JESU MARIANIS, partim ex aliis oppidis collectos, recta ad Chriſtophori oppidum ducit. Credi poſſet ex compoſito rem omnem actam, namque Mamaluci pariter eo feſtinarunt cum bis mille auxiliariis Indorum copiis, Conſerto ſine mora certamine, Mamaluci latrocinandi uſu, & armorum genere feroces, noſtris ſuperiores fuere. Quæ ex infelici prælio ſupererant reliquiæ, ad Sanctæ Annæ oppidum rediere. Porro apud Caaſapaguacuenſes, ſparſis per Mamalucos in Patrum invidiam mendaciis, plerique Neophytorum nutabant, quod putarent ſe a noſtri Ordinis hominibus idcirco quæri, in colonias cogi, oppidorum ſeptis, velut mænibus coerceri, ut tacita præſtinatione, cum luberet, Mamalucis traderentur. Ad hos Majorum juſſu Romero proficiſcendum fuit, qui Societatis fama purgata, in Mamalucos retorſit invidiam; eadem mox de cauſa, ad Caapienſes Caaroenſeſque delatus, reperit peſſimum rumorem ad hos quoque dimanaſſe. Ergo vetera & recentia Societatis in gentem univerſam, & ſua in ſingulos beneficia commemorat; nondum coaluiſſe vulnera, quæ Patres a Mamalucis accepiſſent, patere etiamnum luculentas plagas ultimo prælio acceptas; quis credat uſpiam tanto amicitias emi ſolere? facile bona cauſa vicit. Subinde Sanctæ Thereſiæ oppido tantiſper præficitur, dum Franciſcus Ximenius ad Comitia Provincialia abeat redeatque. Solutis illis, novæ Mamalucorum irruptiones nunciatæ ſunt, quibuscum variis in locis, varia fortuna præliatum eſt pro Tapenſi & Urvaicenſi provincia; donec viſum eſt Patribus,

Neo-

Neophytos omnes intra Urvaicam & Paranam transferre; ne, quod armis inexercitati eſſent, rurſum hoſtium furori exponerentur. Capto migrationis perarduo conſilio, rei gerendæ moles Romero impoſita eſt. Igitur ſeptingentas Araricanorum familias e latebris in apricum evocatas in viam dat, deinde Joſepho Cataldino comes additur, ut Sancti Joſephi incolas, qui capti patrio ſolo, ipſum migrationis nomen averſabantur, educeret. In hac expeditione difficillima, per ſolitudinem leucarum octoginta, quid Romerus ipſe, quid item cæteri Socii pertulerint, in hujus provinciæ Hiſtoria generali copioſe narravi. Nondum omnes commigraverant, cum Mamaluci ſuperioris prædæ dulcedine ineſcati, rurſum circumvolitarunt, quibus reprimendis dum Didacus Alfarus Sociorum omnium Præfectus ſtrenuam operam navat; glande plumbea trajectus occubuit. Poſt Alfari mortem Sociorum cura rurſum ad Romerum devoluta eſt, dum Mutius Vitelleſchus, in Patrem Claudium Ruierium Burgundum transferret.

Caput Decimumquintum.

Neophytos contra Caracaras, & Calchaquinos rebelles comitatur.

Sub finem anni 1638. Romerus cum delecta Neophytorum manu in ſubſidium Hiſpanorum, ad Caracaras, Capeſacos, Mepenes ferociſſimos mortalium implicatiſſimo lacu ſe tutantes, reprimendos miſſus eſt. Difficilis ad eas gentes aditus fuit; quippe palus unico oſtio, ericetis & uligine obſtructo, prope erat impenetrabilis. Perrupere tamen incitati per Romerum Neophyti, & reluctantes hoſtes vi ad deditionem compulerunt. Dimiſſis copiis, Romerus ducentarum leucarum itinere ad portum Boni aeris contendit, de iis, quæ ea expeditione geſta ſunt, relaturus. Expugnata Caracarum palus Neophytorum fortitudine, ſpem fecit Calchaquinos Hiſpanis infenſiſſimos iisdem armis vinci poſſe. Itaque Prætor per confines ſibi terras, quem demum poterat Hiſpanorum & Indorum numerum contraxit, ſexcentos præterea ex novis Neophytorum noſtrorum oppidis armatos ſubſidio ſibi mitti flagitavit. Hos Romerus difficili ac longo itinere, multa ardua perpeſſus, ipſe adduxit. Pugna non admodum lætum exitum habuit, trecenti tamen rebellium in manus venere, neque Romero ſua aliqua præda defuit: orabat ipſe pro more nocte concubia ſub dio in genua provolutus, quem, cum ipſa eadem hora tribus noctibus id factitantem miles Hiſpanus conſpicatus eſſet, qui animam triginta annis Sacramento nullo expiaverat, ſenſit ſe moveri ad meliorem frugem, quare noctis opportunitate uſus, immenſo cum dolore, præteritæ vitæ ſcelera confeſſione eluit. Finito bello militeque diſperſo, Romerus ad portum Boni aeris revertitur, nam Franciſcus Diaſtanius, cum triginta Sociorum cohorte,

recens ex Europa advenerat, a quo cum didiciſſet Mamalucorum conſilia & belli apparatum; iter ſuum relegere juſſus eſt, & quæ a Prætore Regio ſubſidia pro Neophytis accepit, in nova oppida invexit.

Caput Decimumsextum.

Oppido Lauretano, & Corporis Chriſti, ac deinde Aſſumptionis Collegio præeſt; Itatinenſi provinciæ præfectus, ultra Paraquariam legem Chriſti promulgat.

REdditus ſuis Romerus, eam domi faciem rerum reperit, ut Mamaluci in propinquo eſſent, & undique ad arma conclamaretur. Bello ad Mbororeum oppidum proſpere geſto, aliquantulum ut conquieſceret, Lauretanum Neophytorum oppidum moderandum accipit. Anno ſubinde 1641. Corporis Chriſti coloniæ, quam ipſe fundaverat, a Patre Provinciali Franciſco Lupercio præeſſe juſſus eſt. Illic filios ſuos chariſſimos, quos olim & inſtitutione & baptiſmo Chriſto genuerat, tenerrime complexus, magnam animo lætitiam cepit, præcipue quod videret eam gentem, quæ mutuas cædes olim ſpirabat, ac omni libidine difflueret, nunc honeſtum piumque vitæ genus ſecutam, nihil ab veteribus Chriſtianis differre. Triennio in ea ſtatione poſito, literæ Provincialis ei redduntur, quibus jubetur Aſſumptionis Collegium pro tempore regere. Illic animadvertit Prætorem Regium inter & Epiſcopum graves ſimultates mutuis offenſis obortas interceſſiſſe; dum illi jurgantur, neſcio qui factum, ut multa probra Romero eſſent reſorbenda. Neque diu poſt urbanis fluctibus ſubductus, alio transfertur.

Itatinenſis provincia meditullium eſt Americæ Auſtralis, hinc Peruviam, inde Paraquariam ſpectat, utramque centum leucarum intervallo: ex cœli poſitione, immodicis caloribus æſtuat. In ea regione Sociorum conatibus aliquot barbarorum millia contracta ſunt, & oppidis impoſita, ſpes promittebat plura, ſi trans Paraquarium iretur. Arduum tamen opus erat, propterea; quod eæ terræ, & ariolorum, & apoſtatarum faece paſſim redundarent. Franciſcus Lupercius Provincialis Romerum potiſſimum elegit, quem rerum uſus, invicta patientia & magnanimitas commendabant; explorato Viri animo, patebat idipſum maxime velle, novosque labores ambire; itaque expeditioni præfectus eſt. Anno igitur 1644. ad finem vergente, iter adorſus; ſuperatis fœdiſſimis paludibus, & ericetis, ad decimum quintum diem provinciam ſuam tenuit. Qua inſpecta, aſſumptis in ſocietatem laborum, Patre Juſto Vanſurkio, qui diu Itatinenſibus rebus præerat, & Matthæo Fernandeſio Societatis Candidato, ac Neophytorum fideliſſimis; anno 1645. ſe itineri committit, transmiſſoque, (per Pajaguarum, ferociſſimorum hominum, fines)

fines) Paraquario; duodeviceſimo profectionis die, primos ethnicorum pagos ingreſſus eſt. Reperit bona Societatis fama præoccupatos, ab Religione Chriſtiana ne minimum quidem abhorrere, conſtitueratque idcirco apud animum ultra progredi, ut diſpiceret, ſi quid præterea circum paratæ æque meſſis eſſet; at vero ne id committeret, & Socii commonebant, & incolæ dictitabant, anceps fore ejus fortunæ periculum. Ergo ſpe dilata, apud Curupajum magni nominis Caſiquium ſedem fixit. Quo cum propinqua omnia, velut ſigno dato confluxiſſent; placuit futuri oppidi aream deſcribere. Mox aſſurrexit ædicula Sanctæ Barbaræ in tutelam novæ provinciæ, inſignia Religionis Chriſtianæ ſolenniori ritu erecta, myſteria Religionis barbaris propoſita ſunt. Qui cum oſtenderent ſuperſtitione abjecta, Patribus inſtruendos ſe dare velle, e re futurum Romerus putavit, ut ſubſidia flagitaret a Majoribus, antequam primi barbarorum calores intepeſcerent. Igitur Neophytos omnes, præter ſex, cum Juſto Vanſurkio ad Aſſumptionis Rectorem; (cui Itatinenſis provincia ſubeſt) ablegat, ut poteſtatem, cæteraque fundandis oppidis perneceſſaria tanquam ex propinquo impetret, maturetque rem omnem. Ipſe interim dum auxilia præſtolatur, cauſam tanquam Superis propriam DEO majorem in modum commendabat, orabatque ut ne ſineret tantas ſpes ſtygiis artibus everti. Barbaros blandis alloquiis tenebat, munuſculis conciliabat, dignitatem atque emolumenta Chriſtianæ Fidei collaudabat, ut & ipſi totos animos adjicerent, & ſemotos etiam in veſtigia ſua traherent.

Caput Decimumseptimum.

Barbari mortem Romeri machinantur, & cum Matthæo Fernandio, Gonſalvio Neophyto a barbaris trucidatur.

Forte ſub id tempus Martio, an Aprili menſe, rei novitas, longinquis de locis, excivit Guiraquerajum ethnicum. Hunc Romerus de myſteriis noſtris edoctum, liberaliter donarat, pluribusque rogarat, ut Chriſti partibus, populares ſuos conciliaret. Promiſit barbarus omnia, aſſimulata nempe fide; atque ab Romero diſcedens, vultum ac orationem tanta arte ad ſinceritatem compoſuit, ut protinus ſuos ad novum oppidum vel invitos trahere velle videretur. Hac ſcena peracta: domum ſe proripit, populares ſuos in Chriſtianæ legis præconem omni furore complet. Primus in turba aſſurrexit Mboroſenius, Mamalucorum quondam captivus, concubinatu & ariolandi arte infamis, faſtu tanto ut nunc Divinitatem affectaret, alias Sacerdotum noſtrorum actiones imitando parem poteſtatem ſibi arrogaret, ac eminere velle undique videretur. Is amicis convocatis multa & indigna in Religionem Chriſtianam declamavit. Mboroſenium excepit Gvira-

que-

queraius, qui atram irarum bilem, & impium venenum in Societatem primum, tum in legum Chriſtianarum ſeveritatem evomuit. His commoti univerſi conſpirant, Romerum e medio tollendum. Tucambius, de conjuratis unus, dux tanti facinoris renunciatus, Guiraquerajum ſibi adjungit, quadraginta ſicarios armat, ac per cauſam, ut ſi ſe ſuosque Sacerdoti advenæ Chriſtiana diſciplina informandos offerret, iter capeſſit.

Romerus contra, alia animo conſilia volvens, ſumma cura excolebat Chriſtianæ legis Candidatos, quodque ab ea re otii erat, divinis precibus dabat. Hæc agenti res mira accidit. Nam Sacerdotale penſum perſolvere volenti, viſum eſt, Breviarium ſanguine madere, cui ſpectaculo cum paululum inhæſiſſet, ad Neophytos converſus: *quid hoc rei eſt?* inquit, *forte Superi de cruenta morte nos hoc prodigio admonent?* cui Gonſalvius de Neophytis comitibus unus: *de reliquis Superi viderint, mihi certum eſt, ſi res ferat, pro Chriſto vitam animamque ponere.* Interea a Tucambio nuncii ad Romerum veniunt, referunt Tucambium non procul oppido abeſſe, altero die affuturum, ut ſe diſciplinæ Patris penitus tradat. Erant, qui tum Romerum de necis periculo etiam atque etiam commonefacerent; verum is, periculo erectior, optare etiam viſus eſt, ut barbaro telo victima caderet. Altero rurſum mane, neſcio quæ anus, anhelo curſu ad Patrem fertur, ac renunciat: adventare barbaros ſicariorum more pictis ad formidinem corporibus, ſibi conſuleret, ſeu fuga, ſive latebris periculum præverteret; cui Romerus: *id in votis ſe habere, ut pro Fide mortem oppetat.* Igitur, tametſi plerisque ad ruſticationem dilapſis, pene in vacuo oppido verſaretur, adduci non potuit, ut pedem ad tutiora referret. Quin Gonſalvium Neophytum arma ad reprimendam vim parantem repreſſit. Mox Chriſti exemplo, proditori Guiraquerajo occurrit, obteſtans: meminiſſet ipſe, tum cæteri, animas ſe circumferre immortales, has ſi olim felices vellent, nunc DEUM vocantem, monentem audirent, ſe idcirco ex Europa immenſo terrarum tractu veniſſe, ut opem ferat, opportunitate uterentur, expedirent ſe tandem dæmonis ſervitute. Demum large donatos corpora curare jubet, dum interim ipſe ad aras operaretur. Aras jam ad ipſas cum eſſet, Tucambius deſtinatæ necis ſecuritatem adeſſe ratus, ferali voce tortori ſignum dat, qui immanem clavam rotans, Heroem noſtrum, JESUM pie inclamantem nihilque reluctantem, tribus ictibus, obtrito capite, ferociter proſternit. Indignatus parricidium neſcio quis loci municeps Romeri auditor, *quo*, inquit, *te fert furor impie, ut manus ſanguine imbuas advenæ, nulli hactenus noxii, omnium ſalutem cupientis?* cui ſicarii: *teque tuosque, ni conticeſcas, ob admiſſum ſacrificulum jugulabimus.* Demum Gonſalvius ille Neophytus, qui nuper mori pro Chriſto optarat, & pia hæc vota mane primo ipſa hac die innovarat; ad vim prohibendam accurrens, ſagitta transfixus interiit. Quo occiſo, cuneatim Matthæum Fernandium invadunt,

dunt, ac confodiunt. Societati is donatus fuit, Religionem noſtram ambierat, ſpes homini facta eſt, ut ſi mortis periculum immineret, ejus votis fieret ſatis: in hanc ille ſpem pluribus annis Ordinis noſtri hominibus adhærens, ita mores ad omnem modeſtiam componebat, ac ſi unus e nobis eſſet. Quare jure ſuo uſus, & Religionis & heroicæ virtutis præmium morte conſecutus; Societatem noſtram ſanguine fuſo illuſtravit. Interea Romerum palpitantem, ac cruore diffluentem, miſerata anus quæpiam, qua immania vulnera hiabant, tepidam aquam admovit, fovit, ut vitam revocaret. At ſicarii pio operi intervenerunt, retruſa muliere velut tygrides in cadaver involant, diſſecto ventre viſcera rimantur, linguam ab radice evellunt, ſummos digitos truncant, guttur reſcindunt. Nempe dæmon per ſuos miniſtros in viſcera illa miſericordiæ, manum illam tot oppidorum fundatione claram, tot millium barbarorum baptiſmis laſſatam, guttur & linguam divulgati Evangelii inſtrumenta, inprimis ſævire voluit. Parricidio additum ſacrilegium: direpta ſacra profanaque ſupellex, parricidis in prædam ceſſit. Qui antequam dilaberentur, præciſcs Romeri digitos, in ventris hiatum, ex quadam ſuperſtitione immiſere, autumantes, id valiturum ad vindictam prohibendam. Properabant Hiſpani milites ab Prætore Paraquarienſi miſſi, ut ſceleratos ad pœnam depoſcerent, ſed enim adventitiis aquis intercluſi ſunt, quo minus tempori adeſſent. Quinque Romeri comites, per eum tumultum fuga elapſi, incolumes ad ſuos rediere, ſi unum excipias, qui vulnus ab hoſte abſtulit. Atque hi ipſi primi fuere, ex quibus ſeriem peracti parricidii didicimus. Neque vero Guiraquerajus proditor diſſimulavit, ſacræ doctrinæ odio, & avitæ ſuperſtitionis retinendæ ſtudio, ſe ſuosque & inprimis Mboroſenium iſthæc molitum. Quam rem omnem ſic ſe habere, ſex e noſtris Sacerdotibus ex Itatinenſi Miſſione, teſtium fidem ſecuti, ſcripto dictoque, jurati affirmaverunt.

Caput Decimumoctavum.

Geſta poſt Romeri mortem, & ejusdem virtutes commemorantur.

Præceps fuga ſceleratos abſtulit, loci incolæ e ruſticatione domum reduces cognito multiplici ſcelere, vehementer indoluere, lapſo tempore, cadavera ſingillatim ſuis arculis incluſa, ad Itatinenſes Patres retulere. Qui audita Romeri nece, cum ſuis Neophytis, mixto doloris lætitiæque ſenſu ære campano, lugubribus hymnis parentarunt. Idem præſtitum ab Paraquarienſibus Sociis, civibus, Templis omnibus. Tucumanenſes præterea clariſſimum Heroem debitis encomiis proſecuti ſunt. Atque ſic Petrus Romerus Societatis Jesu Sacerdos tria Vota profeſſus, anno ætatis ſexageſimo primo: Religionis trigeſimo octavo, Indicorum laborum trigeſimo, DEI cauſa

occiſus, ad mortis & vitæ præmium anno 1645. ſub verni Jejunii tempora (dies ignoratur) evolavit. Vir in cauſa DEI pie temerarius, inediæ, frigoris, ærumnarum, itinerum ad miraculum patiens; inſatiabili animarum deſiderio flagrans; Apoſtolicarum virtutum exemplar. Paucas ex multis viſum eſt mihi ad imitationem poſterorum apponere.

Romerus ſingularem illam mentis colluſtratæ lucem & pias animi flammas, ab orandi ſtudio repetivit. Intempeſta quotidie nocte excuſſo ſomno tres quatuorve horas ante Euchariſtiæ aram in divinis colloquiis ponebat. His ſucceſſit ſacrificium, quo peracto alteram horam in gratiis reddendis extraxit. Ad diururnum hoc orandi penſum ut ſe quotidie revocaret, nulla laſſitudo, non itinera, non labores ulli, obturbare poterant. Ab his colloquiis cum recederet, ſæpe nolens in verba eruperat, quæ animum in ſalutem barbarorum intentum prodebant. Ut adeo Romero, aſpirante Numine identidem recurreret illud: *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Corporis afflictatio fuit in Viro ſingularis per triginta & amplius annos, in reticulo penſili, ſine linteaminibus, ſine culcitra, brevem quietem cepit, vini uſu perpetuo ſibi interdixit. Præter aquam panemque, cætera obſonia ſæpe non admiſit. Singulis noctibus ſevere ſe verberavit. Perſæpe latera nuda, lamellis ſibi injunctis ac catenatis, quas aculei ferrei, & murices aſperabant, conſtrinxit. His artibus virginitatem, quam precibus frequenter a DEO flagitavit, tota vita illibatam conſervavit. Addebat oculorum modeſtiam, membrorum compoſitionem, morum gravitatem; quibus munimentis, vim atque inſidias dæmonis eluſit. Mulier effrons pudicitiam Viri periclitari auſa, repulſam cum dedecore tulit; qua victoria irritatus dæmon rurſum attentavit Romeri conſtantiam, rurſum reperit telis venereis impenetrabilem: obedientiam clariſſimi Viri quis meritis laudibus exæquet? nunquam ille Majorum imperia argumentis contra allatis enarvare aggreſſus eſt; neque rerum juſſarum rationes aut momenta curioſe veſtigavit. Admirationem movit Sociis, quod Gvaicuræorum linguæ perdiſcendæ improbam operam daret, cujus gentis convertendæ eatenus nulla ſpes erat. Subolu erat id Romero; per literas reſpondit: *quanquam certo ſciret, ſua opera Gvaicuræorum neminem converſum iri, tamen perlibenter reliquam vitam impenſurum in id ſtudium, atque interea id reputaturum cum animo ſuo, quod DEUS a nobis exigat obedientiam ac conatum, non rerum eventus.* Obedientiæ radix animi demiſſio eſt; hac ita enituit: ut quanquam latere illam maxime vellet, in omni vitæ parte velut proſpectaret. Neque vero in facilibus modo ea exercitatione utebatur, verum etiam in maxime arduis & irreparabili famæ labe. Studiis Theologicis Cordubæ Tucumanorum cum ingenii laude inſtiterat; laborabatur per provinciam operarum penuria, huic ut quamprimum mederetur, ſtudiorum curſum abrumpi ſibi flagitavit, atque ſpem ipſam ſupremi gradus obtinendi ſciens ac volens abdicavit. Quam porro laudum ſuarum oſor con-

contemptorque fuit, tam patiens convitiorum & injuriarum. Prætorem Paraquarienſem iras infeſto animo undique cientem tacendo repreſſit. Boni aeris Præfectum ob Indorum defenſionem verbis & baculo minacem, eadem immobilitate lenivit. Alapam proterve impactam tanta conſtantia tulit, ut rupem verberari diceres, niſi alteram maxillam præbuiſſet. De charitate erga proximum hæc accepi: Majorum bona venia, voto ſe adſtrinxit, inter Indos omnem vitam poſiturum, ac mancipii loco futurum, ut barbaros a ſervitute idolorum vindicet. Nec inter verba vota ſua conſumpſit, melius amavit factis, quam verbis. Ut ſervulus emptitius famulabatur ſingulis, nihilque tam vile, tam probroſum aut genio adverſum erat, quod non cupidiſſime arriperet, ſi ad animarum rationes pertineret. Quoties Romerus pro barbarorum ſalute naufragium fecerit, inde diſce; quod in proverbium ierit: *Romerus naufragans.* Quoties ab equis non bene domitis excuſſus, quoties ardentiſſimos ſoles cum vitæ periculo tulerit, quoties immenſas ſine ſpe paludes, & ineluctabile arundinetum pertentarit, quoties a barbaris, tygribus, viperis, vitæ diſcrimen adierit, dicere ſuperſedeo, ſane temerarius videri poterat, niſi temeritatis opinionem egregia in DEUM fiducia correxiſſet. Cum de eo periculis ſubducendo cogitarent alii, ipſe e diverſo, ut id ne fieret, occultis cuniculis enitebatur, quam in rem luculentos reperio literarum, quas ad Provinciales dederat, epilogos. Unicum adjicio: „*Scias velim*
„ *mi Pater! nullis diſcriminibus me terreri, lubenterque libertate amiſſa,*
„ *captivum inter Gvaicuræos barbaros, vitam me victurum, ut barbaros*
„ *lucrifaciam, nam ſi JESUS meus pro ipſis mortuus eſt, quid ego humilis*
„ *homuncio formidare debeo.* „ Inflammatum ardore vehementi pectus, colloquia, & ignea vis concionum patefecit, ſæpe in lacrymas reſoluta. Sub verni Jejunii dies ultimos, ad confertam multitudinem, de Chriſto ſpinis coronato verba faciens, inſolito ardore correptus, horrentem ſentibus coronam manu correptam, ita repente capiti ſuo impreſſit, ut ſe largiter cruentaret, inſolito animorum motu conſecuto. Has vero virtutes a me curſim delibatas, egregia in DEUM charitate imbuit omnes, quam fuſo tandem ſanguine extremum teſtatus eſt.

MATTHÆUS FERDINANDIUS
PARAQUARIENSIS.

IN Paraquaria natus, Societati JESU ab pluribus retro annis ſe donavit, & in humili Marthæ ſorte ita ſe probavit, ut meruerit a Provinciali Paraquariæ, coadjutoris temporalis gradum, pro articulo mortis. Quem ob conſtantiam in adjuvandis Patribus, qui facem Evangelicam in ethnicorum vaſtis, disjectisque regionibus longe lateque circumtulerunt, jure adeptus eſt, cum corona cruentæ & glorioſæ mortis, in comitatu, ut dixi, Petri Romeri.

DIDACUS RANCONIERIUS
FLANDRO-BELGA.

CAPUT PRIMUM.

Ejus Patria, Religionis initia, navigatio, ſtudia, & primæ inter Indos exercitationes.

DIdacus Ranconierius anno ſeculari, in Flandrobelgica, nobili Centurione, Burgundo Patre natus eſt. Poſtquam Trajecti ad Moſam, adoleſcentiam honeſtis artibus expolitam pie tranſegiſſet, Mechliniæ Societatem JESU anno ætatis decimo nono iniit, tanta genitoris indignatione, ut deinceps ab aſpectu filii abſtinere ſtatuerit. Poſito Tyrocinio, Philoſophos audivit Lovanii, tum literas humaniores annis aliquot docuit. De-

mum anno 1628. cum Gaſpare Sobrino in Indiam vela fecit. Per maritima otia, quanquam Hiſpanice nondum probe ſciret, ſingulis prope diebus, de doctrina Chriſtiana ad nauticam turbam verba fecit, tanta comprobatione, ut in majori pretio haberent ruditer dicentis vixdum cohærentia verba, quam cultam apud alios ſermonis copiam, & modulos elegantes. Cordubæ Tucumanorum cum Theologiæ ſtuderet, quadriennalis curriculi impatiens, ſummis precibus ab Majoribus petiit, ut abrupto ſtudiorum ſpatio, quamprimum ſe ad ultimos barbaros ablegarent, quod ut conſequeretur, ad controverſas totius Theologiæ ſententias in utramque partem (problematice) defendendas, ante præfinita tempora ſe obtulit, præſtititque mira commendatione ingenii.

In Gvairaniam; quadringentarum leucarum itinere, abire juſſus, obvia Hiſpanorum oppida, pagosque Indorum, divinis plane ſermonibus ad virtutum amorem incitavit. Neophytos Gvairaniæ, Catechumenosque, quorum linguam belle didicerat, ſedula cura adjuvit. Gvalachos, vagabundos homines trimeſtri integro, nullo commeatu inſtructus, ſub dio & humi cubans, inter quotidiana mortis pericula, per paludoſa & ſilveſtria loca, nudis pedibus ſecutus; nihil prætermiſit, quod profuturum exiſtimavit ad perverſam gentem, Chriſto adjungendam, donec laborum magnitudine, & nimia in rebus contentione valetudinem profligaſſet. Ea curata in prædones quosdam expeditionem ſuſcepit, qui Indorum libertati ita inſidiabantur, ut in anxio ſemper metu eſſent. In demigratione Gvairanica multa cum Sociis perpeſſus, grande ſpecimen multarum virtutum dedit. Prolapſis Gvairaniæ rebus, Xereſianæ urbis Primores poſtularunt, ut iis noſtrorum Sacerdotum copia fieret, quibus multorum annorum intervallo caruiſſent, quique civibus Hiſpanis ſacra miniſtrarent, & confines circum ethnicos ad capeſſendam Fidem pellicerent. Auditi ſunt Xereſiani, delectus Ranconierius, qui cum jam itineri accinctus eſſet, in mandatis acceperat: ut explorata regione, de omnibus rite referret. Difficili longoque aliquot hebdomadarum itinere provinciam ſuam tenuit, & quæ DEI bonitas eſt, reperit materiam Apoſtolicis deſideriis maxime congruam.

CAPUT SECUNDUM.

Itatinenſem provinciam Sociorum primus explorat; trium oppidorum fundationi inſiſtit.

ITatinenſis Provincia, torridæ zonæ & temperatæ extrema complectens, inter Paraquarium & Paranam, primæ magnitudinis fluvios exporrigitur. Qua parte Auſtrum reſpicit; Indorum pagis ultra Aſſumptionis urbem poſitis terminatur. A ſeptentrione Buteteo flumine. In provinciæ finibus Xereſium viſi-

tur, Hiſpanorum urbecula, ad quam Ranconierius delatus, poſt curatas Hiſpanorum conſcientias, ad diſcendam Indorum regionem proficiſcitur. Ingreſſo eorum terras, occurrere indigenæ magno numero. Plerique ſuſpicionem magis, quam benevolentiæ indicia vultu præſeferebant. Cauſæ erant, quod (incertum quis) Luſitanus Sacerdos Religionis ſpecie Itatinenſium plurimos ad oppidum contraxerat, ac ut eorum ſervitiis abuteretur, transferre parabat, feceratque, ni compoſitam fraudem barbari parricidio antevertiſſent. Idem ne nunc Ranconierus moliretur, verebantur. Auxit metum Europæi hominis incogitantia, qui jocone, an ſerio? auditus eſt ab Itatinenſibus dicere: qui Ranconierium ſequerentur, Hiſpanis deinceps ſervituros. Quæ vox per omnem regionem didita, barbarorum voluntates ab Apoſtolico Viro alienavit. Auxit hæc omnia in pejus ariolorum perfidia, qui in vulgus ſparſerant, advenam eo veniſſe, ut Templa ſuſcitet, multitudinem cogat, coactam, congregatamque ſubjectis facibus concremet. His commoti, de jugulando Ranconierio tacite conſilia agitabant non pauci, reliqui, ut quam mitiſſime agerent; armabantur: ut ſi bellum cum Hiſpanis jam præ foribus eſſet. Dicebant propalam: eo præſente pacem & libertatem conſervari non poſſe. Quanquam vero Pater & verbis candidiſſimis, & interrigimæ vitæ ratione id unum ageret, ut præceptas ſuſpiciones a ſe amoliretur; fidem barbari non adhibebant, donec graves e cœlo minæ adeſſent: Nempe Caſiquius graviſſimæ in ea gente authoritatis, poſteaquam multis calumniis & Patrem & Religionem Chriſtianam oneraſſet, turpi carcinomate in gutture deformatus; putrem animam exhalavit. Alter rurſum dum ſacra noſtra elevat; & Ranconierium ludificat, fulmine exanimatus, prope extinctus eſt. Agrum cujusdam barbari, pauculas ſpicas tritici turcici Ranconierio omnium egenti dare recuſantis, infeſto examine locuſtæ ſubierunt, & penitus evaſtarunt. Portenta hæc, barbari ſua ſupplicia, nec immerito, arbitrabantur, in vindictam nempe ſpreti Sacerdotis cœlitus immiſſa. Magna igitur animorum commutatio ſecuta, DEO Itatinenſes commonente; ut & ſuſpiciones ultro ponerent, & reſtinctis odiis liberam prædicandi Evangelii poteſtatem facerent, denique tanta benevolentia Ranconierium complecterentur, ut certatim ad ſuos pagos invitarent. Hoc animorum calore uſus, regionem omnem exploravit. Fuere qui venientem, amoris & honoris cauſa, palmis in ſublime attollerent, atque ita conſpicuum in ſua municipia barbaras inter gratulationes inducerent. Fame tamen iis in regionibus dominante, palmis in farinam contritis victitandum fuit, interdum vero locuſtarum eſu cænandum.

Hæc cum per Ranconierium agerentur, Juſtus Vanſurkius e Gvairania ſubſidio venit. Quem Ranconierius ad Antonium Ruiſium relegavit, ut uberiora Sociorum auxilia, atque una poteſtatem fundandorum oppidorum afferret. Ipſe interea barbarorum animos vitæ integritate, blanditiis, aliisque Apoſtolicis artibus magis ac magis ſibi copulavit.

Non

Non longo poſt tempore affuit Vanſurkius, cum Ignatio Martines, & Nicolao Enartio, non ſine ampla rerum gerendarum facultate & ſacra ſupellectile. Patrum conſulto decernitur, ut quamprimum ponerentur oppidorum fundamenta. Primum igitur, quod a Sociis cœptum eſt, Divo Joſepho tutelari feliciter aſſurrexit, quod cum Nicolaus Enartius Lotharingus regendum ſuſciperet, ducentis familiis frequentavit. Alterum poſuere, paucorum dierum intervallo remotum, ſub Patrocinio DD. Angelorum; iſtud cura ſua complexus eſt Ignatius Martines, cenſuitque ſuorum pariter familias ducentas. Tertium Incarnato Verbo dicatum, haud procul ab Gvarambaræorum, Societatis olim laboribus clarorum finibus ſtatuitur. Iſtud ſibi Vanſurkius retinuit, & quingentis familiis auxit. Quanquam vero ſinguli Socii dum hæc fierent, eniterentur diligentiſſime, eminuit tamen Ranconierii felix induſtria.

CAPUT TERTIUM.

SS. Apoſtolorum Petri & Pauli coloniæ fundamenta jacit; Pajaguas conciliat.

QUartam coloniam ſub nominibus Principum Apoſtolorum Petri & Pauli, in Nianduabuſuvii terris ipſe Ranconierius ſtabilivit, rexitque. Nianduabuſuvius porro, non Itatinenſem modo dominationem affectarat, verum extra patrios fines imaginaria poteſtate evagatus; etiam Indos late omnes ad usque Aſſumptionis urbem ſuo ſubdi imperio arroganter jactitabat. Fuit ſane apud Itatinenſes in tanta opinione; & ob ariolandi excellentiam, ea famæ celebritate; ut pene adoraretur. Eum Hiſpani acri cura veſtigarunt, etiam diſpoſitis inſidiis, ut in lucem protrahere poſſent, ac coram cernere, at necquiquam; omnium ſtudia Nianduabuſuvius aliis atque aliis artibus eluſit; plerumque obtruſerat alium, qui ſe Nianduabuſuvium ſimularet. Eadem diſſimulatione uſus, Ranconierium per perſonatum hominem in ſuam ditionem recepit, indicto popularibus ſilentio, ne quis ſe advenæ Sacerdoti proderet, donec ejus indolem, mores, vitæque rationem exploratam haberet. Igitur tradito alteri ornatu comitatuque; ipſe plebi mixtus, intentis in peregrinum hominem oculis omnia curatiſſime obſervabat. In ea vigilantia ac ſtudio quadrimeſtre tempus exegit, & quoniam cognorat Ranconierium ſanctius vivere quam cenſuiſſet, & præterea Indorum rebus integerrimo animo favere; poſita larva tandem ſe prodidit, omnia largiſſime pollicitus, quæ Pater poſtulaſſet. Deinceps igitur omnia ſecundis ventis ibant, pleriſque Nianduabuſuvii aſſeclis ſanam doctrinam admittentibus.

Ab eo oppido, tertio non amplius lapide, aberat Paraquarius, cujus ripas Pajaguarum natio, jam inde ab Hiſpanorum adventu, infeſta tene-

tenebat, cædibus & omni crudelitate exercita; adeo atroci fama, ut Indorum ferociſſimi haberentur. Ad hos demigraverant variis temporibus Neophyti, cum ſervitiis premerentur, ex quibus rite didicerant indigenæ, Sociorum vitæ inſtitutum ac mores, ut qui ſalva corporum libertate, unice animas conſectarentur. Quapropter publica fide ad Ranconierium ventitabant, affirmantes: gaudere ſe Patris conſuetudine; ac Societati ni repugnaret, ſtabile domicilium ponere velle. At enim ultra pia vota tum quidem non profecerunt. Innata gentis levitas, rurſum omnes trans Paraquarium ad ſua arundineta abſtulit. Suis fugaces veſtigiis ſequebatur Ranconierius, vicina remotaque barbarorum loca adivit; quosque nactus eſt, Nianduabuſuvianis adjunxit. Rurſum vicina legens, ad Gvatos, Gvalachos & alios barbaros delatus eſt, qui quanquam ſermone inter ſe differrent; moribus tamen congruebant, neque alieni videbantur a Chriſtianis inſtitutis, ſi modo eſſet, qui lucem præferret. His præteritis, ea provincia exceſſit, cumque ad Aurelianum fluvium oberraret, occurrere pigmæoli mira corporum parvitate; paſſimque terræ illæ refertæ erant barbaris, quibus nondum lux Evangelica affulſit. De his Ranconierius ad Majores ſuos ſcribens, retulit: plura in ea gente diſpertiri oppida poſſe, ſi Socii ſuppeterent, avito populum more vivere, paſſurum tamen diſciplinam. Sed enim ſpes has Mamalucorum furor momento evertit.

CAPUT QUARTUM.

Indicium accipit Mamalucorum invaſionis.

IN more habebant noſtri Ordinis homines, qui ſparſi per oppida, abjuncti a ſe invicem vivebant, ut ſi eos longiori tempore communes curæ non contuliſſent, ſua ipſi ſponte ſe ſe inviſerent, aut mutui ſolatii, aut confeſſionis Sacramentalis cauſa. Ignatius Martines, & Didacus Ranconierius, quod octidui itinere disjungerentur, medium locum delegerant, quo convenirent. Eum indigenæ Jateim appellabant. Hic cum forte ſimul agerent, Crucifixi Imago aræ impoſita copioſe ſudare viſa eſt, eo ſudore reverenter pannis excepto, dubium erat Patribus, num id a cœlo tum nubilo, & humore gravi accideret, an ad prodigium eſſet referendum? dum admiratione defixi hærent, portenti cauſæ ſe ipſas evolverunt. Curſitant anheli nuncii, Mamalucos in Itatinenſem provinciam ſe infudiſſe. Hi Gvairania evaſtata, verſis oppidis; cum numeroſa Tupicorum cohorte, iis, quibus nuper Socii, itineribus, ad proxima Xereſio loca penetrarunt, illic militari conſilio celebrato, in duas ſe turmas diviſerunt, pars S. Joſephi & Divorum Angelorum oppida aggreſſi: fædam ſtragem fecerunt. Pars Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli coloniam belli facibus involve-

runt,

runt, utrique longos Patrum labores, brevi, at funeſto turbine, irritos fecerunt.

CAPUT QUINTUM.

Everſionem oppidi ab ſe fundati ingenti dolore intuetur & barbaris opitulatur.

Nianduabuſuvii coloniam, Ranconierio abſente, hac fere ratione, in laqueos impulere Mamaluci. Cum ad vicina oppido loca perveniſſent, gentis Primoribus ad colloquium pellectis, affirmate edixerant, nequaquam ſe hoſtiles animos afferre. Adeſſe ut diſperſos late barbaros, erecto ampliſſimo oppido, religionis ergo aliquando colligerent; ſi operam ſuam conferre vellent, gratum ſibi fore, & amice deinceps victuros. Capti benevolentiæ ſpecie, turmatim ſe ſe in hoſtium fidem dedere. Quos ubi arctius concluſiſſent, repente ſigno dato manus injiciunt, Primores vinculis onerant, Nianduabuſuvium armato milite cuſtodiunt, in reliquos hoſtiliter furunt. Ea ſcena peracta, ad novas fraudes converſi, dolos commutant: ſignificant Primoribus, unam eſſe viam ſuper, in priſtinam libertatem ſe aſſerendi, ſi ſubditos ſibi populos tradant, quos ubi evocarant Caſiquii, tum primum novæ artes patuere. Namque prædones utrisque retentis, heros cum ſubditis communi fato involverunt. Didacus Ranconierius hoſtium incurſione cognita, opem laturus ſuis, feſtinabat, cui Nianduabuſuvianæ factionis Indi quingenti occurrere, ibant hi, ut in ſervitutem omnesque ærumnas pro heris ſuis ſe traderent. Excanduit Pater, multisque verbis perfidiam, ac ferociam latronum accuſans, author fuit, ut deditionem eam cum juſtæ defenſionis conſiliis commutarent. Sed enim antequam vires jungere poſſent, Mamaluci imparatos aggreſſi male mulctarunt. In pugna Catechumenorum uni cranium ita læſum erat, ut cerebrum per plagas efflueret, & ſequenti die vermibus ſcateret. Hunc deſperata ſalute corporis, Pater ſalutari fonte abluit, Divoque Xaverio, cujus dies agebatur, Angeloque tutelari commendatum, ut aliis ſuccurreret, deſtituit: eundem octiduo poſt reviſens ſanum vegetumque reperit, tanta admiratione, ut aſſeruerit, nihil ſe omni vita vidiſſe mirum magis, neque ab quoquam dubitatum eſt, luculenta Divi Xaverii, & Angeli Cuſtodis ope id eveniſſe.

Afflictis in eum modum rebus, multa animo volvebat Ranconierius, ut modum reperiret jacentem provinciam erigendi, extorres patria recuperandi. Adibat Mamalucorum præcipuos, in genua projectus miſerabili ſpecie rogitabat, ſe ut confoderent, filiis deſideratiſſimis parcerent. At ferociſſimi hominum contra omnem pietatis ſenſum obduruere. Tum veriti, ne Gvalachi, Pajaguæ, Hiſpani in Itatinenſium vindictam con-

ſurgerent, collectis vaſis, abactis mille capitibus reditum ad ſuos maturarunt. Per iter ſæpe mulctati a barbaris, quorum fines tranſeundi erant. Ad Itatinenſe flumen cum perveniſſent, coorta repente tempeſtate, Caſiquii ſimul omnes, ſicut erant manibus revinctis, ac longa catena conſertis, naufragio facto, undis hauſti ſunt. Reliqui deficiente commeatu, viperis atque bufonibus veſci ſunt coacti. De quibus rebus Didacus Ranconierius ad Socios ſcribens, in hæc verba prorupit: „ *Pu-*
„ *deat me*, inquit, *eſſe deſidem in opere Apoſtolico, dum latrones e Bra-*
„ *ſilia, per trecentarum leucarum ſolitudinem, per ſilvas, ſcopulos, nullo*
„ *fere commeatu, cum perpetuo mortis metu venire non dubitant, ut cor-*
„ *pora in captivitatem redigant. Quid in ultimi judicii die reſponſurus*
„ *ſum, ni excuſſa vecordia tantum pro lucrandis animabus Chriſti ſangui-*
„ *ne redemptis auſim, quantum latrones pro corporibus perdendis.*

Caput Sextum.

Sæpe vitæ pericula adit; bina oppida reſtaurat.

HÆc cum apud ſe altius reputaſſet, & novis ardoribus incendiſſet animum, Ignatium Martines ad Aſſumptionis urbem ablegat, ut ab Prætore Paraquariæ auxilium, ab Collegii Rectore conſilium afferret rebus opportunum. Ipſe interea miſeras reliquias collecturus, per afflictam provinciam diſcurrebat, ac quod minime rebatur, inter perpetua mortis pericula. Nempe gens ſuſpicionibus depravata, alte retinuerat animo illud Mamalucorum commentum, ſe ab Sociis Jesu evocatos, ut omnem Itatinenſem provinciam funditus delerent. Id cum inter ſe barbari muſſitarent, ita repente efferati ſunt, ut turba Indorum in Ranconierium impetum faceret; nec defuere, qui lunatis jam arcubus, ſagittisque in ejus pectus intentis, hæc opprobrarent: *Tu fuiſti latronum prodromus, tu eos in terras noſtras invexiſti, qua tu via e Gvairania, ea illi ad nos venere.* Dictis novam ferociam addidere; evocatis ad eum perdendum aliis, atque aliis, divina tamen ope incolumis manſit. In cæco hoc tumultu, quo ſe verterent Socii, conſtituere apud ſe non poterant. Tempore ipſo tandem mitigatis animis ſuſpiciones evanuere, ſanatæque ſunt ita barbarorum mentes ut Patrum vota jam intra ſpem eſſent.

Cognito provinciæ ſtatu, Paraquariæ Prætor, duas cohortes in ſubſidium miſerat, quæ cum ſero veniſſent, ac præterea Indorum ſervitiis inhiarent, atque inde nova perturbatio timeretur; relegatæ ſunt. Ranconierius, qui nuper ad Aſſumptionis urbem abierat, cum ampliſſima poteſtate oppida condendi, ad Itatinenſes cum Juſto Vanſurkio, & Nicolao Enartio reverſus eſt. Primæ Patrum curæ erant, dilapſos barbarorum metu populos, bonis artibus rurſum ad communem, familiarem-

que

que vitam traducere. Oppida igitur duo moliti ſunt : primum ad Tepotium amnem, quod Juſtus Vanſurkius accurabat, alterum centeſimo ab Aſſumptionis urbe lapide, prope Paraquarii littora, Ranconierii, & Nicolai Enartii induſtria. Huic non parum incommodaverat rumor, a Pajaguis temere ſparſus: Hiſpanos in Pajaguas, & Itatinenſes infeſta arma movere. Quæ res in eum metum conjecit Indos, vixdum ſilveſtrem indolem exutos; ut quadringenti transmiſſo Paraquario, ad montes præaltos profugerint; attamen plerique ſedula Sociorum opera retracti ſunt.

CAPUT SEPTIMUM.

Reliqui ejus labores, mors, & virtutes.

GEminabat interea preces Ranconierius apud provinciæ Præſidem, atque identidem ſubſidia Sociorum flagitabat, ut colonias ſuas diduceret, vicinas nationes adjungeret. Ubi irrita ſua vota precesque vidit, id demum enitebatur, ut quanto numero poſſet, Chriſtianæ militiæ candidatos in communitis jam oppidis legeret, imbueret, Sacramentis procuraret. Quot porro e ſpiſſis ſuperſtitionum tenebris ad lucem Evangelicam revocarit, quoties necis pericula intrepide adierit? quoties fame pene perierit? longum ac difficile dictu foret. Extremo vitæ ſuæ anno vidit peſtem per ethnicorum æque ac Neophytorum pagos latiſſime diffuſam, ſævum in modum furere; eum furorem ſuo fervore æmulatus, antra, paludes, ſcabroſa loca, ſylvas, rupes, omnia cum Enartio pervagatus, plus egit, quam humanus labor æquare poſſe videretur; plus paſſus, quam humana conditio perferre. Mitigato malo, ægrotare ambo cœperunt ignota de cauſa, ſuſpicio fuit a lento veneno propinato. Prior ſublatus eſt Didacus Ranconierius Miſſionis Præfectus, & oppidorum in provincia Itatinenſi conditor, qui in ea ægritudine id a DEO petere auditus eſt, ut dolores creſcerent, quo morbi acerbitate brevitatem compenſet, uſurpabat & illud: *quid iſtud eſt, quod patior, ſi conferatur cum Martyrum tormentis? auge dolores o DEUS! & ſi tua ſit voluntas, æterni ſint hi dolores mei.* Moriens a corpore veniam petit, quod illud rigidius habuiſſet. Inter hos pietatis affectus, in humili Indorum pago animam placidiſſime exhalavit. Cadaver terræ mandatum eſt, in ſacello vix trium hominum capace, tanto Neophytorum dolore, quantus expectari poterat, ob tanti Viri jacturam, quem ſupra communem modum luxit univerſa provincia, conteſtata palam, amiſſum hominem Indis utiliſſimum, Apoſtolicorumque Virorum prototypon. Franciſcus Vaſquius Truxillus nuper provinciæ Præſes, audita ejus morte: hanc poſthumam Viro laudem tribuit: *Si Didacus Ranconierius porro vixiſſet, ei & provinciam & univerſam Societatem regendam, tuto committi potuiſſe,* cum non tenui

Flandrobelgicæ provinciæ laude, quæ ſic Virum inſtituit, & tantus cum eſſet, a ſe divelli paſſa eſt.

In corpore caſtigando modum excedere viſus eſt: ſæpe biduum ſine cibo tranſegit. Cupedias nullas admiſit, nunquam cœnavit, quin ſylveſtres radices adhiberet. A diuturna expeditione, fame graſſante toſtis locuſtis veſcebatur: duriſſimo corio utebatur pro lecto, culcitram & molles ſtragulas rejectavit; perſæpe induebatur cilicina veſte. Si quando numerus converſorum infra vota eſſet, ea recordatione mærorem ſuum conſolabatur: Angelos tutelares unius animulæ affixos curæ eſſe, atque ea miniſteria exequi mira alacritate. Hinc fiebat, ut non acueret induſtriam, ſi multorum; non remitteret, ſi paucorum ſalutem ſuſciperet procurandam, totum ſe impenderet utrisque. Singulorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum feſtos dies prævenit octidui jejunio, ad impetrandum ſpiritum Apoſtolicum. Præter ſtatas preces, cum DEO magnam noctis partem, familiariſſimis collocutionibus traduxit, ad aras litans, aut orans, ſuis ſæpe lacrymis immaduit. Nihil inconſulto DEO aggreſſus eſt. In rebus majoris momenti, regulis electionis Divi Ignatii utebatur. In Chriſti humanitatem amore ferebatur ſingulari, in ejus animæ cultum concepto voto decies ſexies externæ aut internæ charitatis actus quot diebus renovabat. In memoriam Sacratiſſimi Corporis Chriſti, totidem vicibus voluntaria ſe pœna mulctabat. Ut ne ſterilis eſſet amor erga Cœlorum Reginam; voti religione ſe obſtrinxit, pari numero interne, aut externe, humilis animi parvitatem profitendi. Singulas vitæ humanæ actiones, ut ne ſine fænore prætervolarent, pientiſſimis ſuſpiriis ad DEUM dirigebat. Religioſorum Votorum erat Cuſtos rigidiſſimus. Cum cæteris præeſſet, atque oborta foret pia æmulatio ad deteriora domus eligenda; authoritate obtenta ſibi vendicabat. Forte ab uno e ſuis ſubditis coram laudatus eſt; ſane ita excanduit, ut abs ſe hominem faceſſere juſſerit. Durus in ſe ac inclemens, adverſus alios facilis ac blandus erat, præcipue Indos, quos ut pia Mater adjutabat mirifice, & fovebat. Mathematicam apprime calluit. Literas annuas provinciæ Paraquariæ pro Nicolao Durando latine ſcripſit, quas Flandrobelgica typis edidit.

NICOLAUS ENARTIUS
TULLENSIS LOTHARINGUS.

CAPUT PRIMUM.

De ejus origine, Adoleſcentiæ, religioſæ vitæ exercitationibus, miſſione Indica, navigatione, & ſtudiis.

ELato Ranconierio, Juſtus Vanſurkius, ad Paraquariæ Metropolim profectionem inſtituit, ſubſidia Sociorum corrogaturus ab Collegii Rectore, cæteraque ad expeditionem Itatinenſem opportuna. Dum abeſt, in unum Nicolaum Enartium incubuit geminarum coloniarum, & univerſæ Itatinenſis regionis cura. Preſſus hoc pondere, cum aliunde imbecilla uteretur valetudine, fatiſcere ſubito cœpit, atque antequam e Paraquaria Vanſurkius rediret, ſine Sacerdotis, & Sacramentorum ſubſidiis e vita migravit. Communis vox fuit, nullum in provincia quidem hac Xaverianam mortem propius adumbraſſe, atque Enartium. Singulares Viri virtutes, quanquam ampliſſimam apud poſteros commendationem mereantur, more meo ad pauca capita contraham. Nicolaus Enartius, Tulli in Lotharingia nobiliſſimis Parentibus ortus, liberales artes cum didiciſſet, totum ſe equeſtribus diſciplinis informandum tradidit. Faſtidita ſenſim ſeculi pompa, & aulæ ſtrepitu; ſenſit ſe intus ſolicitari ad tranquilla ſacratioris vitæ otia. Cum vero animi penderet, quo potiſſimum pia vota flecteret, implorata Reginæ Cœlorum ope, ante omnia impelli ſe ad Societatem noſtram perſenſit. Quam quinquennio ambiens, repulſam tulit ab provinciæ Præſide, id verente; ne ejus Parentes Religioni noſtræ eapropter negotium faceſſerent. Circumacto quinquennio, infringendæ conſtantiæ impar Præſes, Parentibus necquiquam reclamantibus, & omnem lapidem ad everberandum filii propoſitum moventibus in Societatem admiſit. Mater ex mærore per plures dies omnem cibum refugit: immoto ad hæc Enartio, qui hinc minas, inde illecebras, communes Patris Matriſque lacrymas prudenti fuga eluſit. In Ordine noſtro Coadjutoribus rerum externarum miſceri poſtulavit, infimis prorſus precibus. Juſſus nihilominus eſt inter Scholaſticos mereri.

Nondum confecerat Theologiæ curriculum, jam tarditates rerum ac temporum accuſaverat, quod media in India non eſſet, neque quietem capere potuit, dum Miſſionem ab Mutio Vitelleſcho Generali impetraret. Impetratam cum interturbare Franciæ provinciæ Primores conarentur, hominem nobilitate, virtute, ingenio florentem, ægre abs ſe ablegari ferentes; eadem conſtantia, qua obſtacula Religionis amoverat, pervicit. Ex itinere Carolum Lotharingum, Burdigalenſis Societatis Jesu Domus Præpoſitum reviſens, ſaluberrima documenta Indicæ expeditionis abſtulit. Per Galliam, Hiſpaniam, Luſitaniam, præclara virtutis veſtigia reliquit. Placuit inprimis animi demiſſione, charitate, & modeſta ſua hilaritate. In longa ac difficili navigatione, tum in portu Boni aeris, ea præcipue ſe re commendavit, quod ægrorum Sociorum curam mira alacritate ſuſceperit, geſſeritque. Ad portum appulſus ab Nicolao Durando Maſtrillo Provinciali vehementer poſtulavit, ut quantocyus ad Indos mitteretur; & quoniam quadriennio, quo Theologiæ ſtudetur, annus defuit; illi, ac ſpei, quatuor Vota olim profitendi, nuncium remittere voluit. Quo non impetrato, in Paraquaria completis doctrinæ & virtutum experimentis; in Gvairaniam, difficillimam totius provinciæ expeditionem, quadringentarum leucarum itinere diſceſſit.

CAPUT SECUNDUM.

Ejus geſta in Gvairania, & Itatinenſi provincia.

IN Gvairania, gentis lingua excultus, primam Neophytis ac Catechumenis operam navavit, utriſque perutilem; donec ad ethnicos amandatus, in Tajaobæ Antropophagorum regione, dirutum ab Mamalucis JESU-MARIANUM oppidum reſtaurare juberetur. In ea ſtatione, utut expeditionum Apoſtolicarum novellus adhucdum tyro, veteranorum Sociorum gloriam factis æquavit. Ob prædonum injurias ſolum vertere juſſus, in famoſa illa Gvairaniæ demigratione, Tajaobenſes ad Piquirium flumen comitatus, ea de ſe ſpecimina dedit, ut cum Didaco Ranconeirio ad fundandam Itatinenſem provinciam mitti meruerit. In qua primum oppidum condendum regendumque accepit, auxitque ſub ipſa initia ducentis Indorum familiis; quas ſubinde baptiſmo maturas, ſolennes inter cerimonias abluit. Deflexerat interdum curam ad Xereſianos quoque: quibus Enartii ſtudium in procuranda ejus gentis ſalute adeo jucundum gratumque fuit, ut oppidi Primores literis ad Senatum Regium, & Epiſcopum Paraquarienſem datis, flagitarint; ſuam ut authoritatem interponerent ad conſtituendam Societatis Patribus ſedem. Fecerat & alia quæpiam ſacra diverticula, in quibus quaquaverſum Chriſti nomen annunciabat.

Caput Tertium.

In invaſione Mamalucorum multa tolerat memoratu digna; ultimi ejus labores, mors, & virtutes.

CUm longius a ſuis procurriſſet, Mamaluci prædones, caſtris in Itatinenſis provinciæ finibus poſitis, delectos homines ad Sancti Joſephi municipium dimittunt, qui compoſita fraude inquilinis ſignificent: ſe non maleficii cauſa aut hoſtili animo eorum terris imminere, idcirco vero veniſſe, ut injurias ab interioribus Indis Ranconierio illatas bello vindicarent: poſſe ſe, ſi JESU Sociis rem acceptiſſimam facere vellent, arma jungere. Præerat tum oppido Dux Perucus, vir animoſus & ſummo in Socios amore. Iſte ſceleratis illis fidem innocenter habet; populares ſuos more gentis armat, ac ſecuros rerum ad caſtra Mamalucorum perducit, quo cum perveniſſent, detecta fraude, vincula armis commutare ad unum omnes jubentur. Imbellis turba defenſoribus deſtituta, ex oppido ad caſtra, nova perfidia eſt translata. Ubi Nicolaus Enartius, ab expeditione Apoſtolica redierat, ac vacuum oppidum ingreſſus, fraudis & crudelitatis monumenta vidit, ad caſtra hoſtium citatiſſimo gradu fertur, perque omnia ſacra obvios quosque obteſtatus, ne ſe optatiſſimis filiis privent. Tum caſtra ingredi parantem, latronum ductor comprehendi ac trucidari jubet, deſignato ad parricidium etiam ſatellite, ad quas Enartius minas, in hæc verba: *lubenter,* inquit, *pro ovibus meis animam meam ponam, interea pacis Dominum rogo, ut intentatum ſcelus vobis condonet.* His verborum blanditiis nihil mitigati, vexatum e caſtris ejiciunt, diſtrahunt in partes, lacerantque veſtem, addunt probra, & inſana ludibria. Quas inter injurias, Enartius DEO, ut arbitratum eſt, plenus; Mamaluco præ cæteris ferocienti prædixit, eum in tanti ſacrilegii pœnam, patriam terram non reviſurum. Vaticinio ſua fides conſtitit, nefario homine illo, per iter a barbaris fœde perempto. Jam referebat pedem Pater, rurſum ardor occupavit hominem, ut deploratæ ſuorum ſaluti quaqua poſſet, proſpiceret. Sequitur celeri greſſu raptores, ſe penetrat in caſtra, Nianduabuſuvium ipſum redimit. Blandiente rerum ſucceſſu: hos ope, alios conſilio adjutans, multis viam, ad fugam aperuit. Hos inter Perucum oppidi ſui ducem recepit, quem cum e fuga perditiſſimi homines retrahere tentarent, enim vero experti ſunt, quantum libertatis amor, fortitudine animata poſſit; namque unus ille omnium tela repulit, & invicta virtute, in priſtinam libertatem ſe aſſeruit.

Evaſtata provincia, disjecto oppido, civibus captis, aut diſperſis; in Itatinenſi regione quadriennium poſuit: vulneribus reipublicæ ſuæ medendo, fugaces revocando, receptos inſtruendo, peſte contactos conſolando decumano labore, aditis etiam ſæpe vitæ periculis. Hæc inter ſive lue,

ſeu

ſeu veneno hauſto, ſive alia demum de cauſa morbum adeo deformem contraxit, ut rupto interno apoſtemate, per immenſum ulcus viſcera apparerent. Nullus Sacerdos, nullus Europæi ſanguinis homo morienti aderat, ſumma tamen animi pace extremum diem excepit. Moriturum inviſere aliquot Pajaguæ ethnici, barbarorum immaniſſimi, qui miſerati vicem hominis, & extremam inopiam, de ſuis cibis neſcio quas quisquilias obtulere, feruntque ab iis, pro ultimis cupediis, toſtæ viperæ partem oblatam; qua recuſata, ad oppetendam mortem ſe compoſuit. Die lethali, mane, evocatis ad ſe adoleſcentibus duobus, ſuprema hæc verba dixit: *Lux hodierna mihi ultima erit, nam id à DEO Optimo Maximo impetravi.* Mox crucem a Patribus Capucinis olim dono acceptam complexus, pios animi affectus continuavit, ſub veſperam vivere deſiit. Extremus lectulus nuda humus fuit paleis contecta. Funus curaverunt Neophyti, Patremque ſuum in Sacello e luto & arundinibus compacto, veſtibus Sacerdotalibus ornatum, magno luctu depoſuere.

Solitus erat Enartius Sociis narrare, Societatis Inſtitutum & navigationem ad Indos, ſine affectione terrena humanaque ſe ſuſcepiſſe: ac ſperare, utramque rem Superis fuiſſe gratam: quod ad reliquas vitæ ſuæ rationes attineret, vereri ſe, ne inanes ac ſteriles forent, quod inter agendum animi deliciis afflueret, cœlitus immiſſis, æterna præmia forſan fruſtraturis. Dura ut plurimum cubabat humo, perſæpe externa veſte contentus, lineum induſium in regione calidiſſima ſubtraxit, ut ne vanam inde gloriam capeſſeret, linteo collari conſpicuo fallebat intuentes. Hac aſperitate incertum, quam diu vexaſſet exhauſtum corpuſculum, ni Majorum imperia interceſſiſſent. Dum inter Indos ſolus ageret, carnem non eſitabat, fabis, radicibus inſulſis veſcebatur. Pane biennio in Gvairania, quadriennio apud Itatinenſes abſtinuit, ſi quid cupediarum, in munuſculi partem obveniſſet; intactæ, ſitu peribant. Puritatem Angelicam inter Indos tuebatur aſpero cilicio, verberatione, inedia, productis precibus. Nihil eo pauperius, nihil Majorum juſſis obtemperantius fingi poterat; Superioribus ſuis ad deſpicatiſſima munia offerre ſeſe ſolebat. Per Paranam navigans, ſubtracta ſibi lodice, ægrum Neophytum involvit. Ægritudines corporis, & animi gravitates, læto ore diſſimulabat. Ab nullo unquam mali remedium quæritans, quam ab ſummo Numine in Venerabili Sacramento deliteſcente.

GASPAR

GASPAR OSORIUS
VALDEVARANUS CASTELLANUS.

CAPUT PRIMUM.

De ejus vita, deque expeditione ad Chaquenſes.

GAſparem Oſorium Valdevaranum, quem perperam Didacum nominat in mortibus illuſtribus Algambe, Caſtrilli a Villavega, in Caſtella veteri anno 1598. illuſtribus parentibus natum comperi. In Societatem cooptatus quaterdecennis, in pietatis exercitia adeo propendebat, ut Nierenbergium (cui in Tyrocinio Villagarcienſi convixit) admiratorem cultoremque, ut ipſe teſtatur, habuerit. Eminebat præcipue in Oſorio maxima pro Chriſto patiendi deſiderium, ardensque animarum ſitis. Impetrata Miſſione Indica, exiliit præ gaudio, quod exiſtimaret, barbaris illis terris, neque ærumnarum copiam, neque ampliſſimos ad labores campos, neque lauros ad coronam defuturas. Anno 1617. cum Joanne Viana Procuratore in Paraquariam navigavit, ubi cum ſtudiorum, cæterarumque Ordinis noſtri exercitationum metam attigiſſet, linguamque Indicam combibiſſet, procurſionibus Apoſtolicis totum ſe dedit. Atque cum in iis fervidiſſimæ virtutis ſpecimina eniterent, viſum eſt Moderatoribus, ut arduæ Chaquenſi expeditioni addiceretur.

Chaquenſis provinciæ nomine venit ea terrarum moles, quam immenſo fere circuitu ambiunt: Paraquaria, Tucumania, flumen *de la plata*, ſive Argenteum, Sanctæ Crucis per montana Epiſcopatus. Provinciam ſecant e Peruviæ montibus orta flumina, quæ longos poſt tractus, aut in ingentes lacus reſident, aut in Paraquarium, aut fluvium Argenteum ſe exonerant. Sub primum Hiſpanorum in Americam Auſtralem adventum, multi e Tucumania, & item Paraquaria, novæ dominationis metu, in has ſe terras recepere, quod comprobant populi, Aimarram linguam, Peruanis vernaculam etiamnum uſurpantes. Multi Prætores & Epiſcopi, Chaquenſem terræ tractum, circumſitis provinciis per-

vium voluere; irrito ſemper conatu; donec anno 1608. Martinus Ledesma Tucumaniæ Prætor, per Cucuiſenſem, ultimam Tucumaniæ urbem, Peruviæ conterminam, ducta militum cohorte viam aperiret. Is ad Nicolaum Durandum Maſtrillum Paraquariæ Provincialem literis datis petierat copiam ſibi fieri aliquot Sociorum; per quos in cæcam illam gentilitatem Evangelii lux inferretur. Certis interea nunciis didicerat Maſtrillus, Prætorem ad Chaquenſes non modo penetraſſe, verum etiam ſedem defixiſſe, igitur Gaſparem Oſorium ſine mora expedivit cum mandatis, ut Indorum juxta ac Hiſpanorum ſalutem ſedulo curaret.

CAPUT SECUNDUM.

Linguis Chaquenſium addiſcendis dat operam, in quorum regione multa patitur.

E Tucumaniæ Metropoli eggreſſus, tertio poſt menſe, uno Æthiope comitante, ad Chaquenſem provinciam pervenit, deſignatumque futuræ urbi locum magna novorum colonorum lætitia tenuit, utque erat aſpectu jucundo & morum amabili comitate, omnium amicitias facile ſibi adjunxit, ac quæ volebat ex animi ſententia confecit. Cumque in dies concurſus ad eum fierent, ventitarentque ipſi diverſarum factionum Caſiquii, utendum opportunitate temporis & animorum ratus; ita rem cum Primoribus tranſegit, ut in tribus regionibus ligna cæderentur novis oppidis uſui futura. Ipſe interea linguis perdiſcendis operam dabat, mira ſane felicitate, numerum quinquaginta millium ſuperare dicebantur ii, quorum linguam ſibi reddebat familiarem. Mataguaii idiomatis triginta millia. Neque Mocoviarum, atque Zupitilagarum nationum dialectos neglexit, tum quod permulti ex his, Chriſtianæ legis deſiderio tenerentur, tum quod per eos populos, ad ulteriores provincias tranſitus eſſet. Churumatarum linguam demum ſuperioribus adjicere parabat, & jam præclari conatus apparebant, cum Ledeſma Prætor ad fundandam ſuam urbem digreſſus, ad alias curas Oſorium avocat: ut nempe in Tobarum regione ad deſcribendam novo oppido aream ſe accingat. Hinc: ad Præſidem provinciæ ſcribens Oſorius, ſignificabat, omnia bonæ meſſis eſſe plena: tria Indorum oppida in Tobarum, Macoviarum, & Zupitilagarum terris nemine refragante poni poſſe, Socios modo mitteret. Addiderat: Indos ea corporum proceritate eſſe, ut eorum capita, ſublata, ſummaque manu vix attingeret.

In perdomandis his gentibus Gaſpar Oſorius majori laborum Apoſtolicorum fama, quam ſucceſſu verſatus eſt; quippe ſeſquianno toto, præter infantes, pauculos admodum ſenes Chriſto adſcripſit. Cæteris in immenſa regione ex indolis ferocia, & ſervitutis metu a Fide averſis. Ex

Toba-

Tobarum oppido ad ethnicorum terras delatus, inexpectato plauſu acceptus quidem eſt, at enim tempore procedente, cum Primores gentis animadverterent, Oſorio præſente, integrum ſibi non eſſe baccho, venerique, ac cæteris fæditatibus operam dare; de removendo Patre conſilia agitaverunt. Acceſſit malo interiorum populorum barbara comminatio: qui ad arma vel ideo reſpexerant, quod Chriſtianus Sacerdos ex propinquo oſtentare ſeſe auſus eſſet. Utroque periculo evitato ope divina; tertium ſupervenit ex oborta adeo fæda tempeſtate, ut Oſorius grandine ſub tentorio pene conſepultus fuerit, cæcutierit denique. Remedium malo acerbius fuit; quod enim per eum cœli rigorem, in ejus oculis ſquammulæ ſubnatæ eſſent, easque per totum ferme diem Indi vellicarent; intolerabili doloris ſenſu affectus eſt. Demptis illis, vis videndi rediit, morbo tamen reliquum corpus infeſtari cœpit, cui curando ſecedendum fuit ad Hiſpanorum caſtrum. Recuperata valetudine ſuis ſe reddidit, ſpeque jam aucta, in campum Apoſtolicum meditabatur, cum novus belli turbo inter Chaquenſes & Hiſpanos obortus, eum in Tucumaniam usque repulit, dilata in mitiora tempora expeditione. Per Tucumaniam regendis Collegiis, & excurſionibus ad Indos vacavit; intento ſemper in Chaquenſes animo.

Caput Tertium.

Oclojas oppido abs ſe extructo includit.

ANno 1638. Superiorum imperio, Tucumanenſi Epiſcopo flagitante ad Oclojas, Chaquenſibus obverſos populos, magnis animis diſceſſit. Oclojarum gens in Peruviæ & Tucumaniæ finibus ſita, Cucujſenſis urbis ditione clauditur. Eos olim Franciſcani Patres inviſerant, ac nonnullos luſtralibus undis admoverant. A permultis jam annis ethnici ac Neophyti pariter communi ſuperſtitione & impiis religionibus addicti vivebant. Hos Oſorius glorioſæ neci præludens, eo libentius adiit, quod per Oclojarum fines ſciret ad Chaquenſes expeditam viam eſſe. Socium expeditionis nactus eſt Ignatium Medinam tanto labori undique parem. Junctis animis viam ingreſſi, per abrupta montium ad Oclojas penetrarunt. In prima ſtatione permultis Sacramentum baptismatis miniſtravere. In progreſſu vici ſe offerebant; irruunt in meſſem: infantes centum, adultorum magnum numerum eodem beneficio divino cumularunt. Tum divulſi: Oſorius ad Gvaſpiras, Medina ad Gvarcontes deflexit: uterque barbarorum animos ad Evangelicam doctrinam mire propenſos invenit. Inde per Omaguacarum terras regreſſi; Medina profligatam nimia virium contentione valetudinem refecturus, ad Hiſpanorum urbem migravit. Oſorius in arena permanſit; Cucujſenſibus verni Jejunii tempore procuratis, ad Oclojas

cum Antonio Ripario reviſit. In id ante omnia intentus, ut gentem per viculos diſperſam, in communem locum colligeret, ut oppidorum repagulis ſepti celerius cultum, humanosque mores induerent, & quotidiana Patrum conſuetudine ad frugem matureſcerent. Re divulgata: vicini Caſiquii in ſententiam Patris ivere, deſertis focis, undecimo ab Cucuiſenſi urbe lapide, ſedem ponunt hilares. Comportant rem familiarem, aggregant ſibi interiores populos, quos auxit Patrum induſtria, ad juſtiſſimi demum oppidi formam fingunt omnia. Vixdum in communem vitæ ſocietatem coaluere, ſexcenti Oclojæ ad ſinum Eccleſiæ ejurata ſuperſtitione patria convolarunt, Oſorii nempe & Riparii opera. Hi interjecto tempore Medinæ, ac demum PP. Franciſcanis regendi dati ſunt.

CAPUT QUARTUM.

Gaſpar Oſorius, & Antonius Riparius, nec non Sebaſtianus Alarconius trucidantur.

FRuſtra tentato per Oclojas itinere, Oſorius ac Riparius cum Sebaſtiano Alarconio Paraquarienſi adoleſcente Societatis candidato, ad Cucuiſenſem urbem rediere. Vix dum reſpirant, novo Provincialis mandato, & reculis quibusdam ad conciliandos barbaros inſtructi, iter ad Chaquenſem regionem, diverſum a priore, ac præterea ſine idoneo viæ duce capeſſunt. Ibant fere pedites, per ſilvas adeo impedite; ut arbores & ſpineta paſſim deturbanda fuerint ad greſſum promovendum. Quibus difficultatibus ut ſe expedirent, Oſorius urbem repetiit, hominem, qui viam commonſtraret, veſtigaturus, relicto in eo ſilvarum horrore Ripario. Reperto ductore, ſubmoneri ſe intus ſenſit ut hanc inprimis expeditionem maturaret. Riparius vero obviis quibusque affirmabat, ſe ad Martyrium properare. Cum igitur rurſum conveniſſent, cœptum iter perſequuntur, mane ſummo, diebus ſingulis uterque ſuper ara portatili rem divinam peragit. Occurrentes barbaros blande allocuti datis munuſculis ſibi conciliabant, nonnulli e Palomorum gente, & item ex peregrina alia, quam Hiſpani Labradillos appellant, Patribus perlibenter adhæſere. Creſcente comitatu, deficere ſenſim commeatus cœpit: cui augendo juſſus eſt Sebaſtianus Alarconius iter ad urbem relegere; additi ſunt ei Labradillorum aliqui, in tutelam & onera per reditum partienda, qui a malo dæmone impulſi, ſecundo ab diſceſſu die in Religionis odium Alarconium fæde trucidarunt, & barbaras ſibi epulas de ejus carnibus, ut fertur, appararunt, cranio in crudelitatis trophæum retento. Dein vero, ut congeminarent parricidium, ad Oſorium Ripariumque obliquo itinere rediere. Non defuit, qui de necis periculo utrumque commonefa-

nefaceret. Maluere tamen Patres eam religioſe præſtolari, quam fugere. *Veniant*, inquiebant, *& pro verbo DEI fideliter prædicato necem rependant.* Intempeſta nocte ſicarii inter carecta clam arrepunt; ſarcinulas, ſuper quibus Sacerdotes quietem capiebant, ſubducunt, illis potiti, aperta vi portatile diripiunt. Quo ſigno inferendæ necis accepto, reliquum noctis inter pias preces confirmatis mutuo animis uſque ad clarum mane conſumpſere. Vix dum ſol diem aperuit, ambos nomen JESU invocantes adoriuntur barbari & primo impetu Oſorium clava proſternunt, mox Riparium eodem armorum genere humi affligunt, truncata capita, in victoriæ ſymbolum pro gentis more jactabundi efferunt. A corporibus idcirco abſtinuiſſe ferebantur, quod ad gulam non facerent, aſſiduo religioſæ inediæ uſu emaciata.

CAPUT QUINTUM.

Geſta poſt mortem; & Gaſparis Oſorii virtutes.

DIlapſis tortoribus; Indi Heroum noſtrorum comites terræ mandare corpora non poterant, quod opportunis inſtrumentis carerent; ergo mæſti compoſuere cadavera, atque ut contra avium ferarumque rapinas tuerentur, impoſitis arborum ramis tumularunt. Mox Saltam Hiſpanorum urbem petentes; ſeriem peracti parricidii civibus narravere. Tum demum habita fides dictis Patrum: ſe ad glorioſæ necis palmam properare. Saltenſes, utrique majori luctu, quam pompa parentarunt; quam addidit in Tucumaniæ principe urbe Melchior Maldonatus Epiſcopus, ſolenni ritu juſta perſolvens. Secuta eſt Præſulem univerſa Diœceſis. Sacer Orator, e PP. Franciſcanorum Ordine, ampliſſimis verbis utrumque dilaudavit. Hieronymus Delgadillus Theologiæ Magiſter, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopo præſente, *Martyres* pro concione appellavit. Præſul ipſe, illatæ necis cauſam, ordinemque rite inquiri juſſit; conſtitit ambos a barbaris trucidatos; quod Sacerdotes, & Chriſtianæ legis doctores eſſent. Nec prodigia defuere: namque præter alios teſtes, Franciſcus Guchi Indus affirmavit: ſe ex duorum Palomorum narratione didiciſſe: Gaſparem Oſorium Sacerdotali amictu, & ſplendore cœleſti circumfuſum, quotidie in parricidii loco ſpectari, & decem circiter Indos ad viſendum oſtentum eo ire auſos, animam exhalaſſe: parricidas porro omnes intra breviſſimum tempus ſacrilegum ſcelus luiſſe.

Gaſpar Oſorius virtutibus Religioſo Viro propriis enituit omnibus: inprimis vero Angelica puritate, & in arduis, hilari ac prompta obedientia, glorioſam mortem ipſam obtemperando promeruit. Cum Collegii Rectorem ageret, goſſipina veſte prodibat in publicum. Paulo ante mortem galero utebatur male interpolato, & ſuprema parte aluta contecto.

Vilia munia obire percharum homini fuit: in Oclojarum Miſſione, neminem ſibi ſervire paſſus, ſuis manibus cibum apparabat: ſomnum non niſi ſuper ſtrato ex cannis contexto, aut corio ſole durato captabat: cervicali lapideo, etiam cum æger eſſet, utebatur: aſpero flagello quotidie in corpuſculum, usque ad ſanguinis profuſionem ſæviebat, ſæpe inter arduos Apoſtolicæ vitæ labores cilicinam veſtem induit. Pervigiliis B. Virginis pane & aqua contentus, cætera obſonia abdicavit. Ex quotidiana cum DEO familiaritate ardentiſſimas divini amoris flammas concepit, quas in publicis privatisque congreſſibus magna vi in animos vibravit. E Dominicana Familia Vir graviſſimus audierat aliquando ad populum dicentem, nec dubitavit clariſſima voce exclamare: *Apoſtolus eſt.* Sanctitatis famam inde natam adeptus eſt, quod ſui non negligens pro omnium ſalute pervigil excubaret. Riocæ Rector cum eſſet, identidem ad vallem propinquam ibat, ac quanquam carptim ſuam meſſem faceret, tamen in tantam evaſit, ut avariſſimorum operariorum vota impleret. Chaquenſem provinciam primus aperire tentavit, iterum ac tertio aggreſſus, non deſtitit, quoad illuſtri pro Fide morte laureolam auferret. Tobarum idioma improbo labore didicit. Tonocotana lingua tantum potuit, quantum ad inſtituendam eam gentem opus erat. Quiſcoam percalluit, Oclojarum ſermonem ad lexicon redegit. Quanquam de nulla re ardentius cum familiaribus ageret, quam de procuranda animarum ſalute, nihilominus ubi mentio injecta eſt, de adeunda Chaquenſi provincia; totus igneus erat, ſuique impotens in has fere voces erupit: *Sic ſic* (inquiebat) *Chaquenſes mei telis aliquando me impetent, ſic clavam adigent, ſic membra diſcerpent.* Inter quas voces tortores imitari ſolebat, ac velut in glorioſo illo agone verſaretur, cœleſtibus liqueſcens deliciis triumphare videbatur. His deſideriis incenſus; Hiſpanias valere juſſit; mari huc delatus, hæc vota variis in muniis fovit; donec ætatis quadrageſimo primo, Societatis vigeſimo ſeptimo, quatuor Vota ab quadriennio profeſſus, optatis potiretur.

ANTO-

ANTONIUS RIPARIUS
CASALMURANUS.

ANtonium Riparium, Caſalmurani, in Cremonenſi agro natum pii ac honeſti parentes liberaliter educarunt. Suorum amores idcirco promeruit, quod nemo in juvene noxam notarit. Nusquam Ripario præſente, contubernales auſi ſunt procax ſalaxque quidpiam proferre. In Societatem adſcitus, tantam adeptus eſt innocentis animi famam, ut de Bonaventura dictum, in eum transferrent: *talem videri, qualis eſſet, ſi Adam in eum non peccaſſet.* Tyrocinio ſancte exacto, humaniores literas Mediolani primum, tum Savonæ docuit quadriennio. Auditorum ſuorum quam plurimos Religioſis Ordinibus adſcripſit. Mediolani cum Sacrarum Literarum ſtudio vacaret, Subminiſtrum egit. Ad Corſicam Inſulam idcirco mitti flagitavit, quod pleroſque Sociorum ſciret ab ea inſula, inſalubritate aeris abſterreri. In Paraquariam navigans, id unum meminerat, & perſæpe repetebat ſermone: *incredibili ſe Martyrii conſequendi deſiderio teneri.* Eo referebat omnia religioſæ vitæ momenta, corporis afflictationes, Divorum tutelarium ſuffragia; pronumque eſt credere, Divi Joſephi meritis illud accepiſſe, animæ quippe ſuæ curatoribus affirmare ſolebat, nihil ſe a magno illo Sanctiſſimæ Virginis Sponſo quidquam fruſtra flagitaſſe. Chaquenſem provinciam, eo Patrono ſibi cœlitus aſſertam fuiſſe, vulgavit palam. Marcello Maſtrillo ad Orientem navigaturo, eo nomine erat chariſſimus, quod Xaverium peculiarem in modum coleret. Navigatione Indica ejusdem Divi Lypſanotheca in mare merſa, fœdam tempeſtatem ſtupentibus vectoribus compoſuit. In beneficii memoriam, voverat ejus pervigilium ſacra inedia celebrare. Societatis feriis recurrentibus, Chriſti paſſi memor, pane & aqua diem exegit. Cum Chaquenſis provinciæ mentio fieret, aut ipſe animo revolveret, cruentas pro Fide palæſtras; intimis exultabat ſenſibus. Ætate florente, vitæ anno trigeſimo primo, Societatis initæ duodecimo, circiter Calendas Apriles, omnibus virtutibus ornatiſſimus, in aditu Chaquenſis provinciæ a barbaris cæſus, vitam ac ſanguinem pro Fide poſuit.

* * *

ANTO-

ANTONIUS RUISIUS MONTOJA PERUANUS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus Pueritia, Adoleſcentia.

ANtonium Ruiſium Montojam, unicum opulentæ domus hæredem, Lima Americanarum urbium Domina, novo orbi dedit. Didaci Ruiſii Montojæ, Scriptoris celeberrimi proſapiam propinquitate ſanguinis contigit. Ejus Pater Chriſtophorus Montoja, e Bætica (patrio ſolo mutato) in Indiam ſolvens, Comitis Villarii Peruviæ Proregis favore diu floruit: a quo variis muniis admotus, Rempublicam cum laude tractavit. Antonius noſter quinquennis, amiſſa Matre, pædagogo traditus eſt. Eluxit ſub primis illis elementis capaciſſima pueri mens. Magnis viris ideo admirationi fuit, quod non tantum literas appellaret, verum etiam acutis reſponſis intricatas quæſtiunculas prompte ac cum gratia expediret. Sublato Patre, novenni oborta jam ea lux erat, quæ abditas cœli merces, timoriſque divini pretium penitus detegeret. Ex ea luce primos MARIÆ amores & corpuſculi affligandi ſtudium hauſit, atque ita auxit, ut in tantula ætate, ſtatis diebus, Divi Hieronymi exemplo, grandem lapidem ſæpius in pectus adigeret, & latera cinctu aſpero, impreſſis arcte acuminibus urgeret. Quin & mente DEUM orare, nullo in terris Magiſtro, id ætatis puer cœlitus didiciſſe credebatur. Guſtata piarum meditationum ambroſia, mire ſibi gaudebat, ſæpe defixa cœlo mente, inter ſuaviſſimos ſenſus, nec cogitanti, vultum lacrymæ inplebant. Inter hæc pia ſtudia grandior factus, Patrum Franciſcanorum Ordinem cogitans, ſenſit ſe occulta vi ab ea mente abſtrahi: quapropter cuidam eremi cultori ſocium ſe ſolitariæ vitæ obtulit, verum is immaturum conſilium diſcuſſit, authorque Juveni fuit, ut ſe Societatis ſcholis erudiendum traderet. Datum acceptumque conſilium eſt, tanto Tutoris mærore (qui filiæ ſuæ nuptias cum Ruiſio conciliare parabat) ut paulo poſt contabeſceret.

Mor-

Mortuo Tutore mores mutavit, ac primum verberationis ſcholaſticæ metu, vix primis labris libata latinitatis ſtudia faſtidivit, ſcholis deinde relictis, atque abjecta arctiore morum diſciplina, ſenſim a probitate defluxit, demum pietate exuta, licentiæ fræna laxavit. Decimo ſeptimo ætatis anno, adoptandus erat in familiam prædivitis viri, qui hæredem nominis & facultatum quærebat; oblatam ſortem reſpuit, ne rurſum alterius nutu vivendum eſſet. Licentiam ab jocularibus fere vitiis cœpit: noctu cum tenebrionibus urbem pererrare, veſpertilionum tenebras conſectari, ex una parte turbas ciere, altera circitoribus ad tumultum ſedandum occurrentibus, offendiculo deturbandis; plateas funibus paulo ſupra ſolum extantibus prætendere; lapidibus nequiter ſuſpenſis, e longinquo civium januas nocturno tempore quatere: & id genus lucifugorum ludibria deſertæ pietatis documenta fuere. Invaleſcentibus vitiis, in aliena domo nocte interceptus, acceptis tribus vulneribus ægre cum vita evaſit. Conſanatis plagis, vetus ſodalitium repetendo: in eadem revolvi cœpit. Non ſemel vulnera accepit, fecitque. Ob haſce intemperies, carcere, vinculis, exilio multatus, ſemper amicorum, & florentiſſimæ ætatis favore, libertatem eſt conſecutus. Ut ſolutius fræna omni licentiæ laxaret, triennio a Sacramentali confeſſione abſtinuit. Quanquam vero his moribus eſſet, nullum diem elabi patiebatur, quin Sacrificio miſſæ intereſſet, ac quoad fieri poterat, in Sacello Virgini dicato, cui ſe majorem in modum quotidie comendabat. Reliquum tempus, corpus illecebroſe curando, inter voluptates contrivit. Quibus utut afflueret, ne momento quidem temporis libero eſſe licuit a domeſtica illa, aſſiduaque furia, quæ reas mentes exagitat: non diſcuti illa diverticulis potuit, quin recurreret; non obtundi inſano paraſitorum ſtrepitu, quin ſentiretur ſemper. Auxit ſcelerum conſcientia tum inprimis angores, cum noctu in amicorum cadavera offenderet, qui ab amorum corrivalibus fœde perempti ſunt. Tunc enimvero occurſabat animo, ſibi eadem imminere corporis & animæ pericula, qui iisdem veſtigiis inſiſteret. Torſit vero omnium maxime mentem, cum per viſum ſpectavit Chriſtum ſublimi e loco fulmen vibrantem, ac in ſe ferire volentem. Immoto nihilominus ad omnia Antonio, ac præter perturbatam mentem nihil inde referente.

Ad excutiendos abs ſe hos terrores, id demum conſilii cepit: ut cum Peruviæ Prorege tranſigeret, ut ad Chilenum regnum honorarius miles ſuis ſtipendiis ſerviturus in biennium mitteretur. Impetravit, ſed enim accepto diplomate, ſubito per amicos interverſum eſt conſilium. Authores hi erant Antonio, ut hæc omitteret, genium ſequeretur. Ergo ut vanitates redintegraret, ſtatuit Paranam navigare, bellaria & id genus lauteſcas nundinaturus. Dum iter apparat, a fideli amico monetur, ut ne pelagi periculis ſe crederet, antequam rite peccata deponeret: paruit Ruiſius: at cum Sacerdos noſter ad extricandos conſcientiæ nodos,

ejus abſolutionem in craſtinum differre vellet; bellus pœnitens ita excanduit, ut e conſpectu ſemet proriperet, juraretque, ſe tota vita ab confeſſione peccatorum abſtenturum. Verum (quæ DEI miſerentis bonitas eſt) dum abit, audit: nemine viſo, vocem neſcio cujus per aera ferri bis inclamantis: *Antoni redi & te abſolvent.* Clariſſimum ſonum ſecuta interna vox DEI ſuadentis, cui obtemperans: reperit alterum e noſtris Sacerdotibus, ſeſe ad ejus curam benigniſſime offerentem, apud quem totius vitæ noxis ſummo cum dolore depoſitis, Divi Ignatii exercitiis excolendum ſe dedit.

Quadriduum jam in ea aſceſi poſuerat, cum repente ſibi ereptus atque animo abductus fuit in longinquas terras, ubi omnia Indis referta vidit; quos hinc tetra ſpecie homines vexabant, inde candida veſte nitentes, Angelis ſimillimi alii tuebantur. Tanto utrinque ſtudio, tam acri duello; ut ſimulacrum eſſet extremi Judicii. Hæc inter ex alto propinquabat Servator Dominus, laterisque vulnus ejus ori admovere videbatur, ex quo, hauſto vapore ſuaviſſimo, ſenſit ſe fragrantiſſimo odore circumfundi. Cognorat præterea regionem illam Paraquariam eſſe, Angelos; Miſſionarios de Societate, ſe demum ad eos juvandos deſtinari. Peractis Exercitiis, multum diverſus a priore, Limam conceſſit, literis Latinis informandus in Convictu; cui Rector tum præerat Joſephus Ariaga. Illic & Grammaticam & Poeticam nondum evoluto anno abſolvit; Rhetoricam ſeptem menſium contentione. In eo contubernio ſic vixit, ut ob aſſiduum precandi ſtudium, macerandi corporis curam, omnibus ſerviendi pronitatem, paſſim Sanctus adoleſcens audiret. E Seminario, incertum qua de cauſa ſemel eggreſſo; puer obvius nullo monente, in platea, ejus ſe genibus advolvit, ac veneratus eſt: accepto a circumſtantibus omine, eum aliquando iis ſimillimum futurum, quibus ob vitæ ſanctitatem, non vulgaris cultus debetur.

CAPUT SECUNDUM.

Religionis Tyrocinium, ſtudia, Sacerdotium.

RHetorica imbutus: anno hujus ſeculi ſexto, ætatis vigeſimo tertio Societatem Limæ ingreſſus, ſpem de ſe excitatam egregiis factis implevit. In Tyrocinio cœli Reginam bis ſpectaſſe, corque cum ea commutaſſe creditus eſt. Hieronyma a S. Franciſco, ſanctitatis fama Limæ inclyta, ſuæ conſcientiæ moderatori indicium fecit, Antonium Ruiſium cœlitus Paraquariæ deſtinatum, ſecuto eventu. Nam Didaco Torres, qui ut novam provinciam fundaret, peregre abiit; Tyro cum adhuc eſſet, traditus eſt. Cordubæ Tucumanorum nondum Sacerdos, inter literarum ſtudia Chriſtum juvenili ſpecie ſuper ara vidit. Sacerdotio initiatus, dum ad primum Sacrificium ſe pa-

rat,

rat, Virginem MARIAM, veſtes quibus ad aras operamur concinnantem, ſpectavit. In Odæo Franciſcanorum divina paſſus, tanto Indos juvandi deſiderio exarſit, ut interni motus vehementia pectus ei pluſculos dies doleret. Ex quatuor horis, quas mentali quotidie orationi dederat; unam in ea contemplatione poſuit, qui funeſti exitus, quospiam de Limanis ſodalibus exceperint. Ea cogitandi conſuetudine, ad gratitudinis partes, adverſus DEUM mire incaluiſſe fertur. Ab Chriſto Servatore, multa ad mores religioſe formandos didicit. Rebus agendis maturus: e Paraquaria in Gvairaniam, difficillima anni tempeſtate ad Apoſtolicos labores Superiorum voluntate abſceſſit.

CAPUT TERTIUM.

Primi in Gvairania labores.

IN Gvairaniam poſteaquam pervenit, cum Joſepho Cataldino, Paranapanei, Pirapi & aliorum fluminum pagos per littora diſperſos adiit: divinam ſementem ita fæcunde jecit, ut ſub manu lecta ſeges aſſurgeret: quam plurimos ethnicorum in oppida coegit, eorumque cœtus legibus temperavit. Hinc ad Lauretanam coloniam translatus eſt; ubi inter magorum ſceleratas artes, & inſidias mille, prædonum incurſus, rerum omnium penuriam, rem Chriſtianam magnopere promovit. Aticajem Caſiquium necem minitantem patientiæ artibus repreſſit. Indorum abactores, authoritate longo tempore cohibuit. Contra Gvairaniæ Miſſionis æmulos ad Aſſumptionis urbem miſſus, cum Sociorum præclaros labores retuliſſet, adverſariorum technas diſſolvit. In longiſſimo quadringentarum leucarum itinere, dum per deſertam, inter Paranam, & Paraquarium, terræ intercapedinem, nudis pedibus ingreditur, humique pluvio cœlo cubat; adeo vis morbi contraxit nervos, ut promovere greſſum non potuerit, Divus Ignatius opem tulit; cujus ſpeciem ſomniansne an vigilans viderit, incertum erat, certiſſima vox nihilominus allapſa eſt, qua jubebatur iter proſequi. Inter ea verba conſanatis nervis, eam firmitatem pedum conſecutus erat, ut itineris Socios præverteret. In Gvairaniam redux; adducendis ad Fidem barbaris, oppidisque rite collocandis omnem induſtriam impendit, cœleſtes plerumque inter illecebras; quamquam & triſtia intercurrerent, quod uſuvenire ſolet ſanctiſſimis pariter Viris. In vaſta ſolitudine inter Apoſtolicæ vitæ incommoda mæſto, Martinus Urtaſum nuper defunctus, cæleſti luce perfuſus apparuit, juſſitque ne animum deſponderet, cogitaret vero etiam: hanc eos, quam nunc videret, gloriam conſecuturos, qui in vinea Domini elaborarent.

A Canonico Paraquarienſi, tum (ſede vacante) Gvairaniæ Inſpectore; privatis de cauſis ad Aſſumptionis urbem, multorum menſium itine-

re, miſſus eſt. Reduci res accidit memoria digna: graviter ægrotabat adoleſcens optimis moribus, qui quanquam nihil admodum haberet expiandum; tamen importunis nunciis identidem Sacerdotem noſtrum acceſebat, interrogabatur, ut fit, num occulti pudendique ſceleris ſibi conſcius eſſet. Illo, in agone id negante, venit Ruiſio in mentem, ut percunctaretur num Chriſtianus eſſet? cui æger: *dudum*, inquit, *mihi nomen impoſui, cum in Hiſpanorum æde ſacra, Sacerdos aqua luſtrali plebem aſpergeret. Baptiſmum alium neſcio, & hunc mihi hactenus ſufficere putavi.* Errorem dedoctus a Ruiſio ſacro fonte ablutus, placide expiravit. Nec iſtud prætereundum: Ruiſio divina meditante: circumſonat aura diſtincta voce, ut quemdam matrimonio jungeret: vix preces finierat, adeſt Caſiquius, pellicatu obſtrictus, queritur: integram noctem inſomnem ſe duxiſſe, quod peregrina ſibi voce identidem moneretur, de conjugio Chriſtiano ritu ineundo; nihil dubitatum: vocem ab utroque auditam cæleſtem fuiſſe. Ab Indo edoctus fertur DEUM repræſentandi modum, quem deinceps ſuaviſſime uſurpabat. Quid porro per annos decem, quibus Cataldino ſubditus in Gvairania vixit, pro ſalute animarum fecerit, compendio dici non poteſt.

CAPUT QUARTUM.

Gvairaniæ Sociis præfectus, Ibitirambetanos conſtructo oppido includit.

IVerat ſub finem anni 1620. quadringentarum leucarum itinere ad portum Boni aeris, ſubſidiarios ex Europa Socios excepturus, traxerat ſecum ex barbara juventute Neophytos ſedecim, muſicam profeſſos, quorum concentum cum Europæi audiviſſent, vehementer ſunt admirati. In reditu, Ruiſii comites peſtis oborta multum diminuit; peſtem domuit Virginis Lauretanæ ſtatua, Hiſpani ſculptoris opus perelegans, namque ubi ea in oppidum invecta eſt, multi malo liberati ſunt. Mitigato jam cœlo, Ruiſius arduam ad Ibitirambetanos expeditionem ſuſcepit. Iter ſine idoneo duce ingreſſus, ſatis ſuperque per ſilvas errabat; cum tandem barbarus picto dæmoni ſimillimus ſe obtulit, pollicitusque eſt, Patrem in ſuum oppidum ſe inducturum; quod ne cum periculo Sacerdotis fieret, id unum volebat, ut ſuos præmonere antea ſibi liceret. At Ruiſius periculum improviſi adventus præmaluit, quam conſultandi locum barbaris dare; ergo præire juſſum pone ſequitur, tantumque prima collocutione effecit, ut frequentiſſimis Antropophagis per tuguria ſparſis vitam ſocialem, & oppidorum ſepta perſuaderet. Admovetur illico manus operi, cui cum alacres inſiſtunt omnes, ad remotiores populos fama rei pervenit, hi indignam rem rati, quod ſacrificulus advena, domeſticas religiones ſuo arbitrio miſce-

miſceret, collatis armis in Ruiſium proceſſerunt, necem illaturi; quam avertiſſe Superos patebat ex repentina animorum commutatione, quippe cum furore pleni veniſſent, ita ſubito pacati ſunt, ut ſua ipſi ultro nomina offerrent, Catechumenorum albo inſerenda. Quapropter eo loco numeroſiſſimum oppidum aſſurrexit, mille & quingentis poſtea familiis locupletatum.

Caput Quintum.

In Tajaobanæ regionis aditu, amiſſis comitibus, de vita periclitatur; apud Tucutin novam coloniam inſtituit.

Huibajus Gvairaniæ fluvius, in Paranam præcipitans, triginta ab oſtio leucis, Villaricam, Hiſpanorum urbeculam, & octo Indorum oppida ei obnoxia alluit. Supra hæc oppida præruptum præcipitium viſitur, quod Tajaobæ & confæderati Antropophagorum Caſiquii pro munimento, & finibus habebant. Sæpe Hiſpani eos populos armis aggreſſi, nunquam e prælio niſi accepta clade pedem retulerant, ut demum laceſſendi conſilia abjicerent. Ruiſius cœlo confiſus, non dubitavit ſacram expeditionem ſuſcipere. Ergo Didaco Salazario comite, octidui itinere ad Tajaobæ fines delatus, relicto in Villaricæ pagis Socio, ſuperatoque præcipitio ad primum Antropophagorum pagum evaſit. Et quoniam periculi magnitudo confluentibus undique barbaris & ariolis ſubito apparuit, quindecim Neophytis comitibus ſuis rite expiatis, ipſe in genua provolutus, ſe ſuosque Numini prolixe commendavit. Adſunt interea magorum & totius gentis Primores, quibus Ruiſius dum noſtra myſteria explicat, inter alia aſſeruit: *niſi Chriſtum agnoſcerent, æternis ignibus omnes arſuros.* Vix hæc protulerat, cum mentitum, & dignum quavis morte ſermonem protuliſſe barbari vociferabantur. *Moriatur*; inquiebant, *impoſtor, æternis nos pœnis devovens.* Nec mora: armatam ſuorum multitudinem, ex inſidiis evocant, atque apertam vim parant. Quod dum moliuntur, Joannes Gviraius, egregia in Ruiſium fide Neophytus ut periculo Patrem ſubduceret, fugam ſuaſit, quam cum precibus non impetraſſet, admota tandem ſuavi vi impulit. Vix fugam capeſſunt, cum undique ſagittæ volant. Primo telorum imbre ſeptem Ruiſii comites cecidere, reliquos pedum celeritas abſtulit. In fuga hac Joannes Gvirajus immortale facinus edidit. Etenim ubi hoſtium tela in Patrem remiſſius fugientem dirigi ex longinquo vidit, arrepta Ruiſii toga & pileo, in ſe hoſtium arma avocavit. Illo interea elapſo, ipſe quanquam innumeris ſagittis peteretur, tamen incolumis, cum reſiduis octo comitibus in denſiorem ſaltum ſe conjecit, evaſitque. Dum illic ſe mæſti circumſpectant, ac luto & ſanguine fœdati, per ſpineta correpunt, latitantque parumper in proximis fluvio locis, pulſum re-

morum audiunt. Crediderat Ruiſius hoſtile navigium eſſe. Itaque conjectis in cœlum oculis, Martyrii ſpe ſe complens, ſonum ſequitur ſeſeque adventantibus offert. Ecce vero duos ſeniculos cymbula expoſuit, qui ex amico pago venerant, ut Ruiſio periclitanti, ſi quam poſſent, opem afferrent. Creditum eſt, cæleſti impulſu id factum, quippe duarum horarum ſpatio, adverſo flumine, tantum itineris ſeniculi confecerant, quantum lacertoſi duo viri integro vix die percurriſſent. Acceptus in navigium, ſecundo flumine ad Villaricæ pagos pervenit, Salazarioque ſe conjunxit. Rurſum relicto illis terris (quod Sacerdote carerent) Salazario, Tajaobarum animos pertentare ſtatuit. Inde per eadem diſcrimina omne iter relegens, Gvairaniæ oppida reviſit, copioſo animarum proventu.

Nicolaus Durandus Provincialis, in Aſſumptionis urbe tum agebat, eum Antonius Ruiſius, ut provinciæ ſuæ rationem redderet, convenit. Mox Socio auctus Petro Spinoſa (qui poſtea a barbaris trucidatus eſt) Gvairaniam ſuam repetiit. Lubuit per iter ad intacta eatenus nemora digredi, ad ſilveſtres, ſi qui occurrerent, Indos. Cum unius jam diei itinere colluctarentur cum ſenticetis, adeo Spinoſa crus offenderat, ut nec progredi neque ad relicta navigia ſe referre poſſet. Ruiſius invocato Divo Raphaele viatorum Duce, compendiariæ viæ indicium cælitus accipere meruit, iterque dimenſæ diei, hora unica cum Socio ex vulneribus tardo confecit. Gvairaniam cum tenuiſſet, Tucutienſes ethnicos inviſit, quos adeo faciles invenit; ut quæ vellet, ſine mora impetraret, uſus animorum opportunitate & oppidi & templi initia poſuit, quod Divo Joſepho conſecratum eſt, ac Simonis Macetæ curæ traditum; cujus incredibili ſolertia, exigui temporis intervallo magna incrementa accepit.

Caput Sextum.

Iter per intacta nemora aperit; Tajatienſis oppidi fundamenta ſtruit.

Ut novellam hanc Joſephinam coloniam comercio quodam & amicitiæ uſu cum Xaveriana conjungeret, via erat aperienda quæ utrumque populum conferret. Interceſſerant ardui montes, ſilvæ denſiſſimæ nullis adhucdum veſtigiis ſignatæ, feroces barbari aditus faciebant infeſtos. Pertentavit tamen, & non levibus difficultatibus ſe implicavit. Poſt dies aliquot ob aquæ defectum, Sacrificio omnique præterea potu, triduo abſtinendum fuit. Forte in lignum inciderat, ad modum funium flexile, quod caſu ſectum aquam fuderat reſtinguendæ ſiti idoneam; tenera arborum folia prandium cœnamque fiebant. Poſt diuturnam luctam, ſauciis pedibus ad flumen perventum eſt, ne illic quidem ullius ſemitæ indicium reperit. Tum vero more ſuo in brachia divinæ providentiæ, Ruiſius ſe conjecit, id gaviſus unice (ut

poſtea

poſtea retulit) quod præter divinam opem, ſpes alia nulla eſſet ſuper, qua niti poſſet. Ea cogitatione dum ſe ſolatur, Indus Ruiſii comes corneam buccinam inflaverat, ad cujus vocem altera in adverſo littore inſonuit, eorum ſcilicet, qui ex Divi Xaverii colonia in Ruiſii occurſum veniebant, cum conveniſſent, impos ſui præ admiratione bonitatis divinæ exclamabat: *exi a me Domine, quia homo peccator ſum.* In Divi Xaverii oppidum inductus, Chriſtophorum Mendozam, & Franciſcum Diaſtanium, veritos, ne ab Antropophagis conſumptus eſſet, inſperato gaudio recreavit.

In Xaveriano oppido agentem, legati adeunt ab Pindovio Antropophagorum ferociſſimo miſſi, qui cum ante rebus Chriſtianis infeſtus eſſet, repente placidam mentem induit, ac per Caſiquios ſuos oppidum in ſuis terris collocari flagitavit. Audita legatione (quanquam plerique periculum denunciarent) Ruiſius aſſumpto in Socium Chriſtophoro Mendoza, iter adornat quartoque ab diſceſſu die Pindovii terras tenuit. Ab quo inter tympanorum buccinarumque lætos fragores, ac concurrentis populi acclamationem, in Sacellum extemporaneum inductus, datis DEO gratiis, circumſtantes opportuna oratione allocutus eſt. Finito ſermone Pindovius ſpopondit operam ſuam ad copioſum oppidum conflandum. Campus erat ob præterfluentem amnem, & pinorum frequentiam, quem oppido natum diceres; hic præcelſa cruce conſtituta, Sacrificio peracto fundamenta jacta ſunt; totaque futuri oppidi facies deſcripta. Quod domibus & Templo auctum ſub tutela Incarnati Verbi, ita crevit, ut ſesquimille familias aliquando complexa ſit, Chriſtianis ſacris initiatas. Stabilitis, ut fieri poterat, oppidi rebus, ad Acarajenſe Paranæ oppidum, per abrupta Gvairaniæ præcipitia Nicolao Durando Provinciali occurrit, eumque per Gvairaniam circumduxit, atque ex ejus voluntate ad novas colonias cogendas, oppidaque erigenda ſe accinxit.

Caput Septimum.

In Tajaobæ terris oppidum molitur; in fugam adactus, ſubinde multa agit memoratu digna.

MAgnus Tajaoba, Societatis propitia fama provocatus, binos e filiis ſuis perſonata ſub veſte, cum Maendio Caſiquio ad S. Xaverii coloniam miſerat, exploraturos; num vera eſſent, quæ de Patrum moribus circumferebantur. Franciſcus Diaſtanius non ignarus quid ageretur, Juvenes & muneribus, & omni officiorum genere ſibi multum devinxit, ad extremum rogavit, ut popularium ſuorum animos ad legem Chriſtianam capeſſendam inclinarent, quod cum facturos ſe recepiſſent, amice ab Diaſtanio divulſi ſunt. Ruiſius de omni re monitus maximis itineribus ad D. Franciſci municipium contendit, acceptis-

ptiſque ſecum paucis Neophytis ad Tajaobam feſtinavit. Tajaoba de Ruiſii adventu certior factus, barbara pompa obviam progreſſus, lætiſſimo complexu Patrem accepit. Poſt mutuas gratulationes confeſtim oppidi fundandi mentio injecta eſt, locuſque delectus, ubi nova colonia conſideret, ad ipſam nempe Huibai fluminis ripam. Ergo illic magnifica crucis trophæa trecentorum Indorum opera ſtatuta ſunt, Templi fundamenta poſita, familiarum ædes deſcriptæ, Virgæ (dignitatum inſignia) Catholici Regis nomine diviſæ, Magnus Tajaoba in Ducem inauguratus. Ejus filius natu maximus, militibus præfectus, Caſiquii: variis honorum titulis inſigniti. Octo & viginti Tajaobæ filii e variis pellicibus ſuſcepti infantes adhucdum, beneficium ſacri baptiſmatis obtinuere; adultior ætas ſpem accepit ſacrorum, ubi Chriſtianæ legis rudimenta percepiſſet.

Interea incantatorum conſilia id agitabant, ut trophæa Religionis everterent, Ruiſium e medio tollerent, fautores, receptoreſque Patrum pro hoſtibus haberent. Cum factio in dies vires ſumeret, ex occultis cuniculis in lucem prodiit. Paſſim conjurabatur in magnum Tajaobam, veluti rerum novarum caput & præcipuum fulcrum. De Ruiſio id ſancitum, ne quis ei violentas manus inferret: pronunciaſſe dæmonem; vivum in manus venturum, ſolenni epulo poſtea mactandum. Tajaoba periculi magnitudine animadverſa, Ruiſium intempeſta nocte adit, baptiſmum ſibi, ac quibusdam aliis, antequam cum hoſtibus experiatur, conferri flagitat. Ruiſius, myſteria edoctos, cœleſti lavacro tingit, & communit. Ante ſolis ortum, conſertum eſt certamen; calente pugna Ruiſii comes & Sacrificantis miniſter, cum B. Virginis effigiem a veteratore vi raptam, dentibus & ungue concerpi videt, ac ſcelus ulciſcitur, captus eſt, & honeſtiſſimam pro cœlorum Regina mortem oppetiit. Ingruente interea hoſtium numero, Ruiſius per denſiſſima nemora lacera veſte ac cute, cum paucis in tutum ſe recepit. Amnes eoſdem iterum ac ſæpius tranſmiſit, ut incertis veſtigiis illuc atque huc referentibus, hoſtes inſequentes falleret. Arborum foliis igne toſtis, fungis, herbarum radicibus victitabat, id faſſus, foliola ſua, citra imaginationum præſtigias, haleculas igne toſtas ſibi viſas fuiſſe. Cum per varia diſcrimina ad amicum pagum delatus eſſet, Nicolao Tajaobæ (id enim nomen nupero baptiſmo acceperat) fugæ comiti in mandatis dedit, ne ea ſtatione decederet, priuſquam reſtituendæ rei ſpes melior affulgeret. Villaricani ipſis his diebus, tumultu cognito, armatis in vindictam quingentis Neophytis, Ruiſio & Salazario præſentibus, ne qui ſub belli ſpecie damnum amicis inferrent, hoſtes invadunt, fuſis fugatiſque, pagum omnem, ubi belli arena erat, baptiſmo initiavit. In expeditione hac, res accidit hoc loco commemoranda: everſis hoſtium caſtris, ollam carnium miles ad Ruiſium retulerat, ferinam arbitratus Pater, urgente fame deguſtarat. Ecce vero dum furcellis fundus vertitur, caput, pedumque humanorum pars profertur, ſummo circumſtantium horrore, ac de-

mum

mum conſtitit: membra artusque pios eſſe ejus æditui, quo Ruiſius in ſacris utebatur, quemque captum ſupra & Religionis cauſa peremptum commemoravi. Hunc nefarii homines ſuæ gulæ deſtinarant. Pedem Ruiſius ex ſcelerato loco retulit, atque ad inſpicienda Gvairaniæ oppida Socio Salazario commigravit.

CAPUT OCTAVUM.

Tajaobæ terras iterum ingreditur; JESU-MARIANAM coloniam cogit.

PErluſtrata Gvairania, rurſum animum adjecit ad afflictas & jacentes Tajaobæ terras Chriſto ſubjugandas; conſilium læta fama promovit. Ferebat illa & Tajaobam, & Piraquatiam & præcipui nominis Caſiquios per ſeſe id unum moliri, ut hoſtes Chriſtianæ legis quam longiſſime arcerentur, oppida, quæ nupero tumultu procubuerant, rurſum ſurgerent. Alacri igitur animo urget propoſitum iter, ſeque admovet eorum finibus, quod ubi Tajaoba cæterique cognoviſſent, Ruiſium priores adiere, congruebant mirifice omnium conſilia, ut ſpretis periculis, oppida ſarcirentur, repagulaque adverſum vim hoſtium fierent opportuna. Quod ne ſine auſpiciis fieret, Ruiſius ad ſacram ſolitudinem ſeceſſit, ac ſeptem hebdomades ad honorem ſeptem Angelorum Principum, ſeptem quotidie horis in oratione mentali vacavit; voto nuncupato, ſi res proſpere evenirent, primum, quod in Tajaobæ terris oppidum naſceretur, iisdem Archangelis ſe dedicaturum. Exercitiorum tempore, longum foret dicere, quantis intus pugnis, foris timoribus vexatus ſit, dæmone ad terrores augendos, ipſum ſe viſendum præbente. Hos excepere cœleſtia oſtenta, quibus magnopere impelli ſe atque in propoſito confirmari ſenſit. Viſus nempe ſibi eſt cum duobus aliis e Societate, in immenſa planitie verſari, alcium atque aliorum jumentorum armenta, quæ miro fulgore micabant, ſubmiſſis capitibus ad ſe ventitare, tum vero Sociis ſpectaculo lætis imperaſſe, ut armenta cingerent, atque ad Templum ſplendidum agerent, quod dum feciſſent, jumenta omnia, nullo fuga elapſo, Templo recepta, atque incluſa fuiſſe. Tum læta rerum imago evanuit, ſucceſſere nuncii, qui referebant, magnam vim hoſtium periiſſe, nullo necis authore reperto.

Evoluto piarum exercitationum tempore, tenui viatico, araque portatili inſtructus in viam ſe dat, id ingeminans: *aut vincendus dæmon eſt, aut moriendum.* Aliquot poſt dies Tajaobam obvium nactus ſeptem Archangelorum effigie donavit, monebatque ut palam pro pectore ferret. Ipſe amiculo lineo & ſtola ornatus, implorata Virginis intemeratæ ope, loco, quem animo deſignarat, ſucceſſit. Ubi cum pauciſſimos Indos reperiſſet, Tajaobanæ factionis hominibus metu hoſtium (qui iteratam inva-

vaſionem meditabantur) diſperſis , novus timor Ruiſii animum ſubiit. Ad quem propulſandum , precum clipeo ſe muniens, per novem dies continuata pietate in illius myſterii memoriam, quo Virgo Sanctiſſima Incarnatum Verbum totidem menſibus in utero geſtavit, cœlum precibus pulſabat. Iterum pia hæc, obturbarat dæmon: nunc canis ſpecie, nunc alia ſub larva minitans, ſemper repulſus, ac demum victus. Id præterea feliciter evenit, ut communes Evangelii hoſtes animis disjungerentur; quæ res locum dedit verbi divini proſeminandi, & ædiles curas promovendi. Itaque DEO auſpice Ruiſius locum Templi defigit: aggregat populum, oppidum condit ſeptem Archangelis dicatum: novellam rempublicam magiſtratu firmat. Cum jam aræ focique ſtetiſſent, animarum curas redorſus; quingentos de omni numero ſua manu abluit, atque ampliſſimum oppidum Petro Spinoſæ regendum dedit; ipſe campeſtres expeditiones ſecutus.

CAPUT NONUM.

Ad coronatos Indos expeditionem ſuſcipit; Gvalachos erudit.

CAmpeſtres Gvairaniæ populi, *coronati* & *capillati* idcirco dicuntur, quod viri fœminæque promiſſam ad humeros comam, orbiculatim in vertice radant. Horum aliqui Tajaobæ exemplo permoti, nunciis ad Socios miſſis, vehementer flagitabant Chriſtianæ doctrinæ Magiſtros. Re comperta Ruiſius per Incarnationis oppidum, Franciſco Diaſtanio comite iter ad eos capeſſivit. Itum eſt exiguo Neophytorum comitatu, nunc per abrupta, alias per ſubmiſſam faſtigio planitiem, paludoſaque loca. Octiduum jam proceſſerant, cum obvios habuere coronatos aliquot, Chriſtiani nominis amicos, qui anheli nunciabant Gvabairum potentem Caſiquium, audito Sociorum adventu, multos ſuorum, in partes traxiſſe, factaque conſpiratione, inſidias in proximo nemore poſuiſſe: pedem referrent, ni perire mallent. Qua re intellecta: torto itinere unde venerant, redierunt; expeditione in aliud tempus dilata.

A coronatis ad Gvalachorum regionem operam Patres tranſtulerunt, paulo lætiore eventu; namque & amiciſſime ab ea gente accepti ſunt, & omnium ordinum atque ætatis homines baptiſmo admovere licuit, tantoque ferventius ſacra illi hæc exoptabant, quanto plus cœlo demiſſa lues iis diebus deſæviit. Expetebatur interea calentiſſimis votis a Chiquitorum populo, qui trans flumen degunt, Sacerdotum noſtrorum copia; ut per eos erudirentur, iisque metatoribus oppido donarentur. Neutrum obtinuerunt, ſpes tamen facta, ut, ſi juſto numero concurrerent, oppido olim potirentur. Dum ſatagunt ſuarum partium Chiquitores, ſeſeque aggregant ex fide data, Patres peſte contactis, conſtanti octo men-

ſium

ſium labore omni ope affuere. Tum, ut fidem exolverent, ad Chiquitores Ruiſius ac Diaſtanius abiere. Locus commonſtratus eſt oppido idoneus, in terris Cohe Caſiquii, quinque filiorum patris, quorum ſinguli ſingulis pagis præerant. Hi in unam coloniam oppidi ſpe accepta coierant, multique circum viculi acceſſerant. Igitur magnò barbarorum concurſu, erecto ſimulacro Chriſti e cruce pendentis, oppidi fundamenta jacta ſunt, ſub titulo Immaculatæ Conceptionis. Vix dum auſpicatus lapis ponitur, Curitus Gvalachorum potentiſſimus, Magni nomen apud ſuos pariter, atque Hiſpanos adeptus, Ruiſio hortante cum centum aſſeclis ad locum venit, & non ſine ſpebus dimiſſus eſt. Poſt Curiti diſceſſum, quod e ſuperiori Gvairania ad Gvalachorum provinciam iter eſſet circumflexum; Ruiſius, pertinaci labore per intactas ſilvas novam viam aperuit, ut quatridui compendio deinceps commeare uterque populus poſſet.

Caput Decimum.

Conciliato non nihil Gviravera, JESU-MARIANUM oppidum inchoat cum quatuor aliis coloniis.

PEr ſua hæc compendia Ruiſius ad Gviraveram ariolorum principem recta tetendit, ut hominem Chriſtianis ſacris obnitentem ac præferocem, ad aliquem pietatis ſenſum commoveret. Is ſuis aſſeclis denunciarat, nihil ſibi jucundius accidere poſſe, neminem ſuavius ſibi blanditurum eo, qui Ruiſium laqueis irretitum, tum aſſum ſuo palato obtuliſſet. Præter ſpem bellua hæc in caſſes ſe ipſam induit. Nam cum dæmon in vulgus ſparſiſſet, ex Pithagoræ diſciplina animas in corpora divagari, atque Quaracitii olim apud Gvairaniæ populos pro DEO habiti animam in Antonii Ruiſii corpus demigraſſe, Gviravera novi DEI videndi ſtudio ad Divi Pauli oppidum ſe contulit, ubi Ruiſius Apoſtolico munere fungebatur. A quo cum omni officiorum genere coleretur, miteſcere viſus eſt ac mente conſanari, ut adeo de deducenda ad ejus terras colonia a Sociis conſultatum eſſet. Quod dum agitant, literæ Ruiſio redduntur, quibus ferebatur Incarnationis oppidum a Mamalucis latronibus infeſtari. Quamobrem Gviraveræ negotio dilato, ſumma celeritate ad propulſandam injuriam ſe comparavit. Repulſis Mamalucis rediit ardor Gviraveræ regionem ſalutandi, factum id eſt fortuna præter ſpem ſecunda, ſiquidem nemine refragante connitentibus omnibus, oppidi initia ducta ſunt, quod deinde ſub tutela JESU MARIÆ, & Simonis Macetæ ſolertia, ita increvit; ut cæteras inter Gvairaniæ colonias facile emineret.

Mamalucis alibi furentibus, Ruiſius aſſumpto in Socium Chriſtophoro Mendoza, ad campeſtres Indos procurrit, eosque inprimis qui Ibiti-

runam montem accolunt , ad oppidum conflandum impulit , ſtetitque illud non longe poſt ſub nomine S. Michaelis bis mille capitibus locupletatum. Hinc unius diei itinere ultra progreſſus , aliud e manſuefactis barbaris molitus eſt, Divo Antonio Monachorum Patri conſecratum , atque iſtud Petri Molæ Apoſtolicis conatibus ita auctum eſt , ut primo bimeſtri , bis mille quingenta capita cenſuerit. Eodem fortunæ curſu ibant res in Tajaobæ terris , in quibus , auſpiciis Antonii Ruiſii , Franciſcus Diaſtanius S. Thomæ oppidum conſtruxit octingentas familias complexum. Denique eodem fere tempore apud Gvalachos S. Petri coloniam ejusdem ope Cataldinus poſuit.

CAPUT UNDECIMUM.

In deſtructione & transmigratione Gvairaniæ multum laborat, & oppida reſtaurat.

JAm tredecim oppidis ſuperba, caput extulerat Gvairania, ſpesque erat futurum, ut univerſa provincia in gremium Eccleſiæ convolaret; cum proſperis rebus irritata ſtix , per Mamalucos florentiſſimam regionem labefactavit. Pleraque oppida, inſano furore correpti prædones, aut funditus everterunt , aut ita fœde dilacerarunt, ut ſolum mutandum fuerit. Quid porro ea migratione & temporum acerbitate Ruiſius egerit , ac pertulerit, diffuſe alibi commemoravi. Miſeræ barbarorum reliquiæ, per Patres, quinquaginta leucarum itinere ad Paranam deductæ ſunt , has ipſas copiolas peſtifera lues corripuit, tum dira fames, maligna ſtatio, viarum difficultas ita conſumpſit, ut ex tredecim confertiſſimis oppidis, quatuor admodum millia ſupereſſent. Ac qui quidem mortales exuvias malo victi depoſuerunt , Ruiſii ac Sociorum opera rite omnes comparati fuere ad mortem. Cum cœlo ſalubritas rediiſſet, ſuperſtites Ruiſius collegit, & in duo oppida diſpeſcuit, ut famem depelleret, ea pecunia, quam Rex Catholicus Sociis in annos ſingulos addixerat, & item ex divendita , deſertorum Gvairaniæ oppidorum ſupellectile, aliquot boum millia coemit, cæteraque ſeu fomenta ſeu commoda accuravit, ut demum tralatitiæ illæ coloniæ, aliquid priſtinæ claritudinis ſub Magnæ Matris Lauretanæ, & D. Ignatii tutela rurſum indeptæ ſint. Confirmatis duobus oppidis Ruiſius præfuit; donec rurſum Sociorum omnium Præfecturam invitus capeſſeret.

CAPUT DUODECIMUM.

Sociis omnibus ad Paranam & Urvaicam, & in Tapenſi provincia degentibus præficitur; in Hiſpania non pauca a Rege Catholico obtinet.

MEnſe Junio anni 1636. Antonius Ruiſius Gvairaniæ diuturna Præfectura clarus, Sociorum omnium, qui per Paranenſem, Urvaicenſem, & Tapenſem provinciam vineæ Domini percolendæ inſtiterant, regimen ſuſcepit. Initium Præfecturæ funeſtaverant Mamalucorum irruptiones, qui Tapenſes & Urvaicenſes novis cladibus affecerant. Trepidabatur undique, fumabant oppida, volitabant tela, reſtagnabant occiſorum ſanguine ædes ac fora, Neophytorum, Catechumenorumque catervæ revinctis ferro manibus in ſervitutem trahebantur. Auxit metum Ruiſius ipſe, cui cœlitus revelatum fuiſſe ferebatur, Urvaicenſia oppida, Sociorum labore fundata, loco motum iri. Eoque res devoluta eſt, ut cum Tapenſem regionem belli flamma jam involveret, Ruiſius præciperet, Paranam verſus fugam adornari. Didacus Boroa provinciæ Præſes in immenſum jam aucto Mamalucorum furore, id demum decrevit, ut Ruiſius miſerrimæ cladis locuples teſtis, in Hiſpaniam navigaret, ad Regem Catholicum Senatumque Regium de omni re referret, conſilium opemque flagitaret.

Anno 1637. e portu Boni aeris ſolvens, pacato mari ac ſecundis ventis uſus, Januarienſem Braſiliæ portum non longe poſt intravit. In Luſitaniam vectus, claſſiarios inter, qui lites ſuas armis dirimere parabant, concordiam ſtabilivit. Uliſſipone Matritum proficiſcens, morbo periculoſo conflictabatur, ex quo, ope Divi Ignatii per viſum ſe oſtentantis, convaluiſſe memoriæ eſt proditum. Matriti Philippum IV. Regem Catholicum, pium, facilemque in vota reperit; qui poſtquam libellum querelarum adverſus Mamalucos evolviſſet; præter alia multa, juſſit Indos omnes ab Mamalucis abactos libertate donari, reos, læſæ Majeſtatis pœnis caſtigari. Renovata item ſunt decreta contra eos, qui Indorum ſervitiis *perſonalibus* abuterentur. Sancitumque, Indos Societatis opera reductos, ab privatorum ſervitiis liberos, Regi duntaxat Catholico fieri oportere vectigales. Id demum Clementia Regia addidit, ut barbari recens ad Fidem converſi, ante vigeſimum a ſuſcepto baptismo annum, tributum Regi ne pendant. Matritana commoratione: Vocabularium, artem Grammaticam, Catecheſim lingua Gvairanica abs ſe compoſita, typis excudi curavit, magno Paraquarienſium Sociorum commodo. In Hiſpania fæminam DEO ſacram a tribus dæmonum legionibus (ut ferebatur) inſeſſam, legitimis Eccleſiæ precibus, priſtinæ tranquillitati reſtituit. Primi Ordinis Virum, Atheismi inſania evolutum DEUM agnoſcere, ac vereri docuit, atque ad obeundam pie mortem diſpoſuit. Confectis, quæ volebat negotiis Uliſſiponem abierat, vela facturus

ſturus in Americam, cum triſtiſſimi nuncii occurrunt, de iterata Mamalucorum invaſione, Januarienſi tumultu, Neophytorum vexatione, depulſione Patrum. Quocirca Matritum repetens, nova diplomata impetravit, quibus urgentiora remedia Prætoribus Regiis ad tuendos Indos imperabantur.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

In Americam navigat & Limæ moritur; cæleſtes ejus favores.

REgiis mandatis inſtructus, Hiſpali ſolverat Peruviam petiturus. Limam cum appuliſſet, commendatione Principum fæminarum, quæ Matrito de ejus virtutibus reſcripſerant, Proregis favorem adeptus eſt, quo factum, ut ſancita Regia ad Magiſtratus provinciarum delata, pro conditione temporum vim ſuam obtinerent. Limæ detentus, ad lites contra Societatem Paraquarienſem obortas componendas, per aliquot annos commoratus eſt. In Tucumaniam ſubinde profectus, vix dum contigit, ab Provinciali literas accepit, ut Limam reverteretur. Ergo confectis itu redituque leucis mille; iter omne relegit, ibique deinceps Paraquariæ res apud Proreges, Prætores, cæteroſque Magiſtratus accuravit. Anno demum 1652. æt. 70. magna ſanctitatis fama mortem obiit. Extremum diem non unis indiciis præſciviſſe creditus eſt. Petrus Urracus vir integra fide, ac nonnemo alius, defuncti animam gloria circumfuſam in cœlum eniti conſpexere. Ejus reliquiæ, ipſo contactu, repentinam ægris ſanitatem attulere.

Perſæpe Ruiſio Chriſtus viſendum ſe præbuit, ſæpe ad regendas vitæ humanæ actiones documenta dedit. De Beatorum ſtatu, attributis divinis ſecreto erudivit. Reginæ Cœlorum prope familiarem dixero, toties illa ægrotanti, mærenti, ab dæmonibus vexato, perplexo, ardua meditanti, ſanitatem, ſolatium, præſidium, conſilium, magnos animos attulit. Divum Parentem Ignatium bis medicum habuit. In Gvairania, ab Angelo appellari ſe, dicique ſibi audivit: *Antoni, magnum nomen tuum eſt in cœlis!* alias a binis Angelis Limæ didicit, dona ſibi cœlitus data fuiſſe, non ut aularum lucem ſecutus, Principibus viris operam commodaret, verum ut toto orbe ſemotis Indis opem ferret. Tutelarem Genium creberrime præſentem ſenſit, & monentem, ut ad orandum ſe accingeret. Rem ſacram facienti, Archangelorum Princeps Michael chorique cœleſtes, ſpectabiles affuere. Animæ e luſtralibus ignibus ſæpe viro ſupplices ſe ſtitere. Dæmones miris terriculamentis occurſantes, invocata Divæ Virginis ope diſpulit.

Caput Decimumquartum.

De ejuſdem caſtitate, tolerentia, aliiſque virtutibus.

CAſtitatis laude inprimis enituit, mulierem ſibi clam inſidiantem detecto (Angeli monitu) dolo, ſevere abs ſe repulit. Ad puellam ægram evocatus, adduci non potuit, ut ulcus cum fauſta apprecatione contingeret; quod cœlitus didiciſſet, herba ſub illa pietatis, anguem ſtygium latere. Dæmon aliquando, injecto peregrino veneris igne, ejus corpus adeo vehementer inflammavit, ut adhibitis fruſtra domeſticis remediis, ad inuſitata auxilia fuerit confugiendum. Res ſic acta eſt: Paraquaria formicas, Europæis quadruplo majores gignit; quas Joannes Rho, Ruiſii factum commemorans, ſquillis comparat: hæ ob acres morſus intolerabiles ſunt. Ergo qua innumerum earum fervebat agmen, nudo corpore ſe injecit, donec reſtincto igne tota cute cruentus ac dilaniatus, victor aſſurgeret. Quoniam vero formicæ, aſperis morſibus mollia ventris pene diſruperant, ut viſceribus imminerent, angi vexarique animo cœpit, quod ſe mortis periculo ultro objeciſſet; demum ea cogitatione ab hac moleſtia ſe expedivit; quod caſtitatis theſaurus, adito quocunque diſcrimine propugnari poſſit. Aliud ejusdem virtutis exemplum alias exhibuit: cum enim maligno loco ſomnum caperet, nocturno frigore, contractis in pede nervis, vehementer laborare cœpit, morbo id erat remedium, ut pes aliena manu fricaretur. Obſtabat votum, quo ſe obſtrinxerat, neque tangere quenquam, neque tangi a quoquam, dum id in ſua poteſtate eſſet. Ac proinde hinc acre malum flagitabat remedium, inde repugnabat voti vinculum. Animo in has partes diſtracto, noctem totam in æſtu quodam cogitationum inſomnem duxit. Tandem obfirmato voti propoſito, vitæ diſcrimen adeundum conſtituit potius, quam ea religione decedere. Id cum apud ſe exegiſſet, in ſomnum prolapſus arcte indormiit. Rupit quietem dæmon ac teterrimas larvas objecit, id identidem opprobrans, quod tam ferreus & pertinax eſſet, verum Ruiſius contumeliis oneratum abs ſe abegit. A Divo Ignatio caſtigatum ſe fuiſſe candide faſſus eſt, quod æger, detecto crure jacuiſſet.

Poſt migrationem Gvairanicam, nonnulli; ipſe adeo provinciæ Præſes, Ruiſium nimiæ timiditatis ſugillarunt, tanquam præcipiti conſilio actus, eam fugam adornaſſet. In promptu erant tela, quibus objecta retunderet, maluit reſorbere injuriam, quam declinare. Accuſatus ſub idem tempus eſt, quod literas Provincialis, alteri inſcriptas, admiſſo grandi piaculo, & tantum per Majores expiando, reſignaſſet. Eapropter Præſes ad Ruiſium ſcripſit, ut ab tanti criminis infamia ſe purgaret, ni pœnam mallet: Ruiſius ad hæc tacuit; gravesque pœnas dedit, conſtitit haud longe poſt, non ab Ruiſio, verum ab alio, cui ipſe provin-

ciæ

ciæ Præſes reſerandi ſuas literas poteſtatem fecerat, fuiſſe apertas. Qua re vulgata, inſignem, ut par erat, laudem ab omnibus eſt conſecutus. Atque ne neſcias heroica ejuſcemodi facinora magno conſtare; ob colluctationem naturæ infamiam reſpuentis, ſanguinem omnem corrupit, ac valetudinem afflixit. Qua recuperata dum ultra vires enititur, herniæ malo infeſtari cœpit, ita cum tempore aucto; ut inteſtina pene diffluerent. Crudum per ſeſe vulnus, dæmon ſpectabili forma apparens, ita fæde baculo percuſſit, ut viſcerum retinacula rumperentur. Ex deſperato malo non diu poſt, cicatricibus coeuntibus, ope Cœlorum Reginæ non ſine miraculo convaluit.

DEI, proximique amore ſingulari, diu noctuque ardere videbatur. Libellum conſcripſit: *Illicem amoris* nuncupatum, gravium in America Virorum authoritate comprobatum. Iisdem illiciis inſtinctus, arduos ſuos conatus, labore periculisque ſpretis, obfirmato animo ad exitum perduxit. In Gvairania loquacia defunctorum ariolorum cadavera præſentiſſimo vitæ diſcrimine adito diſturbavit. In eadem provincia, oppida decem per ſeſe partim, partim ſuorum, quibus præerat, opera, incolis, rebusque ad vitam communem traducendam neceſſariis inſtruxit. Cum privatus eſſet, iis ædificandis, fingendis, ad opportuniora loca transferendis utile ſtudium contulit. Id enitebatur maxime, ut Templorum cultus, Neophytorum numerus creſcerent; ut miſerorum inopiam relevaret; Socios in acerba illa temporum calamitate ſolaretur. Quoad per ſtudium divinæ gloriæ, ſalutisque alienæ licebat, hominum conſuetudinem fugitans, cum DEO tempus omne exigebat. In Indiis goſſipinam veſtem male tinctam indutus, neque ſolibus ardentibus, neque hyeme rigente cultum mutavit; curioſam ſupellectilem totis animis averſatus eſt. Dona Principium, ad relevandam miſerrimorum egeſtatem derivavit. Cœlitus didicit: eminentiſſimam paupertatem in eo ſitam eſſe, ut deliciis, quæ ad ſenſum pertinent, corpus animusque privetur. Quanquam cœlitus immiſſas illecebras admitteret, paupertatis tamen, quam nunc depinxi, ſtudio, & his voluptatibus animum abdicare velle; judicabat ſanctum piumque eſſe. Ciliciis, flagellis, humicubationibus, & id genus corporum tormentis ſeſe afflictabat aſſidue. Exercitiis Divi Ignatii cum ſe excoleret, unum duosque panes inferebat cubiculo, his ſolis victitabat toto octiduo. Singillatim percenſere divinas colluſtrationes, oſtenta cœleſtia, arcana monita, ſtupendos orationis effectus, conſcientiam Viri ſæpe divinitus ſerenatam, collocutiones cum DEO mirificas; longum foret, & ab inſtituto meo aberrans. Qui copioſius de his ſcire volet, Franciſcum Xarque adeat, elegantem ac plenum Ruiſii laudatorem. Iſtud prætermitti a me nequaquam poteſt: Antonium noſtrum ſumma apud omnes Ordines authoritate atque gratia valuiſſe: ab Rege Catholico plus vicies clementiſſime ad colloquium admiſſus eſt. Peruviæ Proregi in paucis charus, Epiſcopum Cusquenſem & amantem ſui & luculen-

culentum laudatorem habuit, dicere ſolitum: *Ruiſii Sanctitatem minime vulgarem eſſe.* Epiſcopus Gvamangenſis, ut ad Diœceſim ſuam, utiliſſimum Virum pertraheret; quadringentorum aureorum cenſum pro adornanda Miſſione obtulit. Paraquariæ demum Societas tantum ei debet, quantum ex ejus fama, virtutibus, factis heroicis, laboribus Apoſtolicis, laudis eſt conſecuta. Defunctus cum efferretur; Prorex Peruviæ, & Senatores humeros ſuppoſuerunt. Nec defuere poſt Viri mortem portenta; quæ ejus ſanctitatem latius vulgarent.

MARTINUS XAVERIUS URTASUM
POMPEJOPOLITANUS.

De ejus vita, morte, virtutibus & apparitionibus.

ANtonio Ruiſio, Xaverium Urtaſum, ejus in laboribus Apoſtolicis Socium, admodum juvenem ſubjungo. Locum ſibi inter Heroes aſſeruit ante annorum maturitatem; mira vitæ innocentia, ardentiſſimo ſtudio propagandi Religionem, ſpretis ampliſſimæ familiæ honoribus. Pompejopoli in Navarra natus, clariſſimæ Urtaſanæ domus hæres & dominus, Xaverianam familiam ſanguine contigit. Adoleſcens trium millium aureorum annui cenſus hæreditate dimiſſa, obluctante quantumvis Matre, & magnas ſpes ex propinquo oſtentante, Societatem noſtram amplexus eſt. Ambienti unam ex Indicis provinciis, reclamante aula Matritana, Medicis adeo ipſis imbecillam valetudinem cauſantibus, Paraquaria obtigit. Linguæ Indicæ peritiam conſecutus, egregiam Neophytis & Catechumenis in Gvairania operam præſtitit, ad diſſita loca procurrens, ubi rectæ Fidei capita, & Chriſtianæ vitæ præcepta rudibus explanavit. Sesquiannum in his laboribus poſuit, cum peſtis graſſata ægris miniſtrantem repente occupavit.

Ex morbo languenti, in extremo hoc orbis angulo, ſtragula ad cubandum, & pharmaca, cibusque idoneus, & reliqua ægrorum ſubſidia defuere: ne panis quidem fruſtulum repertum, quod appetenti præberetur. Farina lignea olida, & id genus inſulſi atque inſipidi edulii primæ cupediæ fuere; atque tamen, cruentæ mortis cupiditate, querebatur in lectulo ſe molliter mori. Antequam fatis cederet, id dolere unice videbatur, quod ob intervalla locorum (ducentis quippe leucis Aſſumptionis urbs, cæteræ quingentis aberant) Sociorum ſuffragiis diu-

tius cariturus eſſet. Eum recreavit Antonius Ruiſius, ſpondens: quinquagies ſe pro ejus anima ſacrificaturum, inque gratam vicem ab moriente petiit, ut cœlo receptus, ac Virginem Matrem pro ſe veneratus; ejus amoris augmentum flagitaret. Mirum dictu! nona poſt ejus mortem hora, Ruiſio ſpecies cujusdam urbis prorſus cœleſtis objicitur, ſecuto ex ejus contemplatione tenerrimo in Cœli Reginam ſenſu, quem ne amitteret, catena ferreis cuſpidibus horrida ſe arcte incinxit, ac tamdiu cruciavit, donec in morbum delapſus eo tormento corpuſculum vexare a Majoribus prohiberetur.

Præter avitum ſanguinem, mortisque genus, multa erant Martino Urtaſum cum magno Xaverio communia. Virginitatem quippe nulla macula contactam ſepulchro intulit, animamque authori reddidit ab omni lethali labe puram. Obedientia fuit integerrima, ut moriens affirmate diceret, nihil ſe in omni vita a Majorum juſſibus transverſum egiſſe. In Gvairaniam profectus cognatæ virtutis imitatione, ne libellos quidem, quibus pietatem alere conſverat, ſecum abſtulit. Scopuloſa ac bene longa itinera nudis pedibus factitare ſolebat, ſervulum febricitanti ſibi aquam clam offerentem repulit ajens: *ne guttulam quidem ſe libaturum, niſi de voluntate Superiorum.* Diu poſt mortem ſpectandum ſe præbuit ea corporis poſitione, orisque conformatione; ut ſi Indos docere vellet Fidei rudimenta: diceres e cœlo conatum, Sociorum in terris paucitatem adjutare. Caſiquium per viſum cœli atria ingredi volentem, Martinus Urtaſum fulgenti ſpecie occurrens ſevere arcuit, dicens: *civitate illa, eos tantummodo donari, qui fide integra peccata depoſuiſſent*, ſimulque homini indicavit inexpiata, ſaluberrimo effectu. Joſepho Cataldino (ut ſupra commemoravi) opportunam e cœlo opem tulit, territo invaſore. Antonium Ruiſium ſolitudine, cæterisque vitæ incommodis mœſtum erexit, his prope verbis: *me intuere, atque hanc, qua circumfundor, lucem cogita; eam, modo forti animo ſis, & in arena Apoſtolica conſtanter enitaris, conſequere.* Idem Ruiſius, ſpectavit alias fracto in ſpeciem cœlo, ſedenti ſimilem, & mire corruſcantem, cum hac voce: *Martinus Urtaſum ob labores ea gloria dignus inventus eſt.* Hæc de noſtro Paraquariæ Xaverio anno ætatis vigeſimo ſexto extincto, ſatis eſſe arbitror. Petrus Gusmanus in præludio vitæ S. Franciſci Xaverii, Navarræ Heroibus addidit, Joannes Rho variæ ſuæ virtutum Hiſtoriæ admodum decore inſeruit. Ego propiore jure Illuſtribus Paraquariæ Viris intexendum putavi. Illatus tumulo eſt anno hujus ſeculi decimo tertio.

DIDA-

DIDACUS SALAZARIUS HISPANUS.

Caput Primum.
De ejus Patria, Parentibus, Religionis initiis, & navigatione.

Didacum Salazarium, Indicarum Miſſionum, in quibus quadraginta ipſis annis, extra Hiſpanorum urbes cum laude verſatus eſt, ſingulare decus, ab Antonio Ruiſio non longe ſemoveo; compendium rerum dicendarum facturus. Cum enim in Tajaobanis, & Ibitirambetanis, aliisque expeditionibus, individuus comes, laborum periculorumque conſors fuerit, inde repeti pagina verſa meritiſſimi Viri laudes poſſunt. Idcirco ea duntaxat perſequar, quæ diſcreta a cæteris, ac propria Salazario reperero. Illum Giennium Bœticæ urbs inclyta mundo dedit, nobilibus ac copioſis parentibus natum. Adoleſcens deſiderium Indicarum Miſſionum, cœlitus hauſit. Ad Societatem noſtram facilem aditum nactus, confecto Religionis Tyrocinio, ſtudiorumque curriculo in Americam navigavit. Cum e Granatenſi urbe Hiſpalim contenderet, modico flexu ad parentes pervenire poterat, qui ſummis votis deſiderabant, filium longe abiturum, extremum videre ac complecti, Salazarius Xaverianis veſtigiis inſiſtens nunquam adduci ſe eſt paſſus, ut quicquam omnino carni aut ſanguini daret, atque ad patrios lares reviſendos de via deflecteret. Navigatione Indiæ Quichoanam linguam didicit. In portu Boni aeris paululum commoratus, in Gvairaniam quadringentarum leucarum itinere deſtinatur.

Caput Secundum.
Apud Gvairanios, & Gvalachos Apoſtolum agit.

Gvairanica lingua adjutus, ſeptennium in S. Ignatii colonia exegit; præcipuum ſtudium poſuit in barbaris perquirendis, cicurandisque. His tanquam rudimentis exercitus: longiores procurſiones ſuſcepit, quas ita deinceps per vices accumularat, ut ſingillatim omnes percenſere, quove peracta ſint fænore, deſcribere, arduum foret. Sylvarum penetralia, ripas fluviorum, luſtra ferarum perſcrutatus eſt. Hos inter arduos labores, arborum foliis, fragis, viperis famem ſedavit; panem quatuordecim annis Gvairanicarum Miſſionum, non deguſtavit. Obvia Indorum prandia tam ſapide eſitabat, ut ſi lautæ domus cupedias puer nunquam vidiſſet. Ad Ibitirambetanos cum Cataldino profectus: obvium habuit barbarum, qui pudicitiam Viri labefactare parabat, adductis ſub conſpectum dua-

bus puellis non ſine barbaris illecebris. Cui Salazarius: *apage has pau-culas, omnes ego gentis tuæ fæminas obſequentes mihi velim, ut eas Chriſti ſponſas efficiam.* Ferociſſimos homines turmatim ad eum occidendum progreſſos, ne moto quidem veſtigio, forti animo contempſit. Cum Cataldino & Antonio Ruiſio ad eosdem ire auſus, magno adjumento fuit, ad frangendos barbaros, & res oppidorum promovendas.

In ſingularibus illis ad Tajaobæ regionem conatibus, Antonius Rui-ſius individuum voluit; quod in eo emineret animus adverſum pericula & labores obluctans. Comitibus Ruiſii in ea provincia ab Antropophagis interemptis, Salazarius ſesquianno in Villaricano oppido perſtitit, quod Neophyti Sacerdote deſtituti eſſent: tum, ac inprimis, ut captata op-portunitate, Antropophagorum animos, ſi qua arte poſſet, ſeu officiis ſeu beneficiis Societati conciliaret. Toto præterea eo tempore ſatage-bat, ut rima aliqua pateret ad Tajaobæ terras penetrandi, nullo ta-men ſucceſſu; Tajaobanis in pertinacia perſiſtentibus, & in ejus necem intentis. Ab Caſiquio, cætera amici pagi Præfecto, prope jugulatus eſt, quod errantem ejus filium corripuiſſet. Villaricanos ad comprimendum barbarorum furorem procedentes ſecutus; nubem ſagittarum ridens ex-cepit, & pulſis hoſtibus, multorum ethnicorum ſaluti conſuluit. Ex hac provincia revocatus & Lauretano oppido præeſſe juſſus ſolitas artes ad Neophytos poliendos, ethnicosque cicurandos diu exercuit.

Gvalachorum, ſubinde ferociſſimam gentem petiit, atque in oppi-do Conceptionis conſedit, ut barbara illa pectora, ad aliquem humani-tatis ſenſum flecteret. Annum commoratus: ea pertulit, quæ poſteri-tas vix credet. Sexto quoque menſe, ut ex codicillis ejus cognovi, ab longe ſemotis Tajaobæ terris hoſtiæ conſecrandæ veniebant, quæ pau-culæ cum eſſent, ob frumenti inopiam, ſingulæ in multas partes erant dividendæ, ut in ſingulorum dierum Sacrificia ſuppeterent. Cibos aliunde miſſos Gvalachi ipſi diripiebant. Caſei in manus pervenere tres, nihil quidquam aliud; hos ipſos ſublegiſſent barbari, niſi ceram putaſſent; nam caſeos non norunt. Igitur ad indignas plane eſcas apud gentem hanc prorſus barbaram, Pater adigebatur. Natio hæc omnis, ebrietatum ſo-lenniis ad inſaniam dedita eſt, quas ut compeſceret Salazarius, ſæpe in me-dia ſympoſia irruere viſus eſt, humi proſternere lymphaticos, evertere ac confringere ebrietatum inſtrumenta, duello congreſſos divellere, ne mu-tuis vulneribus caderent. Quo porro vitæ ſuæ periculo id factitarit, fa-cile quisque exiſtimabit. Singulare quidpiam feriis his eveniſſe Salazarius memorabat: forte diligentius ſiccabantur pocula, madebantque jam omnes, & dæmon pro more aderat. Is repente a combibonibus rogatus, quid de cœlo in hoſtiam ſacrificantis Sacerdotis ſub medium miſſæ adveniret? nihil tergiverſatus dæmon repoſuit: Filium DEI. Atque addidit: eo die, qui Nativitas Virginis MARIÆ celebrabatur, Cœlorum Reginam pariter deſcendiſſe; Filium geniali die cohoneſtaturam. Sub hac intemperie fu-

rio-

rioſorum hominum, quidquid proſeminatum eſt verbi divini, quotidianæ crapulæ præfocarunt. Poſtquam tamen linguam gentis perdidicit, non paucos adultorum ad meliorem frugem revocavit, donec ulterioris meſſis ſpem Mamalucorum molitiones præſcinderent.

CAPUT TERTIUM.

De vita periclitatur; Gvalachos deſerit, reliquæ ipſius res geſtæ, & mors.

ANno 1631. Mamaluci Braſiliæ prædones, evaſtata reliqua Gvairania, Conceptionis oppido propinquabant: cumque primo impetu mulieres e villulis abigere conati eſſent, ac Gvalachi reſtitiſſent, Salazarius author utriſque fuit, ut belli conſilia abjicerent, mutuam inter ſe concordiam conſtituerent. Mamaluci nihilominus innata perfidia, duas mulieres rapuere, quarum altera Ducis conjux erat. Quæ res propemodum Salazario noxæ erat, namque Gvalachi comperto raptu Templum noſtrum ingreſſi, tumultuoſe ab Sacerdote tum ſacrificante poſtularunt, ut eam prædam reddi juberet, aut par pretium ipſe redderet, id damnum ab eo promanaſſe, qui bellum diſſuaſiſſet. Hæc inconditis clamoribus cum urgerent, ſagitta & lanceis in ejus pectus intentis, necem minabantur. Patraſſent, ni quiſpiam Salazarii beneficiis præoccupatus furentes coercuiſſet. Direptæ ſunt poſtea ſacræ veſtes, ſupellex domeſtica, ac res veſtiaria omnis. Cum porro ageretur de ſacro calice tollendo, tum Pater eundem utraque manu prehenſans, exprobrata prius ingrati animi labe, magna liberaque voce teſtatur; mortem ſe potius ſubiturum, quam ſacri cruoris ſcyphum profanis manibus contaminari ſinat. Simul ac hoc dixit pileo ſuo & libris recuperatis, cum duobus adoleſcentibus ſacrorum miniſtris, deſerto oppido fugam capeſſit, eoque ſe demum retraxit, quo Socii, everſa Gvairania, cum Neophytorum reliquiis fugientes, condixerant.

Gvairanica migratione Salazarius quadrimeſtri ſpatio, ſexcentorum barbarorum, qui ſolum verterant cuſtos, idemque dux; in vaſta ſolitudine naves operiebatur, quibus comparatis, turbam omnem ad Paranenſia oppida incredibili labore tranſtulit. Ubi poſteaquam difficili, ac longiſſimo itinere labefactatas vires reparaſſet, Japeiuienſibus, qui nuper admodum e ſilvis protracti, oppidanam vitam deguſtarant; regendis admovetur. Hoc loco id præclare ab eo factum cognovimus, quod variarum linguarum barbaros, internunciis quaquaverſum miſſis, ad Fidem ſolicitarit optatiſſimo eventu, multiplici quippe hac opera gentibus regnum DEI innotuit, atque aſpirante divino Numine non pauci ſalutis ſempiternæ conſilia arripuere. Aliquot demum annis poſt, S. Ignatii oppido, quod Paranenſia inter Princeps eſt, regendo præfectus eſt, & rurſum ejus nominis coloniam, ex Gvairaniæ reliquiis conflatam moderabatur, usque dum piam animam poneret anno 1658. Moriens præter ſui deſiderium nihil reliquit, religioſiſſime pauper, quam virtutem animi demiſſione, victus parcitate, cæteris animi dotibus mire decoravit.

DIDACUS ALFARUS PANAMENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Vitæ tenor.

Didacus Alfarus Panamæ in America natus eſt, Patre Franciſco Alfaro, qui in Panamenſi, ac Chuquiſacenſi Senatu primum, tum in Matritenſi rationum aula Senatorem ampliſſimum, & Regium per Paraquariam Tucumaniamque Viſitatorem egit. Poſteaquam Limæ primas literas condidicit, in Europam navigavit, ac Salmanticæ, antequam Societati nomen daret, liberalibus ordine diſciplinis ſe excoluit. In Tyrocinio Nierenbergio convixit; inde factum, ut in vitis Virorum Illuſtrium Societatis Jesu, copioſe in notiſſimi ſibi Viri laudes excurrerit. Et ſane eluxit in homine vivida quædam indoles, promptitudo, dexteritas & animus maximis rebus gerendis par. Quarto Religionis anno Apoſtolicorum laborum avidus, procurante Joanne Viana in Paraquariam ſecunda navigatione pervenit. Cordubæ Tucumanorum dum in ſacratiora ſtudia impiger incumbit, diſpoſito ab Superis caſu, deſiderium Indorum juvandorum, quod jam pene reſtinctum erat, novo & ardenti propoſito inflammavit. Forte fluvium transmittere parabat, cum derepente cæcutire ex vertigine cœpit, ſimulque ob aquarum rapiditatem ex equo prolabi in flumen, procul dubio periturus, niſi opera Indi, comitis ſui, ad ripam extractus eſſet. Domum relatus, reſumpto tantiſper ſpiritu in liberatorem oculos defigens, in hæc verba prorupit: *quoniam per Indum hominem DEUS O. M. me a præſentiſſima morte liberavit, ſancte polliceor, me deinceps totum (venia Majorum) ſaluti Indorum impenſurum.* Voto addidit conſtantiam, poſt ſuſceptum quippe Sacerdotium, & geſtum in Cordubenſi Collegio Miniſtri officium, quanquam maxime idoneus eſſet Philoſophiæ & Theologiæ docendæ, Miſſionem ad Indos Urvaicenſes flagitavit obtinuitque.

CAPUT SECUNDUM.

De ejus geſtis, muniis, nece, ac virtutibus.

Linguam Gvaranicam edoctus, præcipuo Neophytorum oppido, cui a Conceptione nomen, gubernando datus: multa inter Urvaicenſes præſtitit memoriæ conſignanda. Oppido Temploque cultum addidit elegantiorem. Ethnicos plurimos veteribus Chriſtianis aggregavit. Accepto nuncio de Rochi Gonſalvii & Sociorum

nece,

nece, Neophytos adverſum rebelles militariter progreſſos ſecutus, magno adjumento fuit, ad rem Chriſtianam ultra Urvaicam pene profligatam, reſtituendam. Ex expeditione contra Niezuvium ſuſcepta redux, cum certior fieret, ſeniculos duos extremæ ætatis, morti proximos, in nemore hoſtibus obverſo deſertos jacere; contempto periculo, per denſiſſimas ſilvas eluctatus, ambos baptismo maturos abluit, & ad Superos, ut ſpes eſt, biduo poſt transmiſit. Ad Caaroenſes, qui palmari parricidio patrato, Templum oppidumque exciderant, profectus, author fuit oppidi reſtituendi, Sociosque denuo recipiendi. Demum apud Urvaicenſes barbarorum ſaluti tamdiu intentiſſime vacavit, donec ab Limenſibus Fidei Inquiſitoribus; per Paraquariam Inquiſitionis Comiſſarius, legitimis tabulis renunciaretur. Igitur ad regendum Aſſumptionis Collegium dimiſſus corpore, non animo ab ſuis Indis avulſus, quantum per Religionem licuit, de bonis Collegii ſui ſæpe miſellis liberalem opem tulit.

Anno 1637. jam exeunte, Antonio Ruiſio in Europam profecto, Alfarus ætate florens animique vegetus, quod ſane difficillimæ provinciæ rationes poſtulabant; in Urvaicenſi ac Tapenſi Præfectura ſucceſſit. Gubernii principium funeſtavit iterata Mamalucorum irruptio, & ſecuta utriusque provinciæ vaſtitas. Tapenſes primum adiit, ut deploratam coloniam præſentia ac conſiliis recrearet. Id e re viſum: ut Neophyti ſuperſtites ſolum verterent, ne ſi rurſum incumbant hoſtes, ſtirpitus ea gens excindatur, quod cum in vulgus ſparſiſſet; placuit multis, quos præſens calamitas perculit, & futuræ metus angebat. Araricani tamen amore patriæ capti, conſilium deteſtari obnitique cœperunt, demum furere, ut ſacrificiorum inſtrumenta vi diriperent, ac ſacrilege inter ſe partirentur. Interea celeritate famam præverterant Mamaluci, ut fugæ conſilia ſero jam eſſent. Ergo ad defenſionem ſe comparant univerſi, Patre accurante fortiſſimorum Indorum delectus fiunt per vicina oppida, imbellis ac timida turba ad tutiora transfertur. Conſeritur pugna, Mamaluci ab Urvaicenſibus vincuntur. Parta victoria, Alfarus caſtigata hoſtium nupera crudelitate (ex præſcripto Epiſcopi Boni aeris) anathema in Mamalucos contorſit, juſſitque jurare, nec ſe, nec aſſeclas deinceps ad infeſtanda Neophytorum oppida arma ſumpturos, quod cum feciſſent, impunitos dimiſit. Variorum oppidorum incolas, quos pavor alio tranſtulerat, viarum ſubſidiis liberaliter juvit. Ordinis noſtri homines quaquaverſum trans Urvaicam ablegavit, ut vulnera coloniarum inſpicerent, ac qua poſſent, mederentur.

Contempta juris jurandi religione, Mamaluci reverſi ſunt ad prædas agendas, quo nuncio perculſus Paraquariæ Prætor, quatuor Neophytorum noſtrorum millia contraxit, atque addita Hiſpanorum militum manu, in belli ſuppetias miſit. Quibuſcum Alfarus & Socii profecti ſunt, ut Patrum conſiliis regerentur, ac ne morituris ſua auxilia deeſſent. Spes erat victoriarum ampliſſima, cum funeſtiſſimus caſus accidit: poſtquam Alfarus Socios monuiſſet, ne ſe periculis temere exponerent, atque jam velitariis

armis iterum ac ſæpius hoſtes concurriſſent, ipſe paululum extra caſtra progreſſus, ab Mamaluco in inſidiis collocato glande plumbea transverberatus, anno ætatis quadrageſimo victima cecidit. Neophyti dilato luctu, iram in hoſtem Paſtoris ſui nece irritatam effudere, quem demum fortiter pugnando profligarunt. Cadaver Patris, ſuccollantibus Indorum Primoribus, non interrupto quatridui itinere, ad Conceptionis Urvaicæ oppidum delatum eſt, ac ſolenni pompa, non ſine poſthumis laudibus ac publico Religionis triumpho terræ mandatum. A multis dubitatum eſt, num cauſa mortis ſuffecerit ad Martyrii palmam Viro aſſerendam. Didacus Boroa Præſes provinciæ, ſingulari ſcripto, laudatis Doctorum placitis Martyrem dixit. Joſephus Oregius ad ſuum Provincialem ſcribens ajebat: *minime ſibi dubium videri Didacum Alfarum inter Martyres referendum.* Algambe in Martyrum Societatis Catalogo eum collocavit; quod Viri ſapientiſſimi ita cenſuiſſent, neque defuiſſet cauſa Martyrii; conſulto tamen agit, dum judicium ſedis Apoſtolicæ authoritati defert. Cui lubens ſubſcribo, cum mei inſtituti ſit rem cum fide narrare ut acta eſt, non item controverſa definire.

Summa Vir virtute fuit, in quo nec prudentiam ad alios gubernandos, nec magnanimitatem ad res arduas ſuſceptas, nec Apoſtolici hominis dotes ullas jure quis requirat. Commiſſarius S. Inquiſitionis nominatus, plena integritate res Fidei tractavit, ſæviente peſtilentia diu noctuque Indis adfuit. Barbara idiomata cum cultu & elegantia loquebatur. Ad inſinuandam incultis animis pietatem, ſuis ipſe manibus altaria fingebat. Rem ædilem Templorum curabat diligentiſſime, quam ut maturaret; a nullius operis vilitate abhorrebat. Ut Virginis ſine labe conceptæ prærogativam tueretur, noctem integram ducebat pervigilem, in ſcriptitanda grandibus literis ea epigraphe: *MARIA ſine peccato originali concepta*, quam ante lucem, præ foribus ſuorum affixit, ut eorum animos, erga pium id myſterium ardentius inflammaret. Duobus ante mortem menſibus, in familiari colloquio auditus eſt dicere: *videri ſibi, ſe aliquando crudeliter a Mamalucis mactandum, quod audito eorum nomine, vi quadam occulta, potentius ad Indorum defenſionem impelli ſe ſentiret.* Pridie, quam ferali ictu caderet, ad Religioſum amicum ſcribens: *Vado*, inquit, *in hoſtem glande plumbea periturus.* Obiit anno 1639.

FINIS DECADIS QUARTÆ.

DECAS

DECAS
QUINTA.

FRANCISCUS DIASTANIUS CANARIENSIS.
ALPHONSUS ARIAS HISPANUS.
PETRUS MARQUES GALLOBELGA.
JUSTUS MANSILIA HISPANUS.
DOMINICUS MUNIOA HISPANUS.
JOANNES SUARIUS HISPANUS.
FRANCISCUS XIMENES HISPANUS.
PETRUS ALVARES HISPANUS.
JOSEPHUS OREGIUS ITALUS.
JOSEPHUS DOMENECUS HISPANUS.

FRANCISCUS DIASTANIUS CANARIENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Vitæ ejus primordia.

FRanciſcum Diaſtanium, provinciæ Paraquarienſis Societatis JESU decus atque ornamentum, Palma, fortunatarum Inſularum prima, orbi dedit, ac tamdiu ſinu fovit; quoad primis literis probe excultum, optimi parentes, altioribus artibus imbuendum, in Bæticam navigare juberent. Emicabat in puero indoles ad virtutem nata, & ingenium ſcientiarum capaciſſimum. Hiſpali idoneos Magiſtros nactus, dum Grammatica, Poeticaque, & mox Rhetorica formaretur; ita antecelluit condiſcipulos, ut locum in

Seminario Beccarum, ſive Conceptionis meruerit, quod impendiis Archiepiſcopi Limenſis in gratiam eminentiorum ingeniorum ſurrexit. Ibi dum verſatur, & Philoſophiæ ac Theologiæ dat operam, ſenſit animum ad Societatem noſtram impelli. Hanc morum probitate, & ingenii præſtantia, a Patre Granado dilaudata, facillime impetravit. Tyrocinio Hiſpali religioſe poſito, Cordubam ad Theologiæ continuanda ſtudia transfertur. In hoc divinarum literarum curriculo dubium reliquit, plusne in ſcientiis, quam in virtute profecerit. Sane in ea Palæſtra enati ſunt illi Apoſtolicorum laborum ardores, qui reſtingui non poterant, niſi ſpe ſibi facta Paraquariæ, ad quam demum anno 1622. cum delectis Sociis, duce Franciſco Truxillo, ventis, undisque faventibus navigavit.

CAPUT SECUNDUM.

In Gvairaniam miſſus, S. Xaverii oppido jubetur præeſſe.

IN portu Boni aeris ita ſe Petro Oniato Paraquariæ Provinciali probavit, ut eum Cordubam Tucumanorum ſecum abduxerit; in principe illic Academia, præcipuæ virtutis exemplar futurum. Ubi dum ſpectatur & auditur, ob egregium in publicis diſputationibus ſpecimen datum, pro regni Chilenſis Metropoli, plerorumque votis Philoſophiæ Profeſſor renunciatur. Eum honorem modeſtiſſime deprecatus, a Provinciali id unice flagitavit, ut ad barbaros mitteretur; quorum cauſa Hiſpanicarum Academiarum lucem remis velisque fugiſſet. Placuit inprimis Præſidi, quod honores, qui a literarum corrivalibus expeti ſolent, ne reſpiceret quidem; tum alterum: quod ad ſalutem animarum procurandam calentiſſimis votis ferretur. Ergo ratam petitionem habuit; nec mora: in Gvairaniam, quadringentarum leucarum itinere proficiſci jubetur. Percurſo illo ſexaginta leucarum ſpatio, quo Corduba Tucumanorum, ab ſanctæ Fidei urbe diſtrahitur; & mox centum ac quadraginta leucis per Argenteum Paraquariumque flumen navigando ſuperatis, ad Aſſumptionis urbem pervenit. Inde redorſus iter, per infeſta atrociſſimis barbaris loca, ad pagum delatus eſt, Paraquarium inter & Paranam ſitum. Tanta erat ſolitudo loci, ut ne unus quidem viventium ſub conſpectum veniret; contra vero compita omnia cadaveribus redundarent, quæ ab recenti cæde, ac profuſo ſanguine fumabant. Cohorruit ad crudele ſpectaculum, tum cauſas peractæ tragædiæ ſcrutatus, didicit: pridie quam veniſſet, a Pajaguis eam cædem fuiſſe patratam, atque adeo unius dieculæ mora ſe tanto periculo ſubductum. Gratiis igitur ſupremo Numini pro tanto beneficio actis, ad juſta perſolvenda converſus, rite corpora humavit, ac demum anno 1623. Gvairam profectus eſt.

Gvairania inter Braſiliam & Paraquariam poſita, ingentem materiam eo tempore Societati noſtræ præbebat. Paulopolitani Mamaluci pleraſque circum regiones fæde populati ſunt. Ex ducentis facile ethnicorum millibus, non niſi ſexaginta millia ſupererant, reliqui aut hoſtili ferro ceciderunt, aut in vincula conjecti, longe a patrio ſolo abſtracti ſunt. Quos melior fortuna ſervavit, ſexaginta ut dicebam millia erant. Summa in his barbaris linguarum diverſitas, idem tamen fere animus, ab Chriſtianis ſacris non admodum alienus; ſi modo eſſent, qui errores patrios ſubmoverent. In id opus invigilaverant hactenus Cataldinus, Ruiſius, Mazeta, Xaverius Urtaſum, Salazarius, Vaſæus præclara Virorum Apoſtolicorum nomina, qui conditis aliquot oppidis non contemnendam barbarorum manum intulerant, cupiebantque vehementer Chriſtianæ Religionis trophæa latius proferre; præcipue cum Gvairaniæ populi, oppida ipſi depoſcerent, ut rectius inſtitui poſſent. Sed enim operarum defectu, hi atque illi, votis fruſtrati ſunt. Franciſcus igitur Diaſtanius cum ſuperveniſſet, ac brevi tempore linguam Gvairanicam combibiſſet, cæteraque oneri Apoſtolico parem ſe exhiberet; ab Antonio Ruiſio Divi Xaverii coloniæ nuperrime coactæ præeſſe juſſus eſt. Id præclare hoc loco ab Diaſtanio factum, quod numerum Neophytorum ac Catechumenorum auxerit, atque in Templum, ſolenni pompa Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum invexerit; ut DEUS O. M. ibi in ſolio reſideret, ubi dæmon per tot ſecula tyrannidem exercuit, carnemque ſuam præberet iis, qui oſſa humana infami gula rodere conſuerant.

Colonia Xaveriana graves cum vicinis populis inimicitias alebat, quæ in apertum bellum haud dubie eruperant; niſi Diaſtanii prudentia pacem amicitiamque compoſuiſſet. Sublata diſcordia, omnes animi, corporiſque nervos ad amplificandam ac ornandam ſuam rempublicam convertit, tanto ac tam læto rerum curſu, ut primo jam anno, mille & quingentas familias in album Catechumenorum Neophytorumque retulerit, quos ad humanitatem, pietatemque ita excoluit, ut mirarentur multi ab uno homine, tantillo temporis ſpatio, gentem omni ſcelere infamem, ſanguinis humani ſitientem, barbara ingluvie parentum liberorumque membra eſitantem, ad normam veterum Chriſtianorum fingi potuiſſe. Hos inter Religionis triumphos, & undique confluentium barbarorum pia ſtudia, dæmon defectione ſuorum clientum commotus; in quibusdam, novam excitavit veteris antropophagiæ cupidinem, atque inprimis eam, ut Diaſtanium ipſum ad execrandas epulas deſtinarent. Devorandus omnino erat, ni re detecta, Neophytorum fideliſſimi, Patre ignaro, diſpoſitis excubiis domum noſtram ſepſiſſent, donec apertum ſcelus, multitudinem proborum in ſe armaſſet. Nempe Antropophagorum aliquis, puerum clam ſurreptum ſecuri percuſſerat, & pomeridianis epulis deſtinatum, in villa ſua pro mortuo reliquerat. Puer graviter ſaucius ut erat, collecta anima ad matrem ſuam adrepſit; hæc filium humeris impoſitum, cum in

oppidum inferret, Primores populi permovit, ut in ſicarium inquirerent, quem cognitum, raptumque, flagris indubie mactaſſent, ni Diaſtanius pene jam dilaniatum ex eorum manibus extorſiſſet. Valuit animadverſio ad fædam reliquorum gulam comprimendam, quorum rabida fames, intra breviſſimum ab adventu Sacerdotis tempus, ſeptemdecim hominum corpora conſumpſit.

Huic lanienæ fames ſucceſſit, atque tam dire iis terris incubuit, ut paſſim corpora exanimarentur. Diaſtanius ipſe laute ſecum actum putabat, cum unica frumenti turcici ſpica, in ſingulos dies dimenſa, additis ſilveſtribus herbis, cænaret. Quo factum ut viribus deficeret, & corporis color e rubenti candidoque (quemadmodum bonus ſenex de ſe mihi referebat) in viridem abiret. Sub id tempus magnus Tajaoba, per eam regionem latiſſimæ dominationis Caſiquius, binos e filiis ad S. Xaverii coloniam clam miſerat, exploraturos, num vera eſſent, quæ de Diaſtanii virtutibus, & Neophytorum moribus circumferebantur. Hi cum a Sacerdote ſat liberaliter donati in patriam revertiſſent, retulerunt: ſummopere placuiſſe Doctoris Sanctitatem, Xaverianorumque mores. Quæ propitia fama novam Evangelio januam aperuit.

CAPUT TERTIUM.

Ad Campeſtres Indos & Gvalachos excurrit.

POſteaquam igitur Diaſtanii nomen apud magnum Tajaobam inclaruiſſet; & animus Caſiquii, & terræ patuere; ſuntque non pauca per eam provinciam oppida deſcripta. Interea ab Ruiſio, qui tum Sociis in Gvairania præerat, juſſus eſt Xaverianæ coloniæ curam in alterum transferre, ac ſeſe Ruiſio conjungere. Subiti itineris cauſa fuit, quod Campeſtrium Indorum Caſiquii omnino decem, Tajaobæ exemplo permoti, nuncio ad Socios miſſo, vehementer flagitaſſent Religionis Chriſtianæ Magiſtros. Ivere ambo per paludoſa & abrupta loca, exiguo Neophytorum comitatu, atque jam octidui itinere proceſſerant, cum obvios habuere amicæ factionis aliquot Indos, qui renunciaverant: Gvabairum potentem Caſiquium, audito Patrum adventu, in partes traxiſſe quam plurimos, conſpirationem factam, inſidias in proximo nemore diſpoſitas eſſe; ſi viam inſiſterent, omnes perituros. Patres cognito periculo cum Neophytis ſuis, relecto itinere unde venerant, redierunt, dilata in aliud tempus ea expeditione.

Non diu poſt regio Gvalachorum, quos & Gvanianas vocant, inter Tajaobæ terras, & Urvaicenſes, Iguaſuanoſque populos media, occaſionem præbuit rei bene gerendæ. Porro Gvalachorum gens, ut lingua, ſic moribus ab Gvaranis differt, quæ multo majorem numerum incolarum cenſeret, ſi ſeſe mutuis cædibus non attereret. Ubi enim hydromelle

melle in circularibus compotationibus incaluerint, hilaritate in furorem verſa repente ſe adoriuntur adeo ferociter, ut multi fæda vulnera referant, multi animam cum crapula & ſanguine vomant. Quæ noxiæ feſtivitates cum ſæpe recurrant, atque iisdem furiis peragantur, neceſſe eſt inter creberrimas cædes gentem imminui. Augent funera fere quotidie magi, qui venena ſpargunt, & fatali carmine corpora enecant, crebroque cum dæmone commercio in omne flagitium projecti, obviis quibusque nocent. Gens omnis in exiguos diviſa pagos, venatu ut plurimum vivit, agriculturam inſuper exercet. Nullus ad eam hactenus Sacerdos Religionis cauſa itarat. Ubi ergo fama acceperunt, magnum Tajaobam, quocum bella geſſerant, poſita ferocia Chriſto nomen dediſſe; per internuncios Patribus ſignificabant, ſe pariter ad oppida & Fidem Chriſtianam acceſſuros. Ruiſius cum Diaſtanio in Incarnationis oppido tum verſabatur, dimiſſis legatis, ambo Villaricam digreſſi ſunt, ut illic in commune conſulerent, quid facto opus eſſet. Villarica ad Gualachos geminæ viæ patent: altera per Paranenſes ferrifodinas, intervallo dierum quinque: altera adverſo Huibajo flumine per Tajaobæ & campeſtrium Indorum provinciam circumflexa. Illa Ruiſius; hac Diaſtanius ingenti periculo proceſſerunt. Nam & Indis perpetuo belligerantibus, & ariolis infeſtiſſimæ eæ terræ ſunt, nemoque eatenus peregrinus ad eas penetravit. Primus omnium, Superis faventibus Diaſtanius ſibi viam aperuit. Cui campeſtrium Indorum fines ingreſſo, ſexto per ſolitudinem itineris die, graviſſima pericula ſe oſtentarunt: hinc Antropophagorum cohortes, inde numeroſa barbarorum agmina occurſabant; ſervatus divina ope, ad interiorem Gualachorum regionem peſte tum vehementer afflictam pervenit. Campum nactus ardori Apoſtolico opportunum: innumeros primum infantes ſalutaribus aquis expiatos, cœlo tranſcripſit; tum interprete uſus apud adultos denſam ignorantiæ nebulam veritatis luce diſpulit, opinionum portenta fugavit, magorum præſtigias atque fallacias aperuit, ſuſtulitque. Labor hic octo menſes tenuit, quibus utiliſſime collocatis, Ruiſius & Diaſtanius, qui diverſis, ut dixeram, viis contenderant, in idoneo ad extruendum oppidum loco convenere.

CAPUT QUARTUM.

Primus præeſt Conceptionis oppido, & S. Thomæ oppidum condit.

ILlis terris Cohe Caſiquius quinque filiorum pater imperitabat; quinque erant in propinquo pagi, multique circum viculi, hi omnes hortantibus Patribus in unam rempublicam conſpiraverant. Igitur magno barbarorum concurſu erecta primum imago Chriſti ſervatoris cruci affixi, tum oppidi fundamenta jacta, locusque is Conceptæ ſine labe Virgini, ſumma qua potuit pompa, conſecratus.

cratus. Aſſurgente ſenſim oppido, Ruiſius loco deceſſit, ac pro poteſtate reliquas curas in Diaſtanium tranſtulit. Hujus primus labor fuit: Gualachorum linguam penitus combibere, ad præcepta artis reducere, & prima Chriſtianæ doctrinæ myſteria ſcripto complecti, uſui futura eam deinceps domini vineam exculturis. Ad hæc: artes quaſdam mechanicas invexit, ac inprimis fabrilem (quam ſuo ingenio indeptus fertur) exercens: gentem novam, ferramentorum quam cupidam, tam egentem mire ſibi conciliavit. Extructo ſubinde Templo, apparatu magnifico infantulum intulit ſepulchro, nuper baptizatum & extinctum, valuitque pompæ funebris oſtentatio ad conciliandam ſacris Romanis æſtimationem, & permovendos barbaros, ut parvulos ſuos non gravate ad ſacrum fontem afferrent. Fatendum nihilominus: ex hac gente ebrietati deditiſſima, & ſemper aliquid furente, paucos admodum ab errore plene deſciviſſe.

Felicius res geſta in magni Tajaobæ terris. Cum enim Diaſtanius, ita volente Ruiſio, ex Gualachorum oppido ad Archangelorum coloniam tantiſper adminiſtrandam abiiſſet; frequens Caſiquiorum concurſus ad eum fiebat, flagitantium Patrum conſuetudinem, operam, oppida denique; quod cum identidem ac ſummis precibus contendiſſent, mos erat gerendus. Inter Archangelorum & Sancti Pauli oppida recens conſtructa, æquali utrinque intervallo locus erat eminentior, quem Divi Thomæ cæmeterium barbari ex Majorum traditione appellabant; quod Divus ille Indorum Apoſtolus, olim per eas terras profectus, magnam multitudinem, a ſe Chriſtianæ Religioni aſſertam, illic tumulaſſet. Summa erat loci opportunitas, frequentes ethnicorum undique pagi, atque in propinquo omnes. Hunc igitur, Diaſtanius deligendum novæ reipublicæ putavit. Vix dum circumſcribit viculos, areaſque partitur, ipſi illi (quod mirere) ultro nomina tradiderunt, qui Ruiſium non ſemel ad mortem depoſcebant, & Antropophagorum crudeliſſimi habebantur. Præter quadringentas familias, quæ ſponte ſua convolarant, totidem alias per nemora & arduas rupes procurrens ad oppidum traxit, quod deinde Divo Thomæ Apoſtolo ex priſca appellatione ſacrum permanſit. Baptizatis parvulis, adultiores Fidei rudimentis imbuit, ac ut quemque ſua jam ſacrorum notitia commendarat, piacularibus aquis abluit. Cui operi dum inſiſtit, fæmina ætate gravis ſe ſiſtit, avida parque baptiſmo, quam poſteaquam ritu Chriſtiano tinxiſſet paucos poſt dies ruri graviter ægrotantem inviſit: eo itinere in rivuli tranſitu, incertum quo maleficio, ita ab carpo, ejus pes retortus eſt, ut calcaneus prorſum vergeret, digiti pedum retrorſum. Inſtitit nihilominus viam, pedibus manibusque rependo, & ringente dæmone ægram Sacramento expiatam, ad Superos, ut ſpes eſt, miſit.

Caput Quintum.

Fruſtra fert ſuppetias JESU-MARIANIS, quos Paulopolitani invaſerant; quatuor Votorum Profeſſis accenſetur.

INterea temporis Mamaluci Braſilienſes, omnia ſus deque verterant, & jam convulſa Sancti Michaelis, & item Sancti Antonii colonia; JESU-MARIANO oppido imminere nunciabantur. Cum undique ad arma pro defendendis Neophytis, ac Simone Mazeta conclamatur: Diaſtanius trecentos ſagittarios ex ſuis Thomiſtis collegit, ſuppetias laturus; at enim is, cæterique Socii, qui accurrerant, ſero venere, præda jam abacta. Neque aliud properati auxilii lucrum fuit, quam extremas latronum turmas carpſiſſe, ut adeo pauculi admodum ex JESU-MARIANIS recepti ſint. Diaſtanius ac Mazeta, viſa florentiſſimi oppidi vaſtitate (nam ex tot JESU-MARIANORUM millibus, duo tantummodo adoleſcentes ſupererant) vehementer ingemuere; lacrymas utrique excuſſit funeſtiſſima oppidi facies, compita cadaveribus reſperſa, inter quæ paſſim occurrebant in oculos puellarum corpora idcirco ferrum paſſa, ut pudori conſulerent. Humatis decenter cadaveribus, execratus facinoroſorum hominum crudelitatem Diaſtanius; ducto ſecum Simone Mazeta oppidum Sancti Thomæ repetiit.

Ad oppidum redux, coram Simone Mazeta, ipſo Incarnationis Domini die, anno 1629. ſolenniter quatuor Vota profitetur. Ciborum vero in tanta celebritate varietas hæc fuit: farinæ ligneæ dimenſum unum, piſciculi tres, aquæ limpidiſſimæ lacrymarumque quantum ſatis; apud prudentes rerum æſtimatores, Sociorum parſimoniæ magnum argumentum. Quodſi enim geniales epulæ hæ erant, cujusmodi fuerint quotidianarum menſarum deliciæ, facile quisque judicio conſequetur. Atque hos ipſos piſciculos Diaſtanius in ducentarum leucarum commeatum, Mazetæ deſtinaverat, cui conſilium ſuggeſſit latrones perſequendi, etſi minus armis quidquam poſſet; in Braſilia, Magiſtratus favore, fortunæ periculum faciendi. Conſilia hæc novi in Gvairania motus turbarunt: nongenti Mamaluci e Braſiliæ cavernis eggreſſi, ferebantur in propinquo jam eſſe, ruinas haud dubie novamque ſtragem edituri. Auxit metum Ludovicus Ceſpedes, vir ſanguine clarus, ab Rege Catholico ſuperiori anno Paraquariæ Præfecturam adeptus, qui per Gvairaniam in ſuam provinciam proficiſcens, adduci non potuit, ut in prædones arma expediret, imparem ſe cauſatus ad tantam hoſtium vim reprimendam. Reipſa imbecillitas animi fuit, ac remiſſio inconſulta, eſtque eapropter ab Senatu Chuquiſacenſi tempore interjecto mulctatus.

Ca-

Caput Sextum.

Sacrificulorum præſtigias, & Incarnationis oppidi perverſionis cauſas detegit; ſacrilega fana deturbat, concrematque.

Poſt diſceſſum Prætoris, Franciſcus Diaſtanius ad Nuatinguienſes negotioli cauſa digreſſus eſt, illic grande malum, quod Incarnationis oppido incubuerat, magno cæteræ Gvairaniæ commodo detegit. Rem breviter perſequar. Incarnationis oppidum nuper conflatum, Societatis induſtria ita mores mutarat, ut ſesquimille familiæ de Antropophagis reductæ, nihil a veteribus Neophytis differre viderentur. Verum bellicus turbo, & totius provinciæ gravis jactatio, ariolorumque artes, ita gentis animos commutarunt, ut incolarum plerique ab ingreſſu Templi abhorrerent: de rebus divinis verba facientes Socios ne audirent quidem; infantes ut ne Chriſtianorum more lavarentur, abditis locis reconderent; Patrum non modo conſuetudinem, verum aſpectum quoque fugerent: atque ſic neglecto ſacrorum uſu, reſtincta pietate, obliterata Religione, plerique ad priſtinas turpitudines miſerandum in modum revolvebantur. Doluit Diaſtanio lætiſſimum Evangelii curſum inhiberi, ſquallere agrum tantis ſudoribus rigatum, neque ſatis cauſas norat, cum inſperato rem omnem ex adoleſcente domi educato diſcit. Narravit is, ab ariolis hæc omnia promanare, quibus dæmone magiſtro cruces aliaque inſignia veræ Religionis ludibrio eſſent: maximam jam partem Incarnationis incolarum, eorum præſtigiis corruptam; duo fana in montium cacuminibus eſſe conſtructa, quo omnis ætatis ac conditionis homines confluerent: in utroque fano, ex ariolorum olim mortuorum cadaveribus, dæmones, qualia ſolent, oracula reddere: iis colendis Sacerdotes de utroque ſexu creatos eſſe: ipſos oppidi æedituos, & Chriſtianæ Catecheſi præfectos, hoc malo eſſe infectos; nihil illic ſacrilegii, nihil in Chriſtum injuriæ prætermitti: hanc inter initiatos religionis ſummam eſſe: ut viri mente veluti capti, inter miras corporum jactationes, vaticinia expeterent; fœminæ ſparſo crine petpetuum ignem in dæmonis honorem nutrirent: nefas eſſe ariolorum oſſa (quæ carnem denuo induiſſe mentiebantur) manu contingere: diebus dominicis & feſtis tantummodo eo concurri, ut nempe Chriſtianæ conciones & ſacra deſtituerentur.

Peractum indicium Diaſtanius ad Socios retulit; timor omnes occupaverat, ne malum ad reliquam Gvairaniam proſerperet. Decretum itaque eſt, ut hinc Ruiſius cum Mendoza, illinc Diaſtanius cum Domeneco, quanto poſſent ſilentio, ad fana concremanda caſtigandoſque authores procederent. Rebus ſic conſtitutis, intempeſta nocte, confecto Sacrificio, indicibus & ſelectis Neophytis comitati, per tenebroſa loca iter arripiunt. Diaſtanius & Domenecus ſub ortum ſolis ad unum e fanis

opi-

opinione celerius delati, reperere cum indiciis omnia congruere. Moles erat ampla; in ſecreta templi parte arioli cadaver, lecto e duabus columnis penſili impoſitum, multis ſindonibus involutum, & verſicoloribus plumis ornatum, ſummis religionibus colebatur. Extra fanum ædiculæ plurimæ viſebantur, in quibus initiati ſua jejunia ac cerimonias uſurpabant. E templi tholo innumera pendebant anathemata dæmoni ſuffixa, qui ut gratam vicem redderet, ſuos cultores vaniſſimis mendaciis ad inſaniam usque oblectabat. Cum porro Franciſcus Diaſtanius exquireret, ecquæ ſolerent dæmones ex his oſſibus proloqui? comperit id præcipue iis in ore eſſe: Societatem mala fraude iis terris verſari, Indorum ruinam pietatis ſpecie quærere, peſtem manu omnique contactu facere, cavendum ab ſale exorcizato, cui præſentiſſimum venenum ineſſet, fugienda tanquam peſtem Societatis Templa, ſua contra frequentanda. JESU Socios DEOS quidem eſſe, ſui tamen comparatione minores multo, ſibique ſubditos. Diaſtanius & Domenecus ut debitum ſoli DEO cultum vindicent, putrida ariolorum cadavera ſacrilego ſtrato deturbant, fœda anathemata, cæteraque ornamenta refigunt, ſuppoſitis facibus inane delubrum & circumſtantes ædiculas clam inflammant, comburuntque; demum oſſa profana, ovantes ad oppidum reportant. Quibus ſubinde cremandis extructa in foro pira eſt, materiam conferentibus, quotquot in oppido erant incolis; atque ſic publico apparatu offenſi Numinis iræ litatum erat; nocentes vero pœnitudine & Sacramentis expiati. Secundum id Diaſtanius ad Apoſtolica ſua penſa reverſus eſt.

CAPUT SEPTIMUM.

Pro defenſione Indorum in Paraquariam legatur.

INterea cæteri per Gvairaniam Socii, ut cladem oppidorum ſarcirent, novis operis, nemora circum omnia excutiunt, eo conſilio, ut ſi quos Mamalucorum metus diſpuliſſet, tranquillis jam rebus ad ſuas ſedes referrent. Ruiſius, qui Sociis præerat, ad campeſtres populos procurrit, revertentem non pauci ethnicorum ſecuti ſunt. Reliqui Patres in avia digreſſi, non contemnendam multitudinem barbarorum collegerunt. His copiis auctæ aliquantum coloniæ ſunt, & JESU-MARIANUM oppidum inſtaurari cœptum. Jamque ſe Gvairania ſenſim erigebat, ſperabantque Socii novis incrementis ſuperioris anni cladem brevi reſartum iri; cum ecce tibi trepidum nuncium affertur; ab Mamalucorum cohorte Divi Pauli oppidum, nuper ab Societate conditum, omnino everſum, incolas ad unum omnes in ſervitutem abactos eſſe, Incarnationis coloniam ſolo metu dilapſam. Nec diu poſt referebatur: Nephytos pleroſque, qui ſe ab Braſiliæ latronibus fuga libaraverant, in Hiſpanos incidiſſe, ab his nihilo mitius tractari,

quam a Paulopolitanis, namque aut in utraque Gvairaniæ urbe ſervitiis addicebantur, aut in Paraquariam immenſo pene terrarum tractu agebantur: qua de re Villaricæ apud Magiſtratum queſtus Ruiſius, cum nihil proficeret & graviora ab Mamalucis imminerent pericula; Diaſtanium in Paraquariam feſtinare jubet, ut Prætorem de omni re doceret, & ruenti provinciæ, quam optime poſſet, conſuleret.

Centum quinquaginta leucis aberat Diaſtanius ab Paraquariæ Metropoli, cum ea mandata acceperat, quo itinere confecto, Prætorem adit, docetque quanto in diſcrimine verſetur Gvairania cum omni fere Indorum natione. Addit infimas preces, uti auxilia pereunti populo properaret. Prætor audito Diaſtanio, de invaſione Mamalucorum, oppidorum direptione, Hiſpanorum avaritia, totius Gvairaniæ periculo, in indignas iras exarſit, ac cætera inter, Diaſtanio reſpondit: ſcire ſe ex Villaricanorum literis futiles eſſe Sociorum Gvairaniæ metus. Societatem in immenſum omnia augere, quo Regios Præfectos apud rerum ignaros traducerent, notamque negligentiæ iis conflarent. Diaſtanius: ne tantæ rei diſſimulatio, aliquando fraudi eſſet Societati; libello ex forma juris concepto, per ſcribam publicum ab Prætore poſtulat, Gvairaniæ ut provideret: cui cum Prætor non reſponderet, neque ſperarent Socii commutaturum obſtinatam iram; Diaſtanius circumflexo per Paraquarium & Paranam itinere, ad Provincialem ſuum centum quadraginta leucarum itinere ad urbem Sanctæ Fidei, quanta potuit celeritate navigavit.

Caput Octavum.

Ad Senatum Regium in Peruviam mittitur, dein in Tapenſem provinciam, ubi JESU-MARIANUM oppidum gubernat.

AUdito Diaſtanio, Franciſcus Vasquius Truxillus Paraquariæ Provincialis, imperatis per totam provinciam precibus & Sacrificiis; eundem in Peruviam ad Chuquiſacenſem Senatum ablegat. Dum illic per triennium verſatur, Mamaluci Braſilienſes, rurſum in Gvairaniam infuſi, furores ſuos redintegrant, necquiquam reclamante per frequentia diplomata ab Diaſtanio impetrata, ampliſſimo Senatu; nempe cum latronibus ferro & igne, non calamo fuerat pugnandum. Id tamen in animarum commodum evenit feliciter tum quidem, quod Diaſtanio, ex Chuquiſacenſi urbe, ad Chiriguanas, ferociſſimos & longe ſemotos Indos excurrere licuerit, cum præclara ſpe edomandæ gentis univerſæ; ubi dum utilem operam navat, Majorum voluntate redire juſſus eſt.

E procuratione Peruana redux, quam fama acceperat, mæſtiſſimis oculis cladem uſurpavit: verſa oppida, multa Neophytorum Catechumenorumque millia in miſerrimam ſervitutem rapta, tredecim florentiſſima

oppida

oppida exhauſta, univerſam Gvairaniam deformatam. Illud aliquantum relevare dolorem poterat, quod intelligeret Tapenſem provinciam, Urvaicam inter & mare Atlanticum immenſo terrarum ſpatio porrectam eo ipſo tempore, pro perdita Gvairania, cœlitus Sociis deſtinatam. In qua exiguo prorſus tempore, noſtri Ordinis homines Gvairania pulſi, decem oppida condiderant. Ipſa hæc ſubinde provincia Diaſtanio obtigit, poſteaquam nempe Chriſtophorus Mendoza ab Ibiaenſibus in odium Fidei interfectus erat. Eo vero potiſſimum conſilio ad Tapenſes miſſus eſt, ut JESU-MARIANUM oppidum gubernaret, & ſeſe Braſilienſibus latronibus fortiter opponeret.

CAPUT NONUM.

Conjurationem barbarorum detegit, reprimitque.

VIxdum oppidi JESU-MARIANI Præfecturam capeſſivit, perniciosiſſimas barborum molitiones obſcuris primum, tum vero certis ac luculentis indiciis accepit. Caput mali interfectores Chriſtophori Mendozæ fuerunt, qui non ſatis caſtigati ac multitudine ſua confiſi, in ſpem venerant, aut exturbandæ e Tapenſi provincia Religionis, aut opprimendæ. Duces factionis Caſiquii tres, magicæ artis peritiſſimi, qui dæmonum inſtinctu concionem cogentes, nefando ritu infantes baptizabant. Sacerdotum noſtrorum cerimonias ludicre uſurpabant, & avitos ſuos mores, cum Chriſtianorum contemptu, ingenti oppidorum plauſu popularibus commendabant. Ad famam novæ ſuperſtitionis, ſeptingenti circiter Indi concurrerant, quos inter eminebat enormi corporis mole ariolus, impudentiſſime, arrogantiſſimeque clamitans ſe DEUM eſſe, & DEO prognatum; atque ſolem, ac ſiderum curſum ſuo ſubjici imperio: pro ſua poteſtate effecturum ſe in invaſione Tapenſis provinciæ, ut in media dimicatione tenebris hoſtes obruantur, ſuis interim in clariſſima luce pugnantibus. Alter ejusmodi farinæ homuncio in tigridem ſe transformaturum dictitabat, cum certa Neophytorum ſtrage. Tertius, Antropophagorum quos ſecum trahebat, dux fuit. Et ne ſingulos appellem, duodecim omnino arioli in noſtram perniciem conjuraverant. Primum ferociæ exemplum edidere dum diviſis copiis per circumſitos viculos effuſi, nullo diſcrimine obvios quosque infami ingluvie devorarunt, deinde commutato conſilio (ne ethnici non conjurati, noſtris partibus ſeſe adjungerent) in eos ſolummodo hanc rabidam gulam acuerunt, qui ab ariolis ritu novo baptizari ſe non ſinerent. Utque fama hæc longe lateque dimanaret, præcurſores quosdam emiſerant, quorum officium erat, ſaltitando, geſticulando, plebeculam allicere, allectamque fallere. Hæc porro monſtra cum ſe in pagos & villas JESU-MARIANO oppido obnoxias inſinuaſſent, magnum Neophy-

torum, Catechumenorumque numerum corruperunt, ut jam in oppido ſolitudo ſentiretur.

Accepto conjurationis indicio, non longe poſt duo inſignes arioli ſunt comprehenſi, qui proxima oppido loca malis artibus tentarunt, jamque aliquos in transverſum egerant. Quibus ludibrio expoſitis, Neophyti aliquot fide & authoritate præcipui, juventutem armarunt, & nefandos ſaltatores (ſic enim vulgi voce appellabantur) tunc, cum peſtem ſuam ſpargerent, obruerunt. Captis plurimis funeſtum nuncium affertur, conjuratorum ſeptingentos in propinquo eſſe: infantes Chriſtiani nominis circum omnes ab iis fuiſſe abſumptos: Neophytos JESU-MARIANI oppidi quam plurimos ſceleratæ factioni clam favere. Auxit metum hoſtis vicinitas, & contrahendorum auxiliorum difficultas. DEO tamen per preces conciliato, fidi homines, in eas partes, unde ſubſidia ſperabantur, celerrime dimiſſi ſunt. Illud interea opportune accidit, quod fluvius late reſtagnans tamdiu hoſtem arceret, donec auxilia præſto eſſent. Poſteaquam igitur quingenti circiter ſagittarii conveniſſent, Catechumenis ab Diaſtanio baptizatis, temporario ponte extructo copiolæ noſtræ fluvium transmiſerunt, atque in unam hoſtium turmam impetu facto, tanta fortitudine pugnarunt, ut multos hoſtium cæciderint, nullo e noſtris deſiderato. Secundo procurſu in alteram eorum cohortem delati, integram victoriam reportarunt. Septem arioli in vincula dati ſunt, duo fuga elapſi, capti ex multitudine plurimi, qui poſtea cum imbelli turba Neophytorum numerum auxere. Res fœda viſu erat: paſſim in locis, ubi hoſtes noctem egerant, intueri mutilata, ſemitoſtaque Indorum, ac præcipue infantum, corpora; aut reliquias præteritarum epularum, aut futura Antropophagorum prandia. Inter ea, cum Neophytorum Dux germani ſui ſemiuſtum cadaver reperit, magnopere infremuit: dolori lætitia ſucceſſit, quod tam fæda monſtra de medio eſſent ſublata. Præcipuus rei proſpere geſtæ fructus fuit, viciniam late omnem Chriſtianis partibus adjunxiſſe, atque tantis quidem incrementis, ut non diu poſt cenſu inito, bis mille ſupra ducentas in JESU-MARIANO oppido; & extra oppidum, octingentas familias Socii in numeratis haberent. Cum vero percenſentur nomina infantium occiſorum, aut ab Antropophagis devoratorum, conſtitit trecentos circiter (adultis non connumeratis) lanienæ ceſſiſſe. Neque dubium eſt odio Fidei id factum, cum conjuratorum factio, id unum in votis haberet, ut Chriſtianos mores, morumque Magiſtros exturbaret. In conventiculis ſingillatim, Petrum Molam & Antonium Bernal e noſtris, igni deſtinarunt, jactitabantque arioli, ſe eorum oculos, veluti ova leniter cocta ſorbillaturos. Forma porro, quam veteratores uſurpabant, cum Neophytos iterum lavarent, hæc erat: *Ego te abluo, ut baptiſmum Chriſtianum eluam.*

CA-

CAPUT DECIMUM.

Ad Senatum Regium rurſum in Peruviam legatur.

EA peſte amota, cum alio malo dimicandum erat. Martinus Ledesma Paraquariæ Prætor, cum nova Paranæ oppida, ab Societate conſtructa, Senatus Platenſis decreto luſtraret, in eam opinionem (inſtigantibus Aſſumptionis urbis civibus) venerat, ut exiſtimaret, duo Gvairaniæ oppida, ad proxima Aſſumptionis urbis loca, ex Parana, quo migrarent transferri, & cæteras ejusdem fluminis colonias, cum Gvairaniæ reliquiis, Hiſpanis Paraquarienſibus ſervire oportere. Quod ut emoliretur, ſæpius exploſam recantabat ſtropham: Paranenſes videlicet, Aſſumptionis civium armis ſubjugatos, & Gvairaniæ populos, jam olim privatorum hominum ſervitiis fuiſſe obnoxios. Repugnabant Socii teſtati: Paranenſes ope ſolius Religionis DEO Regique Catholico abs ſe fuiſſe ſubjectos, eoque pacto jugum accepiſſe, ne privatis hominibus aliquando ſervirent, uni Regi Catholico vectigales eſſent. Rem porro ſic ſe habere, Sociorum ſelectiſſimi, in Paraquariam ad Aſſumptionis urbem profecti, & integerrimi e Franciſcana familia Sacerdotes, aliique viri notæ pietatis jurejurando affirmarunt. Verum cum lis in dies traheretur, & ad Senatum Regium ſubinde devoluta fuiſſet, Franciſcus Diaſtanius e JESU-MARIANO oppido ab Provinciali revocatus, in Peruviam quadringentarum leucarum terreſtri difficilique itinere, cum legitimis inſtrumentis diſceſſit. Porro cum ejus induſtria, Senatus Platenſis de omni re minutatim edoctus Neophytis faveret, & Paraquarienſium civium intempeſtiva poſtulata variis diplomatibus rejiceret, ſopita tunc eſt calumnia, non item extincta, quod identidem in Hiſpanorum animis recaluerit ſervitiorum amor. Rurſum Magiſtratus Civilis & Eccleſiaſticus Paraquarienſis, Itatinenſibus Sociis eadem de cauſa faceſſebant negotium, minitantes: in locum noſtrorum Sacerdotum inducturos ſe Parochos (ut vocant) Petrinos. Diaſtanio tamen annitente, Senatus Regius interceſſit, dato ſevero decreto, ut ne Societatis labores contra Regis voluntatem, intempeſtiva ſervitiorum cupiditate turbare pergerent.

CAPUT UNDECIMUM.

Procurator provinciæ in Hiſpaniam & Romam iturus eligitur; in Braſiliam cum Sociis advenit.

E Peruviana procuratione in Tucumaniam redux, anno 1637. jam adulto, Comitiis Cordubæ habitis, in Procuratorem Generalem provinciæ eligitur, quod ei olim prædixerat Didacus Torres Paraquarienſis provinciæ conditor. E portu Boni ae-

ris, ad Januarienſem fauſta navigatione pervenit, ubi ſemeſtri commoratus, in Mamalucos coloniarum noſtrarum direptores, eorumque fautores invectus, proterviam latronum creditus eſt aliquantum infregiſſe. In Luſitaniam navigans, claſſiarios mutuo diſſidentes odio, & in apertam vim haud dubie erupturos, cum Ruiſio, optata pace compoſuit.

Diaſtanius expeditis Uliſſipone, & Matriti negotiis, ubi Romam pervenit, facile ab Mutio Vitelleſcho Generali, delectum Sociorum per provincias Europæas impetravit. Romana, Neapolitana, Mediolanenſis, Sardica, Flandrobelgica, Gallobelgica, Hiſpanicæ pleræque ſelectiſſimos addixerunt. Urbanus VIII. Pontifex, clementer virum audivit, diplomata aliquot favorum plena porrexit, una poteſtatem fecit Indis Paraquarienſibus, Æthiopibus, Ibridisque in his terris degentibus, ab Septuageſima, usque ad octavam diem poſt feſtum Corporis Chriſti, ſatisfaciendi Eccleſiaſtico præcepto, jubenti Chriſtianos diebus Paſchatis cœleſte convivium adire. Altero: exagitabat abactores Indorum, vetans, ne quis auderet, aut ethnicos aut Neophytos in ſervitutem trahere, transgreſſoribus anathemate percuſſis. Corpus Divi Epimachi Martyris ab eodem Pontifice accepit, qui memor privatæ olim cum Joſepho Oregio, in Paraquaria indefeſſo operario, amicitiæ, non putavit ab ſuprema in terris poteſtate alienum, ſacras exuvias cum teſtificatione voluntatis bonæ ei transmittere. Cardinalis Oregius idem officium germano ſuo liberali prorſus animo præſtitit. Subinde Diaſtanius bene precante Pontifice, cum Italis Sociis Paraquariæ deſtinatis, in Hiſpaniam ſolvit. Matriti ab Rege Catholico facultatem conducendi navim, & viaticum pro triginta Sociis in Paraquariam transmiſſuris accepit. Idem Rex ſingulari pietate decretum ab ſuo Senatu Indico fieri voluit, quo Mamalucos populationem Indorum facere vetuit, juſſitque latrocinio aut bello captos, patriæ ac libertati reſtitui: populationis vero injuſtæ reos, damnari. Tanto Regis favore inſtructus, collectis per Hiſpaniæ provincias Sociis, Uliſſiponem flexo per Bœticam itinere contendit, quo cum conveniſſent ex variis Europæ partibus Sociorum ſubſidia; navigationem in Paraquariam adornavit.

Anno 1640. pridie Purificatæ Virginis Diaſtanius cum ſuis in altum vela fecit. Octavo ab diſceſſu die, nocte intempeſta in inſulam promontorio viridi objectam, haud dubie impacti fuiſſent, niſi Navarchus pervigil, favente Virgine Foienſi, quam in Patronam delegerant, periculum avertiſſet. Quo diſcuſſo, plerique Sociorum ignota de cauſa ægrotare cœperunt, e quibus Joannes Sojer Gallobelga, & Antonius Vanſurkius Manſilia, Sacerdotes, communi omnium luctu fatis conceſſere. Inter hos morbos & funera, undarum furor adeo increvit, ut nautæ non unam tempeſtatem experti aſſererent, ſe iratius mare nunquam vidiſſe. Validiſſimi venti, navim verſus promontorium Bonæ ſpei, ab Argentei fluminis oſtio, immenſo intervallo intra eundem tamen latitudinis gradum eri-

eripuerant, & mox variante cœlo, pelagoque ad idem oſtium repulerunt. Quoniam vero vis tempeſtatis nihil remiſerat, depoſita ſpe ante hyemem Boni aeris portum tenendi; quod reliquum fuit, in Braſiliam vela ſunt converſa.

CAPUT DUODECIMUM.

In Braſilia adverſus Mamalucos rem ſtrenue gerit.

JAnuarienſem portum defectiſſimis viribus intrantem, Sociosque, Petrus Mora, pro Generali Societatis JESU per Braſiliam Inſpector, Joſephusque Acoſta Collegii Rector, religioſa plane charitate; & Emmanuel Sa regionis Prætor, magnifice prorſus excepere. Poſtquam deferbuere mutua urbanitatis officia, Diaſtanius muneri ſuo intentus, Pontificia diplomata adverſus Indorum abactores & iniquos detentores protulit ac promulgavit, & quamquam nihil non bono ordine egerit, nihilominus maximis ſe involvit difficultatibus. Nam ubi in Templo noſtro, Præconis voce publicata ſunt, Mamaluci, quorum multi Januarienſem agrum incolunt, & eorum fautores adeo exarſerunt, ut Socii de vita periclitarentur. Diffractis quippe foribus, avaritia ſtimulante in aream domus irrumpunt, advenas Patres probris onerant, atque ad mortem depoſcunt, inprimis Diaſtanium diplomatis authorem. Patratumque fuiſſet multiplex ſcelus, ni Prætor bonis artibus, turbam concitatam in Templum induxiſſet, tum enim reverentia loci, incenſos ira animos non nihil compeſcuit. Secundum hæc, eodem Prætore nitente, Senatores Regii, viri Patricii, militiæ Præfecti, nec non Religioſarum familiarum delecti viri, apud Carmelitanos Patres convenere. Illic Diaſtanius Petro Mora præſente docuit: Diploma Pontificium ex legum forma, cum facultate Nuncii Apoſtolici in Luſitania degentis, atque Januarienſis Adminiſtratoris fuiſſe promulgatum. Et quanquam non ignoraret provocationem fore inutilem, tamen tumultuum vitandorum cauſa, author ipſe fuit, ut ad Urbanum VIII. Pontificem Maximum, unde diploma emanavit, nominatim exprimendum, ſi ita videretur, fieret appellatio, cui ſententiæ non ægre annuentibus adverſarum partium primoribus, ſic in præſentiarum ab eo conſeſſu diſceſſum eſt, ut arbitrarentur plerique, prudentia Petri Moræ, & Franciſci Diaſtanii, difficillimum periculoſiſſimumque negotium, bono exitu fuiſſe tractatum. Nec dubium erat, eam mentem Patribus eſſe injectam, ut vellent ſe tempori accommodare; poſtea enim cognitum eſt quosdam Mamalucos in mortem Moræ & Diaſtanii, adeoque ipſius Prætoris conjuraſſe, ſi in promulgandi diplomatis ſententia perſtitiſſent. Dum hæc in portu Januarienſi fiunt, longe atrociora agebantur in OO. Sanctorum oppido, & in Piritiningana DIVI Pauli urbe, præcipua Mamalucorum ſede: nam præ-

præter acerbiſſima verba, illud etiam acceſſit ad palmarem vexationem, ut ex utriusque oppidi Collegiis, Patres in exilium migrare juſſi ſint, pari Mamalucorum ignominia, ac Sociorum Braſilienſium laude. Sub finem anni quadrageſimi; Paulopolitani, conjuratione facta cum vicinis populis, non ſine inſigni contemptu Pontificiorum decretorum, copias quantas potuerunt maximas, in Gvairaniæ perniciem moturas collegere. Qua re cognita, Diaſtanius diſceſſum e Januarienſi portu maturavit.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Ad portum Boni aeris cum ſubſidiariis Sociis appellit; variæ illius occupationes.

DIaſtanius & Socii e Januarienſi urbe ſolventes, vigeſimo ab diſceſſu die portum Boni aeris ſub finem Novembris ſat proſpera navigatione tenuere: ubi eos Didacus Boroa provinciæ Præſes religioſe & hilariter excepit, hoc maxime lætus; quod cognovit, in tanta nationum varietate (nam e Sardinia, Burgundia, Germania, Gallobelgica, Flandrobelgica, & ex variis Italiæ Hiſpaniæque provinciis manipulus is collectus erat) maritimum iter mira animorum conjunctione eſſe confectum. Et ſane iis naturæ corporisque dotibus erant præditi, quæ Apoſtolico muneri apprime congruunt. Quodſi enim ingenium ac virtutem ſpectes, nullus Scholaſticorum ex tanto numero fuit, qui non ad quatuor Votorum profeſſionem ſuo tempore admiſſus ſit, non mediocri earum provinciarum laude, quæ tam præſtantes operarios ad excolendam transmarinam vineam ſubmiſere, divelli a ſe paſſæ ſunt.

Reducis in provinciam primæ curæ fuere; Neophytis Paranenſibus & Urvaicenſibus conſilia Mamalucorum patefacere, quos contractis copiis in eorum perniciem conjuraſſe idoneis nunciis accepit. Confeſtim ad arma conclamatum undique & depugnatum cum latronum clade; qua accepta, per multos deinceps annos ab infeſtandis Paranæ atque Urvaicæ oppidis abſtinuere. Mox Franciſco Lupercio novo Provinciali Socius datus eſt; cujus in comitatu, totam provinciam inſpexit, magnoque adjumento fuit provinciæ Præſidi, in Peruvia jam inde ab adoleſcentia enutrito, rerumque Paraquarienſium minime ignaro, præcipue in ordinationibus concinnandis, quibus Parochi noſtri ſe ſuosque regerent, quæ etiamnum ſuum robur obtinent. Subinde Collegii Boni aeris Rector renunciatur, quo in munere iſtud notatum reperio: Injunxerat Rector, ut toties, quoties aliquid opis egeni flagitarent, illico præberetur, nullique oleum, vinum, triticum negaretur, quam liberalitatem rependit DEUS novis beneficiis; cum enim ex continuis largitionibus oleum, vinum & triticum deficeret, quorundam civium animos movit, ut tantum earum rerum ad Collegium mitterent, quantum œconomicis rationibus, largis-

que

que eleemoſynis ſufficeret. Quibus acceſſit donatio novem millium aureorum, facta ab Franciſco Gonzales Pachono, paulo ante mortem in Societatem noſtram cooptato.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Geſta ejus in Paranenſium & Urvaicenſium iterata Præfectura, & Collegii Aſſumptionis Rectoratu.

TRiennio Rectoratus exacto, Paranenſium Urvaicenſumque Sociorum in viginti oppidis degentium Præfectus legitimis literis a Præpoſito Generali ex Urbe datis inſtituitur. Eo munere repetita vice, & Aſſumptionis Rectoratu adminiſtrato quid egerit, neceſſe eſt ſummatim perſequi, ne ab inſtituto meo decedam. Paulo ante, quam has Præfecturas iniret, de conſecratione Illuſtriſſimi Domini Bernardini de Cardenas Paraquarienſis Epiſcopi (qui non expectatis ſummi Pontificis diplomatibus, ab uno Epiſcopo in Epiſcopum conſecratus ad Paraquariæ Eccleſiam ſe contulerat) orta controverſia eſt: aliis rite conſecratum affirmantibus, aliis negantibus. Et quoniam Academia noſtra Cordubenſis ab eo rogata ſententiam, pronunciavit, id neutiquam ex ſapientum Virorum placitis, aut Conciliorum Pontificumque decretis, aut Catholicorum uſu licere, ejus offenſam incurrerat. Quæ ubi ſe prodidit, Societatis hoſtes avide arrepta occaſione calumniandi, antiquas nænias recantare, & novas minime invito obtrudere cœperunt. Cæteras inter, palmaris calumnia fuit auri Urvaicenſis fabula, jam dudum exploſa, & rurſum ea tempeſtate per utrumque orbem diſſeminata; verum adeo feliciter ac nervoſe a Diaſtanio exagitata; ut duo Senatores Prætoresque Regii, ſententiam pro poteſtate pronunciantes: delatores grandi pecunia & exilio multarint, famamque Patrum publico teſtimonio vindicarint. Ad quos tamen exturbandos præter commentitii illius auri machinam, id etiam dæmon admovit, ut per iniquos homines ſpargeret in vulgus, & Magiſtratibus obtruderet, noſtros nervis omnibus adlaborare, ut Neophytos a pendendo tributo eximant, ac interciſis auri, argentique venis ærarium Regium imminuant. Sed & iſtud ab Diaſtanio everberatum eſt: quo audito Senator Regius Joannes Ulasquius Valverdius, diſertis verbis ad Regem Catholicum poſt inſpecta Paranæ & Urvaicæ oppida ſcripſit: ex omnibus, Societatis noſtræ Religioſis, nullos in his oppidis abs ſe repertos fuiſſe, qui propenſioribus animis de tributo ab Neophytis Regi perſolvendo agerent. Calumniæ appendix erat: perſuadere Regi Catholico voluiſſe; Religioſos Societatis, Regiis impenſis citra ullum fructum Religionis Chriſtianæ ex Europa in Paraquariam tranſportari, alique. Hujus rurſum calumniæ fabricatoribus abunde ſatisfactum ab Diaſtanio; cum longo ordine percenſe-

ret Nationes, Regi Catholico, non armorum ſtrepitu, non equitum, peditumque legionibus, verum ſola prædicatione verbi divini per Europæos Socios ſubjectas. At ne quid otioſi homines inexpertum ad vexandos noſtri Ordinis homines relinquerent, auſi ſunt eo nomine apud ſummos Magiſtratus eos ſugillare, quod non undique ſanam, imo hæreſim ſapientem doctrinam inter Neophytos ſpargerent. Cum vero probroſiſſimæ accuſationis capita veſtigarentur, illud adverſarii in medium adferebant: quod Societas in reddendis Gvaranice, DEI & DEI Filii, nec non DEI Matris nominibus, uteretur verbis in ſua ethimologia fædæ ſignificationis, & quæ olim præſtigiatoribus attributa forent. Ad hæc Diaſtanius libello a ſe conſcripto, typisque edito reſpondit, docuitque: eorum verborum, quæ Societas uſurparet, uſum ab integro ſeculo vigere, a ſummis & expertiſſimis Viris fuiſſe receptum, a Synodo & Inquiſitoribus approbatum. Parem exitum habuit calumnia, qua Paraquarienſes Socii per ſumma tribunalia tanquam ſchismatici traducebantur, quod Cordubenſis Acadamia, ſententiam rogata reſpondiſſet: Epiſcopo ſine literis Apoſtolicis conſecrato, nullum jus eſſe ad Epiſcopatum. Superveniente enim ſummi Pontificis judicio idem ſentientis, facile omnibus perſuaſum eſt, quam non ſchismatice, verum cum ſummo Pontifice conſentiens Paraquarienſis Societas ſententiam dixiſſet, dubitaſſetque ante Pontificium decretum Diaſtanius, utrum jure valida fuiſſet Bernardini conſecratio.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Rurſum in Procuratorem Generalem eligitur; alia ipſius munia & præclaræ animi dotes.

Comitiis Provincialibus Cordubæ Tucumanorum habitis, Patrum ſuffragiis in Procuratorem Generalem electus, favente cœlo in Hiſpaniam proſpere navigavit; ubi turbida omnia contra ſe reperit; nam defenſores Epiſcopi Bernardini, & aureæ fabulæ buccinatores clam palamque infenſi, vehementer Diaſtanii rebus obſtabant, tantumque potuere, ut iter Romanum (quo deſtinabatur) interturbarint, & de eo in Hiſpania retinendo decretum Regium fieri emendicatis undeunde criminationibus attentarint. Triumphavit innocentia Diaſtanii, dilutis calumniis, authoritate Regia poteſtas viro facta eſt, ut ſubſidiarios Socios colligeret, navimque ſuo arbitratu conduceret. Itaque negotiis ex animi ſententia confectis, aſpirante Numine, ventisque ſecundis, ad portum Boni aeris renavigans, recreavit univerſam provinciam & ſuo, & ſelectiſſimorum Sociorum adventu.

In provinciam redux, varia Societatis munia ſuſtinuit, tanta omnium ſatisfactione, ut Cordubenſis Collegii maximi Rector, & deinceps Paraqua-

quariæ Provincialis nominari mereretur. Rectoratum Cordubenſem triennio cum laude adminiſtravit: verum ætas devexa & octogenaria major, ſenilibus divexata morbis, provinciæ gubernacula adire non ſinebat. Cæterum Viri virtutes geſtis muneribus pares omnino fuere. Excelluit in eo animi demiſſio, cum virili magnanimitate conjuncta, fortitudo non vulgaris in pertractandis difficillimis negotiis, quæ quidem ad promovendam DEI gloriam & Indorum ſalutem pertinerent. Liberalitas in Hiſpanos pariter & Indos ita eluxit, ut modum exceſſiſſe viſa fuiſſet; ni nimium id, eminens amor excuſaſſet. Dum Cordubenſi Rectoratu fungeretur, unius Monaſterii ſacras Virgines ad ſummam paupertatem redactas nullo Collegii diſpendio binis vicibus veſtivit. Pro defendendis Indis bis in Peruviam, difficillimo, longoque itinere perrexit; bis in Hiſpaniam navigavit. Si qua ſe obtulit bene de quopiam merendi occaſio, nemo illo hilarior, nemo profuſior. Mœſtos erexit, in vocatione vacillantes confirmavit, exploratumque eſt quamplurimos dexteritate optimi Patris fuiſſe ſervatos. Verbo: virtutes homini Religioſo perneceſſarias ita ſibi familiares ac domeſticas reddidit, ut dubium reliquerit, qua potiſſimum excelluerit.

ALPHONSUS ARIAS
HISPANUS.
In defenſione Neophytorum mactatur.

ANno 1647. Mamaluci prædones, ex improviſo Fojenſe oppidum (ſic ab Virgine Matre in quercu non procul Leodio inventa nuncupatum) invadentes, ducentos Neophytos captivos fecere. Qui tametſi fuſis, fugatisque prædonibus in libertatem vindicati ſint; tamen Socii de commutanda ſede, quotidianis latronum injuriis expoſita, egere; captoque conſiiio, ne in transmigratione futura Neophyti egerent, in media inter utrumque locum ſilva ſementem fecerunt. Eam operam dum urget Chriſtophorus Arenas Frater impiger, a Mamalucis capitur, & ſtramineæ caſæ incluſus cuſtoditur. Vitam trahebat miſer in tanta rerum inopia; ut ex majoris molis formicarum (quæ de vicino agro per parietis rimas triticum turcicum convehebant) oneribus victitandum fuerit. Re cognita, Juſtus Vanſurkius & Alphonſus Arias cum numeroſa manu ad Mamalucos prædones ſe conferentes, Chriſtophorum Arenam facile in liber-

libertatem aſſeruerunt. Verum cum Neophyti, populares ſuos, Arenæ comites, pariter redimere contendunt, & Alphonſus Arias ſuorum partes tuetur; inimicam glandem accepit, ac pro ovibus ſuis bonus Paſtor animam poſuit.

Carieci in Hiſpania, honeſtis parentibus natus, a primis annis totum ſe manſuetioribus literis dedit; tum Salmanticæ præſtantiſſimos Philoſophos, & Juriſconſultos ſolers audivit. In Societatem noſtram adlectus, jam a principio ſuis Magiſtris ſe egregie probavit. E medio Religioſi Tyrocinii curſu, ut humanioribus literis Burgenſem juventutem imbueret, præter morem noſtri Ordinis evocatur. Quo in munere ſtrenue verſatus, Indicam provinciam exambivit, & procurante Joanne Baptiſta Ferrufino obtinuit. Per iter ad Indos, Ulyſſipone, jam Sacerdos, apud præſidiarios milites; & in triremibus operam ſuam utiliter & alacriter collocavit. Per hyemationem in Braſilia, cum Patre Almeida Neophytorum oppida & vicos per orbem circumivit, verbo & exemplo ita quamplurimis profuit, ut deſiderium ſui relinqueret. In concionibus non acutum & ſubtile dicendi genus, verum humile, ſed ad audientium animos inflammandos mire concinnatum, ſectatum fuiſſe accepimus; dixiſſeque ad populum cum laude & fructu; morum tamen ſanctimonia & virtutum ornamentis præ eloquentia Auditores ſuos flexiſſe. In provinciam delatus, rationum pondere evicit apud Superiores, ut nuncium ſtudiis remittere liceret, expedireturque ad Indos. Votorum compos: in provincia Tapenſi, in perdiſcenda barbarorum lingua & docendis Neophytis Catechumeniſque diu multumque ſudavit. Evaſtatis per Mamalucos Tapenſium oppidis, cum Neophyti ad tutiora transferrentur, immenſos prope labores exhauſit. Ad Itatinos ex Paranenſi regione accitus, Beatæ Virginis Fojenſis oppidanis, magnam partem adhucdum ethnicis, præeſſe jubetur. Quos ut ad humanitatem, diſciplinamque Evangelicam flecteret, nullas ærumnas ſubterfugit, conſtantiaque tandem invicta effecit; ut nullus jam in oppido degat, qui Chriſtum non profiteretur. Usque adeo in filios ſuos Sacramentorum amorem inſinuaverat, ut cum veteribus Chriſtianis de pietatis palma certare poſſe viderentur. Parthenium Sodalitium, corollæ Marianæ quotidianum in Templo penſum, Sabbatis B. Virginis Votivæ Miſſæ auditionem, & Lauretanarum (ut dicimus) Litaniarum publicum uſum, aliaque virtutum pulcherrimarum exercitia introduxit. Quibus adminiculis vanas & ſuperſtitioſas religiones ex Neophytorum animis penitus evulſit.

Flagrabat totus animarum Chriſto lucrandarum deſiderio. Intime angebatur, per operarum paucitatem novas provincias adiri non poſſe. Cupiebat ipſe unus multorum hominum conatus compenſare. Quapropter Gvatorum linguam ab Gvairanica multo diverſam jam didicerat, Pajaguarum item, qui Indorum ferociſſimi habentur, ignotum ſermonem addiderat. Sperabaturque futurum, ut gentes Itatinenſibus confines,

nes,

nes, per bonum Patrem Fidem Chriſti capeſſerent; ni tantas ſpes ipſius cædes, & operariorum paucitas præcidiſſet. Hos ille pios ardores, e quotidiana Chriſti patientis meditatione hauſit; inde firmius robur animi accepit ad ardua quæque audenda, & adverſa alacriter perferenda. Cilicia, flagella, & alia corpori domando opportuna inſtrumenta uſurpabat creberrime, paupertatem ita rigide colebat, ut minima munuſcula, Neophytis Catechumenisque dari ſolita, neutiquam apud ſe, verum apud ſuum Superiorem voluerit aſſervari. Atque hi fuere gradus, quibus Alphonſus noſter ad altiſſimum virtutum, ac quod ſperamus, gloriæ immortalis apicem evectus eſt.

PETRUS MARQUES
GALLOBELGA.

PEtrum Marques Gallobelgam Inſulenſem, jam alias inter Illuſtres Societatis noſtræ Viros ab Hiſpano Scriptore relatum, ego pariter inter meos refero, quem non laborum Apoſtolicorum diuturnitas, aut ethnicorum converſiones, verum innocentiſſime acta vita; animarum ſitis ac divinam gloriam propagandi immenſa cupiditas clarum effecere. Hunc immatura mors, ætate ac ingenio florentem rapuit in S. Joſephi apud Paranenſes oppido. Ante initam ſocietatem Præfecturam opimam ſane ac honorificam, ab Viro Principe ultro delatam adire reſpuit. Expletis in Religione virtutum & ſtudiorum experimentis, Græcas literas & Rhetoricam Atrebati cum laude docuit. A teneris annis ad heroica facinora aſpiravit, ac mortem pro Chriſti nomine fortiter obeundam incredibili cupiditate ambiens, ſæpe ad Majores ſuos, ſuo ſanguine inſcriptas literas dedit, quibus expeditionem Japonicam, Indicamque flagitabat. Atque ut id quam ardentiſſime faceret, non parvo incitamento fuit ejus matris lectiſſimæ Matronæ præſagium; quæ in ultimo agone e vehementiore deliquio ſibi reddita, ad filium tum Societatis Tyronem ſe reviſentem converſa, in hæc verba prorupit: *Lubenter fili mi morior, quia cœlitus didici, te conſtanter in Societate victurum, & inter Antropophagos moriturum.* Quæ matris extrema verba in id, quod optabat contorquens, ſibi perſuaſum habebat, vitam fuſo ſanguine inter barbaros ſibi eſſe finiendam; quanquam mater non cruentam mortem tum præſagiiſſet. Virginem Deiparam impenſe coluit, cujus beneficio fideliorem memoriam

obtinuiſſe creditus eſt. Cum enim quotidianum ſcholæ penſum ægre potuiſſet antea reddere, ac permetueret, ne ea memoriæ ſegnities impedimento eſſet, quo minus in Societatem cooptaretur, apud cœli Reginam inſtitit, ac tantam deinceps memoriæ felicitatem conſecutus eſt, ut, me teſte, bene longam orationem, & unius horæ poema abs ſe compoſitum, uno alterove die, memoriæ mandaret: & ſine hæſitatione proferet. Neque tanti beneficii immemor vixit; nam ut nihil frequentius animo revolvebat, ita de nulla re dulcius, atque de titulis & amoribus Marianis loquebatur.

Animi corporiſque puritatem usque ad mortem tuebatur illibatam, nullaque præterea gravi culpa contactam. Quando de amplificando regno DEI ſe ſe loquendi occaſio obtulit, ea contentione diſſeruit, ut facile conſtaret, in generoſo pectore heroicos ignes concludi. Quibus fovendis, S. Franciſci Xaverii memoriam, & exempla, tanquam flammarum Apoſtolicarum nutrimentum adhibebat. A magnis viris in Belgio Sanctus habebatur. Morbus lethalis lenta febris fuit, ex navigationis Indicæ incommodis contracta, cui alterum malum, biennalis videlicet dyſſenteria acceſſit. Animam efflaturus: non ſine anxii animi ſignificatione ait: *quæ eſt iſta mulier, quæ ſe miſcet noſtris choris? expellite illam;* cumque Socius baculum, ut ſi mulierem vellet abigere, prætendiſſet, addidit ægrotus: *bene habet;* & veniam erratorum a præſentibus petens, expiravit. Paulo ante mortem cum didiciſſet, inter quosdam Urvaicenſes, Paranenſeſque Socios ita conveniſſe, ut qui primus eorum moreretur, pro eo ſuperſtites Socii, duodecim ſacra ex pacto facerent; ut inter eos adlegeretur, obtinuit, lætuſque tanto ſuffragiorum augmento, e vita diſceſſit. Confœderati omnes promiſſis ſtetere, unus tamen Chriſtophorus Altamiranus Bororæi oppidi Præfectus, veluti nimium liberale, ſibique iniquum pactum cum moriente Patre iniviſſet, neglecto debito ac fide, Sacrificia facere diſtulit. Igitur Chriſtophoro ſudores inſoliti, & inſomnia ſuboriuntur, fragor in templo, ceu hominis pulpitum concutientis, tectique faſtigium evertentis auditur, & interjectis diebus infeſtiora ſigna nocturnis horis addita, ac pleraque repetitis vicibus, ne ludibrium mentis videretur, ſunt audita. Denique cum bis veſtem religioſam indutus, noſter Petrus viſendum ſe Chriſtophoro Altamirano præbuiſſet, non ante conquievit, quam duodecim ſacra ipſe peregiſſet. Quinque hebdomadas tenuit ea vexatio, ut ſcias, innocentiſſimis etiam opinione noſtra mortalibus ſæpe non deeſſe apud ſeverum Judicem, quod expient. Didacus Boroa, geſto Provincialis munere Paraquariæ notus, exiſtimabat, ea de cauſa luſtralibus ignibus tamdiu caſtigatum, quod ferventius, ac par erat, mitti ad Indos, extorta per importunitatem venia, voluerit. In eodem quo defunctus eſt loco, iconem e quercu Beatæ Virginis Fojenſis, a Petro Marques e Belgio allatam ſolenni pompa collocarunt indigenæ, cui adeo pie afficiuntur, ut non raros favo-

res idcirco impetrent. Certe quidem, quod a peſte, quæ omnes late terras inundarat his annis, liberi fuerint; huic poſt DEUM Virgini acceptum referunt, tam novo orbi, quam Belgio ſalutari.

JUSTUS MANSILIA BRABANTUS.

CAPUT PRIMUM.

De ejus Parentibus, & vitæ primordiis.

JUſti Manſiliæ genitor Brabantus fuit, ſumma Vir virtute, ut ea propter cœlum in vota pronum, peculiarem in modum ſenſiſſe, memoriæ ſit proditum. Rem ſic enarrant: cogitabat ille de ſeptem filiis, quos domi pie ſanctеque educabat, honeſte aliquando collocandis. Supputabat arearum ſuarum rationes, atque animo angebatur, quod illæ quanquam non contemnendæ eſſent, attamen in tot partes ſectæ, ad eam rem ægre ſuffecturæ viderentur. Qua cogitatione quadam die vehementius pulſatus, in Templum ſe proripit, audit ſacrum oratorem illud pſalmi quinquageſimi quarti explanantem: *Jacta ſuper Dominum tuum curam tuam & ipſe te enutriet.* Quæ verba adeo alte iu animum demiſit ut ſæpe recurrerent; tum tabellæ inciſa de induſtria identidem repetebat, ac demum quoties in memoriam revocabat, ſenſit continuo non evaneſcere modo nimiam illam ſolicitudinem, ſed mentem quoque ſpe certiſſima firmari, Divinum Numen & commoda & vitam filiorum ſumma providentia curaturum. Nec ſpes fefellit, quippe ſuccedentibus annis, vidit ſeptem ſuos filios, nemine dempto, in Societatem noſtram admiſſos.

Antverpia non Belgii ſolum, verum totius Europæ nobiliſſimum emporium, Jodocum Vanſurkium, poſtea Juſtum Manſiliam ab Hiſpanis vocatum, orbi dedit circa annum ſecularem. Parentes ejus honeſti & pii, ſeptem, quos dixi, filios perpetua maſculorum ſerie genitos, Societati JESU conſecrarunt; quos prope omnes clari Scriptores Viris illuſtribus inſerunt. Juſtus noſter Societati mancipatus, in Tyrocinio & deinceps

inceps ita Majoribus ſe probavit, ut ſi virtutem, ingeniique commendationem ſpectes, omnium opinione paucos habuerit ſui æquales. Sane cum olim Flandrobelgica provincia ſoleret Romam mittere ſelectiſſimum par Juvenum tranſacto Tyrocinio, ad hauriendum inter ſtudia primigenium Ordinis noſtri ſpiritum, quem deinde reduces in alios derivarent: ac de ſeligendis pro more Sociis per Patres tractaretur, inque oculis verſarentur ſelectiſſimi quique; primis ſuffragiis electus eſt Joannes Berchmannus, ſecundis vero Juſtus Manſilia, qui procul dubio comes Berchmanni iviſſet, ni profectionem interturbaſſet mutata valetudo; cœlo Auſtralibus his provinciis Manſiliam deſtinante. Quo factum, ut Berchmannus Europam & Juſtus Americam, tanquam ſidera diviſa illuſtrarint. Qua in re ſi meum judicium aliquid poteſt, libere pronuncio: cum magna Manſiliæ laude conjunctum eſſe, quod graviſſimorum Patrum ſententia, proxime ad Berchmannum acceſſerit, ſanctitatis famam per totum orbem adeptum. Tam præclaræ de Manſilia opinionis non ignarus Mutius Vitelleſchus Societatis noſtræ Generalis; particulam exuviarum Berchmanni ad eundem miſit, futurum præteritæ deſignationis perenne monumentum, quo ſimul identidem incitaretur ad heroicas virtutes. Recuperata valetudine literas humaniores ſat diu tradidit, & Lovanii per triennium Theologiæ ſtuduit: inter quæ literarum otia animum adjecit ad Indicas expeditiones; votorumque damnatum ſe vidit.

Caput Secundum.

Uliſſiponem contendit, & in Americam vela dat.

ANno 1627. Gaſpar Sobrinus, impetrato ab Generali pro Paraquaria novo Sociorum ſubſidio, Roma in Belgium reſcripſerat, cupere ſe, ut ſuos Flandrobelgica quamprimum ſubmitteret. Quo nuncio accepto, Florentinus Montmorencius juſſit deſtinatos quatuor, viatico inſtrui, nocte præciſe una ad componendas res conceſſa. Paruit Manſilia, & cum tribus comitibus, poſtridie quam juſſa capeſſiverat, viam auſpicatur. Pariſiis perbenigne accepti, cum a Rectore Collegii petiiſſent, ut ſibi liceret equis meritoriis uti ad celerius proſequendum iter, reſpondit homo auſterioris ingenii: neutiquam ſe permiſſurum, ut Divi Xaverii imitatores equo veherentur. Igitur ſarcinulis onuſti, Lutetia pedites diſceſſere. Burdigalæ faciliorem nacti ſunt domui Profeſſorum Præpoſitum Carolum Lotharingum, qui author ipſe Patribus fuit, ut equos & commoda equitandi inſtrumenta compararent, ne vires Evangelicis laboribus deſtinatas, ante tempus labefactarent. Uterque mea opinione ex ſuo genio optime, renovato ſcilicet Divi Arſenii, & Abbatis Pambo contrariorum inter ſe exemplo. Reliquum

liquum iter per Galliam, Hiſpaniam, & Luſitaniam proſecuti tandem Ulyſſiponem tenuere.

Poſteaquam conveniſſent duo & quadraginta Socii, in Paraquariam profecturi; decimo quinto Calendas Martias, ab amplexibus Patrum Ulyſſiponenſium, non ſine piæ æmulationis indiciis ſe expedivere. Ibant bini nullo nationum diſcrimine, nam Italos, Belgas, Burgundos, Germanos, Luſitanos, & Hiſpanos charitas unos effecerat. Ibant, inquam, per urbem Regiam, occurrente undique populo, & mirante, quod tanta alacritate vaſtiſſimi Oceani procellis, inſidioſis vadis, ſirtibusque & barbararum gentium indomitis furoribus ſeſe objicerent. In navi ſuis omnia rite temporibus peracta ſunt, ſeu privata Religioſorum penſa ſpectes, ſive impenſas in nautarum, vectorumque commoda operas. Certe in erudiendis & ſublevandis Manſiliæ navitas ac diligentia conſtitit. Interea felici curſu ad Januarienſem Braſiliæ portum appulere; urbis Præfecto cum cætera nobilitate, & Collegii noſtri Patribus benevole & ſolenni pompa Religioſos hoſpites excipientibus. Ibi refectis octiduo corporibus, rurſum mare ingreſſi, cœlo undisque faventibus, Boni aeris portum pridie Cal. Majas inſolita celeritate tenuere. Adhucdum in portu erant, cum ex improviſo armata navis Hollandica lembo comitata, in urbis conſpectum ſe dat, quæ eo fine mare percurſabat, ut Juſtum Manſiliam Belgasque cum reliquis Sociis (nam fama de eorum navigatione prævolaverat) in ipſo fluminis Argentei oſtio, interciperent. At DEO O. M. providente factum, ut dum nautæ inter ſe diſceptant, utrum ad ſtationem, qua piratæ ſe occultaverant, navis eſſet applicanda, venti tam belle faverint, ut ad Boni aeris portum fuerit curſus convertendus.

Caput Tertium.

Primi ejus apud barbaros in Gvairania labores.

Averſo divina ope periculo, ſubſidiarii Socii partim ad Hiſpanorum urbes, partim ad gentes barbaras digreſſi ſunt. Et quoniam Juſtus Manſilia nondum extremum Theologiæ annum abſolverat, ad Paraquariæ Metropolim dimittitur. Perfecto ſtudiorum curſu, Majorum voluntate in Gvairaniam lubens volensque iter arripit. Porro Gvairania, ſub ea tempora, Apoſtolicis laboribus clariſſima erat, eamque primi nominis Viri accurabant, & recens Indos Oceano Atlantico obverſos detexerant, Fidem Chriſtianam haud dubie amplexuros, ſi afforet copia Magiſtrorum. Ubi ergo Juſtus Manſilia cum tribus aliis Sacerdotibus noſtris, a portu Boni aeris appulit; vix dici poteſt, quantis lætitiis inceſſerint veterani Patres viſis ſuppetiis. Iis fere temporibus nova Indorum natio ex inopinato ſe oſtentarat, campe-

ſtres, capillati, coronati, dicebantur; quod campos incolerent, capillum viri fœminæque promitterent ad humeros, comam in vertice orbiculatim ſcalpello lapideo raderent. Ex gente hac, aliquot jam oppida coaluerant, in quibus condendis præcipue eluxerat Chriſtophori Mendozæ felix induſtria, qui exiguo prorſus tempore duo millia coronatorum collegit, jamque ad baptiſmum rite ſuſcipiendum formarat, cum ab Antonio Ruiſio jubetur ad interiores capillatorum regiones, tanquam ad novam meſſem properare. Idcirco relicta S. Michaelis (quam fundaverat & rexerat) colonia Juſto Manſiliæ; Majorum ſuorum mandata ſecutus eſt. Manſilia Indicæ linguæ nondum peritus; ex ſcriptis tabellis, qua poterat, rudimenta Fidei ſuis præibat, inque ea exercitatione dies noctesque poſuerat, qua aſſiduitate factum, ut magnopere proficeret, ac tandem Chriſtianæ doctrinæ præcepta pro dignitate tradere poſſet. Tum vero effuſa induſtria undique conniti cœpit, ut grex ſuæ fidei comiſſus deterſa barbarie ad humanitatem, probos mores, pietatem, ſanctitatemque adoleſceret. Templum deinde condidit, Sacramentorum uſum induxit, Paſtoris denique vigilantiſſimi partes, ad exemplum & admirationem explevit.

CAPUT QUARTUM.

In Sancti Michaelis oppidi everſione dura perpeſſus, in Braſiliam latrones inſequitur; Gvairaniam repetens labores redintegrat.

JAm Divi Michaelis oppidum decore ſurgebat præclaris Manſiliæ conatibus, ac ſparſim per Gvairaniam ducebantur coloniæ, quæ undecim locis jam conſederant, proxima ſpes totidem præterea alias promittebat, cum infernalis hoſtis proſpero rei Chriſtianæ ſucceſſu irritatus, rurſum Mamalucos excivit. Atque hi quidem mixti generis erant; Ibridæ nuncupati, ultimæ Braſiliæ populi qui poſtquam magnam Americæ partem populationibus evaſtaſſent, in Gvairaniam & alias Paraquariæ regiones infuſi, anno 1629. florentiſſimam provinciam aperto Marte aggreſſi ſunt. Prima fuit S. Antonii colonia quæ hoſtile ferrum perpeſſa, in diram ſervitutem ceſſit. Fama rei ad S. Michaelis delata, Socios perpulit ad quærendum imminenti malo remedium; neque aliud in ſubito caſu repertum eſt, quam fuga. Suaſerat igitur Manſilia Michaelitis, ut celerrime convaſarent, atque ad Incarnationis coloniam contenderent, illic tutam ſtationem fore; certe quidem viribus conjunctis latronibus reſiſti poſſe. Multi Manſiliæ ſe ducendos tradidere, quibus oppidani Incarnationis, cum Patribus obviam eggreſſi, Manſiliam ejusque comites fame prope enectos abunde recrearunt. His in tutum receptis, Manſilia iter ad ſuos relegens, reliquæ genti ſuaſit, ut ſe in ſilvas abderent, omnia plena eſſe periculi. Ipſe in

vacuo oppido cum duobus comitibus perſtitit, atque unde minime timebantur, inde inſidiæ. Barbari recens reducti in ſuſpicionem venerant, idcirco ſe in oppida includi conſcribique, ut certius in Mamalucorum manus tradi poſſent. Ob quam rem fama increbuerat, nonnullos Manſiliæ ſolitudini hoſtiliter imminere, ad quem defendendum, cum aliquot ex veteribus Neophytorum oppidis proceſſiſſent, a Mamalucis intercepti ac fruſtra deprecante Manſilia, vinculis onerati ſunt. Sæva deinde prædonum phalanx S. Michaelis coloniam ingreſſa, cum inanem vacuamque hominum vidiſſet, infrenduit, tum viciniam omnem ſcrutata, intimis ſilvarum & montium penetralibus latitantes ac trementes protraxit, atque demum collectos in conſpectu mœſtiſſimi Patris in ſervitutem abduxit.

Dum hæc apud Michaelitas geruntur, alia Mamalucorum cohors JESU-MARIANOS obruit, fœdumque in modum populabatur, ut adeo eodem tempore, eodem Mamalucorum turbine, tres celeberrimæ coloniæ involverentur, vinculis adſtricti cives, e Gvairania in Braſiliam, per immenſa terrarum ſpatia more pecudum agerentur. Simon Mazeta & Juſtus Manſilia dolore & amore urgente, miſeram turbam ſecuti ſunt; ut ſi exorari latrones poſſent, aliquos ſuorum recuperarent. Qua vero ſpe, quave fortuna rem egerint, fuſe ſupra enarravi. Illud hic commemorandum venit, quod ex ipſo Simone Mazeta didici: Juſtum Manſiliam in ea expeditione mille leucas pertinaci conſtantia emenſum; ſæpe in extremo vitæ diſcrimine verſatum: ſæpe captivorum vinculis ſe intexuiſſe ut miſerationem commoveret. Quot ille adulta ætate homines, tenellosque infantes, cum morte luctantes (quos impii homines omni ope deſtitutos poſt ſe reliquerant) ſeu ſacris undis abluerit, ſeu opportunis Sacramentis ad mortem compararit; ex ardentiſſimo Viri zelo, latronum immanitate, captivorum numero licet conjectare.

Nequicquam repetitis in Braſilia captivis, & quoniam Mamaluci ad reliquorum oppidorum perniciem ſe accingere nunciabantur, da reditu cogitavit. In Januerienſi portu duodecim ſuorum recuperatis, Piratingam contendit, quam dum ſubit, intento (incertum a quo nebulone) ſclopo, vix mortem evaſit. Deinde ſecundo Aniembio in Paranam, e Parana in Paranapanei fluminis oppida, naufragium ſemel paſſus, cætera non infeliciter penetravit. In Gvairaniam redux, ſuperiorem cladem cum reliquis Sociis ſarcire ſatagens, Apoſtolico more variis in locis laboravit, donec Mamalucorum rabies rurſum deſæviret, qui deletis aliquot Neophytorum noſtrorum oppidis, & reliquis ad migrationem compulſis Gvairania univerſa potiti, Socios adegere, ut novas ſedes, novamque animarum meſſem quærerent, nunquam defuturam, dum fuerint, qui toto animo gentes ab ſummo Numine poſtulent.

CAPUT QUINTUM.

Itatinenſem ethnicorum regionem primus explorat, & in ea oppidum fundat; Mamaluci fœdam populationem inferunt.

PErdita Gvairania, Itatinenſis ethnicorum regio inter Paraquariam & Peruviam ſita, ad ea tempora omnino intacta, æterna Numinis providentia Societati excolenda obvenit. Ad hanc explorandam Manſilia noſter primum miſſus, cum pronos barbarorum animos adverſus ſacra Chriſtiana reperiſſet; apud Majores effecit, ut terni, fama ac factis clariſſimi Viri, ad eam meſſem venirent. In provinciam delati ſine mora primi oppidi fundamenta jecere, & Nicolao Enartio Lotharingo commendarunt. Secundum oppidum Ignatii Martines Neapolitani curæ ceſſit. Tertium Incarnato Verbo dicatum, Juſtus Manſilia condidit rexitque. Ranzonierius quartam coloniam coegit. Acceſſit demum amplus nec ignobilis pagus, qui ut Incarnationis oppido accenſeretur, Patribus viſum eſt. Dux loci Manſiliam adiit, monuit haud quaquam illiberaliter, ut curas unice converteret ad plebem docendam, ſe vitæ ſubſidia omnia, largiter adminiſtraturum, quæ ſane non fuere alia, quam triticum, pauculæ radices, & varium fabarum genus. Namque panem his terris edere, vinum deguſtare, lanave veſtiri, peregrinum eſt.

Læta hæc, funeſtiſſimus caſus excepit. Crucifixi imago ſat largum ſudorem emittere viſa eſt a duobus Ordinis noſtri hominibus; qui ſudor adventum Mamalucorum prænunciare non temere credebatur: Neque enim diu poſt, e Gvairania turmatim in Itatinenſium regionem effuſi, primo furore tria oppida a Patribus poſita populati, Neophytos ferro, loriſque revinctos abripuerunt. Eaſdem vices ſubierant Incarnationis incolæ, ni Indos irritatos, & ab Manſilia ad defenſionem concitatos veriti hoſtes fuiſſent. Poſt latronum diſceſſum, Incarnationis cives de migratione conſilia agitarunt, quod viribus longe inferiores, eo in loco belli injuriis quovis tempore paterent. Igitur Ranzonierius, Manſilia, Enartius, in id incubuere, ut ex diſpalatis Mamalucorum metu populis, & Incarnationis incolis, & item ex novis ethnicorum acceſſionibus, bina oppida commodis locis conderentur. Alterum ad Tepotium amnem poſuit Juſtus Manſilia, alterum centeſimo ab Aſſumptionis urbe lapide, non procul a Paraquario flumine Ranzonierii & Enartii induſtria aſſurrexit. Quorum labores in colligendis, cicurandis, inſtituendis barbaris, cæteriſque Apoſtolicis exercitationibus, quia omnibus Sociis communes erant, ſingillatim recenſere operæ pretium haud duxi.

CA-

Caput Sextum.

Inter adverſa oppidum abs ſe fundatum ſtabilit ; Itatinenſi Miſſioni præficitur.

JUſti Manſiliæ præclaris in nova provincia conatibus, non parvas moras injecit in Urbe Aſſumptionis Magiſtratus Civilis & Eccleſiaſticus. Nempe ex utraque Repub. viri non minus opibus, ac authoritate florentes, conjunctis conſiliis id moliebantur, ut Neophytorum noſtrorum ſervitia ad ſe dirivarent. Jamque avara quorundam cupiditas eo progreſſa erat, ut in Sociorum locum Clericos ſeculares ſubrogare vellent, quod ut ab Senatu Regio impetrarent, nonnulli malis artibus uſi ſunt in procudendis, concinnandisque accuſationum capitibus. Porro cum intentatæ litis inſtrumenta ad ampliſſimum Senatum Chuquiſacenſem mitterentur, unus e corruptis teſtibus, conſcientiæ ſtimulis agitatus, ſecreto libello ad Senatores miſſo, quæ ipſe egiſſet dixiſſetque, retractavit, palam teſtatus: potentis cujusdam viri authoritate eo ſe impulſum fuiſſe, ut Sociorum integritatem calumniis obtereret, & criminationes e malevolorum cerebro procuſas ſuo chyrographo roboraret. Qua reclamatione cognita, Senatus integerrimus non ſine labe authorum famæ calumnias exploſit, & Manſiliæ Sociorumque jura ſarta tectaque voluit. Nequibat tamen averti malum, ex primis accuſatorum clamoribus enatum, ut ne multi Neophytorum, ſervitii Hiſpanici metu, ad ethnicos deficerent. Hiſce turbis acceſſit peſtis late infeſtiſſima Chriſtianis pariter, atque ethnicis. Quos dum per paludes, antra, & nemora impiger Manſilia veſtigat, non paucis extremam animam agentibus ſaluti fuit. Mitigata lue Didacus Ranzonierius, & Nicolaus Enartius valetudinem amiſere, non ſine ſuſpicione veneni. Fatis ſublato Ranzonierio Juſtus Manſilia, relicto ad curam geminorum oppidorum Enartio, qui ex gravi morbo convaluerat; ipſe magnis itineribus ad Aſſumptionis urbem proficiſcitur, ſubſidia Sociorum ad Itatinenſem expeditionem corrogaturus. At fruſtra, quippe peſtis per urbem, & ſuburbana loca graſſata pauculos Sacerdotes noſtros, in quibus ſpem defixerat, occupatiſſimos habuit. Repulſa accepta, dum ad Itatinenſes reverteretur, geminum & acerbum nuncium accepit, primum de morte Nicolai Enartii, quem iterata morbi vis abſtulit, alterum de Braſilienſium latronum adventu: utrumque animi vulnus ea recordatione leniendum putavit: ita placere Superis.

Ranzonierio & Enartio triſti funere elatis, Itatinenſem provinciam ipſe unus gubernandam ſuſcepit, quæ duo oppida tenella adhuc, ut novi partus eſſe ſolent, ob ſiniſtros caſus non interrupta ſerie ſibi ſuccedentes, diu nutaverant. Acceſſit belli metus a Braſilienſibus, ut dicebam, Mamalucis, auſis iterum Parana relicto, ad proxima Paraquariæ loca ſe

effundere. Jamque carpſerant e Neophytis plurimos, majores prædas facturi, ni Manſiliæ vigilantia eorum conatus infregiſſet, cœlumque manifeſtis pœnis in ſceleratos animadvertiſſet. Coorta etenim fœdiſſima tempeſtate inter crebra fulmina e nubibus prorumpentia multi periere, fluminibus hauſti multi; a tygridibus alii, alii morbis conſumpti ſunt, ut adeo perpauci tantæ cladis nuncii, dimiſſa omni præda in Braſiliam redierint. Viſum interea eſt Manſiliæ, ut unum e duobus oppidis in commodiorem locum transferretur; qua in re dum ſolicita cura elaborat cum Vincentio Badia, qui recens ſubſidio venerat, pene mortem invenit intentatam ab uno Caſiquiorum, minaci repente vultu ferrum in Patrem diſtringente. At cum eadem promptitudine, qua parricida arma expediverat, nudum pectus objiceret Manſilia; fractus conſtantia barbarus, enſem ſuſpendit, manusque a cæde abſtinuit. Cœpto ſubinde inſiſtentes, Manſilia & Badia coloniam deduxere, cui efflorefcere tamen non licuit; nam poſt breve temporis intervallum, bellorum inquies, peſtis, barbarorum indoles, aeris inclementia, aliorumque malorum ſeries omnia deformarunt.

Caput Septimum.

Ibidem & alibi rem Chriſtianam provehere contendit.

ANno 1639. Didacus Boroa Provincialis, ad Itatinenſem regionem Sociorum paucitate laborantem quaternos ſubmiſit, quibus præeſſe juſſus Manſilia ſe, ſuosque ad propagandam rem Chriſtianam novo ardore inflammavit. Unum de geminis oppidis Divo Benedicto dicatum antea, nunc ſtatione commutata, S. Ignatio conſecravit, alterum ab Virgine Fojenſi, in Leodienſi agro celebri nuncupavit. Tum, quo ardor ferebat, varia ethnicorum loca percurrit, emollitisque cœleſti fœcundia barbarorum animis, frequentes colonias deduxit, quas dum cogit, format, digerit, & alit, difficile dictu eſt, quos labores exhauſerit, quæ pericula ſubierit, ærumnas has biennalis dyſſenteria excepit. Curatione longum ducentarum leucarum iter erat ſuſcipiendum. Valetudini & Itatinenſi provinciæ redditus, priſtinum Apoſtolicorum laborum curſum redintegravit, adeo proſpero rerum ſucceſſu, ut per ora omnium Illuſtris Viri fama volitaret.

Hactenus ob diminutum operarum numerum, latronum invaſiones. peſtes, populares tumultus, Manſiliæ induſtria, cis Paraquarium ſe continuit. Pace parta, magnopere cupiebat ultra Paraquarium facem Evangelicam cæcæ ſuperſtitioni præferre. Majoribus ſuis ſpem amplam lætamque oſtentabat, fore, ut ea regio, quæ Itatinos inter, & Peruviam, centum quinquaginta leucis procurrit; ethnicisque frequens eſt, poſita ſuperſtitione veritatem Evangelicam amplectatur. Hac ſpe

præ-

præclara facile motus provinciæ Præſes, ad eam regionem, & Itatinenſes Socios regendos expedit Petrum Romerum, veteranum in ea Palæſtra Virum; quocum Anno 1645. per Pajagvarum ferociſſimorum mortalium fines, Paraquario flumine transmiſſo, itinere duodecim dierum primos ethnicorum vicos attigit. Earum terrarum incolæ ſocietatis fama præoccupati videbantur, neque ab Chriſtianis legibus admodum abhorrere. Quare communicatis conſiliis, futuri oppidi faciem deſcribunt, ædem ſacram moliuntur. Divam Barbaram in loci Patronam deligunt, crux pro more ſolenni pompa ſtatuitur, noſtræ Religionis rudimenta pro gentis indole explicantur. Hæc cum ex animi ſententia fierent, Romerus Juſtum Manſiliam ad Aſſumptionis urbem ducentis leucis diſſitam amandat; ut initæ expeditionis ſucceſſum nunciaret, a Majoribus inſtrumenta, ſubſidiarioſque Socios flagitaret, quo cœpta celerius perficerentur. Eo in itinere Manſilia nuncium accipit, de nece Patris Romeri, ab perduellibus cum Matthæo Ferdinando laico Fidei cauſa crudeliter trucidati; cui ſinceris lachrymis parentavit.

Caput Octavum.

Rurſum Itatinenſibus Sociis præficitur.

Cciſo Romero, Itatinenſem Præfecturam ſecundo adiit, turbida erant undique omnia: namque Catechumeni, Neophyti, perinde atque ethnici falſis ſuſcipionibus agebantur, neque faciles aures præbuere Patribus, arbitrati: eos cum Mamalucis clam colludere. Auditæque voces in circulis: ante Sociorum adventum, paternis ſilvis & fontibus in ſinu pacis ſe potuiſſe perfrui, nunc nulla ſtatione ſecuros eſſe. Commotos animos majorem in modum concitavit quorundam Caſiquiorum ferocitas, avitis ſuperſtitionibus ad inſaniam deditorum, quos inter eminebat Nianduabuſuvius, Patrum is detrectare imperium & palam tumultuari auſus. Borobobeus Nianduabuſuvii nepos ultra verba progreſſus, Dominicum Munioam impacto fuſte graviter læſit, Chriſtophorum Arenas alius; Vincentium Badiam ſcelus exprobrantem Nianduabuſuvius ipſe, & alter ejusdem nepos Niantabagua probris ac verberibus oneratum ad concionem dicere prohibuere, depulſo etiam populo, qui ad eum audiendum convenerunt. Has inter turbas, ſic tanquam in vindictam Sociorum, efferatæ tygres Neophytos undecim, ethnicos tres, equos viginti, boves aliquot ſuffocarunt. Immotis ad hos terrores barbaris, donec Socii blanditiis minisque fruſtra conſumptis, ſeveriora rebus labentibus remedia admoverent. Igitur Nianduabuſuvius turbarum præcipuum inſtrumentum, cum filio & duobus nepotibus, ſilentio noctis ex oppido extractus, ad ultimam Urvaicæ coloniam, ducentis leucis diſtantem, ne facilis eſſet regreſſus, in exi-

exilium per fidos homines deportatur. Amotis graſſatoribus mutata apud Itatinenſes rerum facies videbatur; exules, cæterique, quibus domi parcitum eſt, priſtinos erga Patres, vultus, animoſque induerunt, ſed tranquillum rerum curſum armorum furor interrupit. Namque teterrima rurſum tempeſtas Itatinenſibus incubuit, Mamalucis Fojenſe oppidum opinione celerius invadentibus. Per primum furorem plurimi civium in vincula conjecti ſunt; eandem fortunam ſubiit Chriſtophorus Arenas; Alphonſus vero Arias plumbeo globo trajectus interiit. Quidquid reſiſteret manu, voce, properatis auxiliis Manſilia, fruſtra fuit, præda omnis abacta eſt. Dilapſis prædonibus, bonus Pater in omnem rei bene gerendæ occaſionem intentus, inſtitutis variis excurſionibus nonnullos ſuorum, ære redemit; tum conquiſitis ſummo labore ethnicis, gemina oppida tantis malis convulſa, quoad poterat, ſarſit.

CAPUT NONUM.

Ex Itatinenſibus oppidis pulſus poſtliminio reſtituitur; mors ejus atque virtutes.

INterea Epiſcopus Paraquarienſis veteris injuriæ memor, apertum Sociis bellum indixit: ex Itatinenſi provincia noſtri Ordinis homines migrare juſſit, ſurrogatis aliis Sacerdotibus. Patres exceſſere magno Neophytorum luctu. Juſtus Manſilia trecentarum leucarum itinere Cordubam Tucumanorum perrexit; ubi tamdiu noſtrorum Tyrocinio præfuit, quoad Senatus Chuquiſacenſis eum, Sociosque Itatinenſi provinciæ redderet. Relecto itinere cum ad veteres ſedes perveniſſet, primæ Paſtoris curæ fuere, cenſum inire ovicularum, adeo diminutum, ut in oppidis duobus, quæ frequentia reliquerat, ſupra ducentos ſagittarios unum modo repererit, cæteris in ſilvas, paludes, aliasque latebras, ob ſervitutis metum dilapſis; quibus rurſum conquirendis & novorum hominum acceſſione augendis quantum laborarit, quantum præſtiterit, e numero incolarum æſtimare licet. Subducto enim ex legitimis tabellis calculo patebat; ſecundis Manſiliæ curis, utrumque oppidum nongentis admodum familiis locupletatum.

Labores Apoſtolici Majorum juſſu ſuſcepti, mortem optimo Patri acciverunt. Ad Neophytorum oppida ibat, externis Sacerdotibus ſubjecta, quos dum verni Jejunii tempore expiat, morbo populari tentari ſe ſenſit, eo demum lethaliter correptus, ad Socios relatus eſt, lætatusque quod extremis morientium Sacramentis procuratum & inter Indos laborantem mors occuparet, pie admodum expiravit. Nemo fuit, qui non illum Itatinenſium Apoſtolum nominaret, nemo, qui non illum cæteris in ampliſſima provincia ſtrenue laborantibus præferendum putaret. Viginti annos inter Itatinenſes exegit, raro per intervalla ad Collegia recurſu, reliquum

liquum ſacræ expeditiones ſibi vendicarunt, quas nullo ferme viatico inſtructus, pedes ac rerum omnium egenus inſtituebat. Idque ſub Capricorni ſidere, atque adeo in regione, fervore ſolis, magna anni parte ita recaleſcente, ut paſſim objecta corpora urerentur. Et quod mirere amplius, tibiis usque eo ulceroſis, ut decem ora in una tibiarum continuatum ulcus oſtentarent, quibus, ut plurimum vermibus ſcatentibus, quotidie piſa totidem, quaſi cauteria totidem, ad puris fluorem eliciendum infixit. Pene ſine commeatu trimeſtres & quadrimeſtres expeditiones ſuſcepit, nihil præter turcicum triticum aqua maceratum, aut ſilveſtres herbas, atque interdum carnes a Neophytis viæ comitibus fortuita venatione captas ad ſedandam famem adhibens. Quod ſi longius proficiſcenti aliquid cupediarum Socii in manticam inferrent, intactum domum retulit. Victui reſpondebat veſtitus: hunc interpolabat ſuis manibus, nulla colorum habita ratione; unde plerumque utebatur tibialibus ex aluta, aut diſcolori, variaque materia. Paupertatis amori, ſi addas modeſtiam, mores Angelicos, Chriſti ac Sanctiſſimæ Virginis exquiſitum cultum, cæterasque Viri virtutes, de quibus eæ terræ nunquam conticeſcent, dices: Antverpiæ magnum Heroem debere Societatem.

Caput Decimum.

De ejus fratre Antonio Manſilia.

Undecimo, poſtquam Juſtus noſter in Paraquariam appulit anno, Antonius Manſilia, ſeptem, qui ſe Societati mancipatunt, Germanorum minimus, cum Diaſtanio reliquorumque Sociorum ſubſidio in Paraquariam navigans in ipſo navigationis curſu morte ſublatus eſt. Communes lacrymas promeruit, quod de eo plerorumque opinio fuerit, neminem ex tot Diaſtanii Sociis, dotibus fuiſſe præditum excellentioribus. Modeſti oris gravitas, loquendi ſuavitas, in conſulendo prudentia, in agendo hilaris promptitudo, & delicatæ pietatis affectus, amores homini omnium conciliarunt. Bruxellis humaniores literas, & Rhetoricam per plures annos docuit, Lovanii quadriennium Theologiæ cum laude dedit. In patria ſummis Viris par futurus, ni obſcuros novi orbis angulos, præ Belgii luce maluiſſet. In agone rogatus: num ægre moreretur, antequam Juſtum Vanſurkium Germanum fratrem in proxima jam Paraquaria laboribus inclytum conſpiceret; reſpondit: *ſe non unius amore fratris (qui tot in Europa deſeruiſſet) Americam quærere, libenterque abſtenturum ſe tota vita ejus conſuetudine, modo Indis miſceatur, quorum cauſa venerat.* Ipſo reſurgentis Chriſti Feſto corpus in mare projectum, diei lætitiam non modice turbavit.

* * *

DOMINICUS MUNIOA
HISPANUS.

Dominicum Munioam, cum Juſto Manſilia conferre ſolebant, qui ambos noverant, utriusque animi fervore ſpeĉtato. Granata Virum genuit, Hiſpania & Tucumania religioſis virtutibus, literisque adeo feliciter informavit, ut utrisque excelleret. Parana, Urvaica & aliæ Indorum regiones, inter primi nominis Apoſtolicos Excurſores ſummis laudibus celebrarunt. Apud Itatinos præcipue ejus ſingularis virtus enituit; abditos illic in ſilvis barbaros mira induſtria venari, mira arte protrahere ſolitus, coactoque variis temporibus magno numero, Religionem mirifice amplificavit. Inter verbera & contumelias, nihil ab conſtantia animi remiſit. Cum numeroſum infidelium manipulum, more ſuo, e remotis ſilvis ad oppidum poſt ſe traheret, biduoque jam jejunus eſſet, ciborum defectu: venenum cum bolo glutivit præbitum a quodam barbaro, quo comeſto ejusmodi dolores ſentire ſibi videbatur, ut ſi rabidi canes viſcera ejus roderent. Hos inter cruciatus extremum vitæ ſpiritum edidit. Ad famam ægrotantis accurrere Socii ex oppido, at enim jam mortuum repere. Utrum Fidei cauſa mors ei hæc obvenerit? incertum.

JOANNES SUARIUS
TOLETANUS.

CAPUT PRIMUM.

Vitæ, Religionis, & Miſſionis Apoſtolicæ initia in Gvairania.

Joannes Suarius Toletanæ nobiliſſimæ familiæ illuſtris ſurculus, avum maternum habuit, Caroli Quinti clientem honorarium, natione Belgam. De ejus nobilitate interrogatus Cæſar ab parentibus clariſſimæ puellæ ipſi in ſponſam deſignatæ, reſpondit: ſe Cæſarem ex ejus proſapia citra imminutionem Imperatoriæ dignitatis adſciſcere uxorem poſſe. Quod

Cæſa-

Cæſaris dictum valuit ad perpetuam nobilium ſponſorum commendationem. Ex hac ſtirpe ortus Suarius noſter, in emporiis optimarum artium enutritus eſt, dum efflorescens adoleſcentis indoles a ſummis Viris ambitioſe expeteretur. Archiepiſcopus Cardinalis Toletanus Rojas accitum, inter ephebos honorarios cura prorſus paterna fovit, & penſione annua octingentorum aureorum per complures annos donavit. Patrono inprimis in amoribus erat ob candorem animi ſingularem, tum etiam ſaltandi ad numeros dexteritatem, qua pariter Regem Catholicum recreaſſe fertur. In Caſtella Societatem noſtram amplexus, poſt Religionis Tyrocinium, Philoſophicis Sacriſque Literis excultus, provinciam Paraquarienſem ambivit, impetratam adiit Anno 1622. Cordubæ Tucumanorum Religioſis experimentis rite probatus, ad arduas Paranæ & Urvaicæ expeditiones diſceſſit. Illic in perdiſcendo Gvaranorum idiomate, in explanandis rectæ Fidei capitibus, & Chriſtianæ vitæ præceptis, aliisque muneribus Apoſtolicis, operam poſuit, donec laborantibus in Gvairania Sociis ſuppetias ferret.

In Gvairaniam translatus, primis quatuor annis, ſilvas, flumina, paludes & campos percurſabat barbarorum cauſa. Tandem anno 1630. oppidum S. Pauli Superiorum voluntate regendum accepit. Huc vires converterant Mamaluci Braſilienſes, Soarius latronum ducem domum noſtram jam ingreſſum allocutus, infimis precibus rogarat, ne gentem miſeram in contemptum Chriſtianæ Fidei vexaret. Plura parantem dicere occupat dux, ac ferream ſiſtulam pectori admovet. Nihil deterritus barbari minis, ultro pectus denudat, vultuque conſtanti eum intuitus ait: *ſe promptiſſimum adeſſe ad ſanguinem fundendum pro grege ſuo*; qua fortitudine fractus barbarus, removit ſiſtulam atque abſceſſit. Primo hoc periculo defunctus, in nova ruit: ad alios atque alios latrones itabat, poſitis genibus obteſtabatur, ut ſua, quidquid id eſſet, ſe ſupellectile ſpoliarent potius, quam chariſſimis filiis, quos in Chriſto genuiſſet. Dum hæc domi geruntur, cæteri prædones per oppidum impune graſſati, tanta inhumanitate in novellos colonos ſæviebant, ut nullus fere eſſet, qui non inter vulnera & mortes, ad vincula induenda raptaretur. Exhauſto oppido, direpta omni præda, urbaniſſimi ſcilicet homines, ad Patrem venere, acerbo riſu rogitantes: ne ſe mœrore conficeret; eandem fortunam omnia Gvairaniæ oppida ſubiviſſe. His auditis Suarius ad Incarnationis oppidum feſtinabat unico adoleſcente & puerulo comitantibus, neque enim per latrones, pluribus licuit Patrem ſequi. Iter erat hybernum, crebris imbribus impeditum; quapropter, viribus, ex mœrore, inedia, laſſitudine, deficientibus, ad extrema deductus eſt, ut ſibi jam moriendum putaret. Opportune aderant ex Incarnationis oppido bajuli cum commeatu, ex quibus didicit famam Mamalucorum eatenus diditam, Neophytorum multos, deſerto oppido ad S. Xaverii coloniam, alios ad Huibaium, alio alios commigraſſe; ergo refectis tan-

tiſper viribus ad Divi Pauli ruinas regreſſus, Indos fuga diſperſos retraxit, exiguum ſummi mœroris ſolatium.

Caput Secundum.

Aliud oppidum inchoat, alteri opitulatur, uti & populo Gvairaniæ.

EVerſo S. Pauli oppido, novum moliebatur in campeſtribus locis, atque incredibili induſtria effecit brevi tempore, ut qui ſparſim vivebant junctis domiciliis in unum locum ſe cum omni familia conferrent. Dum hic opus fervet, rurſum alibi pulſant noti provinciæ hoſtes Mamaluci, & proxima Xaveriano oppido loca, ſolita celeritate ac ferocia invadunt. Xaverianis præerat Silverius Paſtor, qui urgente charitate, prædatoribus ſupplex factus ſpretis, quæ intentarant, ferreis fiſtulis: voce, manu, lacrymis tantum potuit, ut aliquot ſuorum recuperarit. Sed enim breve hoc ſolatium longior mœror confudit, barbaris heſternam rapinam inſequenti die continuantibus. Quibus rurſum obviam progreſſus, repente videt ſublatum enſem ab Mamaluco in Neophytum vibrari, cui ut opem ferret, non dubitavit in ferociſſimi hominis brachium involare, ictum intercipere, orans, obteſtansque ut in ſe potius expediret ferrum. Inter hæc in auxilium advolavit Suarius, bis ſe honeſtiſſimæ morti objectans; namque dum latrones acrioribus verbis arguit, in ſe concitavit, ut necem præſentiſſimam homini comminarentur. Alterum vitæ diſcrimen fuit ab Indis Neophytis, qui neſcio quibus ſuſpicionibus pulſati, prope ſui optimi Paſtoris ſanguine manus fœdarunt. Tota demum ejus coloniæ converſio hunc exitum habuit, ut ex numeroſiſſimo S. Xaverii oppido, ſexcenti ſolummodo Patrum induſtria in libertatem aſſerti ſint, quos, inter ſe Silverius Paſtor, & Joannes Suarius partiti, in tutiora abduxere.

Rapaciſſimi mortalium, ultra progreſſi, ita ſenſim reliqua Gvairaniæ oppida metu concuſſerunt, deformaruntque, ut univerſis migrandum fuerit. Joanni Suario difficillima profectio obtigit; ſuperandum ſiquidem fuit famoſum illud Gvairaniæ præcipitium, & deinceps centum leucarum ſolitudo usque ad Paranenſia oppida. Ibant commigrantes domeſtica ſupellectili & commeatu onuſti, occurrebant paſſim torrentes, qui ut transmitti poſſent, deturbatis arboribus temporanei pontes erant ſternendi. Viæ crebris ſaltibus incluſæ, nec unquam humano veſtigio tritæ, arenoſa littora ſole peruſta, viperæ ac tygres infeſtæ, tantas moras injecerant, ut menſem unum in conficiendis novem decemve millibus paſſuum ponerent. Non ægri modo, ſenes, pueri, fœmineus ſexus, verum integri etiam lacerti, & valida corpora ſub onere fatiſcebant. Quorum languori cum Suarius remedium afferre nullum poſſet, animas ultimis ſubſidiis procurabat. Silveſtribus frugibus victitabant plerique, nec abhorrebant fame

fame crudeliter dominante, ab eſu viperarum, fœdorumque animalium. Menſibus aliquot eo in itinere exactis, tandem ad veteres Paranæ colonias cum ſua gente eluctatus eſt. Haud quaquam integro numero: peſtis etenim cæteris malis comes ibat, multosque oppreſſit. Contagione ſopita ad formanda oppida ſe convertit, & ſubſidia e Paraquaria repetenda, cui operi dum ſtrenuus inſiſtit ad Tapenſem provinciam evocatur.

CAPUT TERTIUM.

Oppido S. Joachimi in Tapenſi provincia primus præeſt.

TApenſis provinciæ nomine venit ſeries montium, centum circiter leucas ab Occidente in Orientem protenſa. Hi montes utroque ſuo fine ab Urvaica flumine octidui itinere abſunt, altero tanto ab mari Atlantico. In hac regione Societas paucis ab hinc annis aliquot oppida poſuerat, nuperrime rurſus unum, ſub Divi Joachimi tutela, in ſummo planoque montium dorſo inchoaverat. Huc cum Suarius ſola cruce, & precum horariarum codice armatus contenderet, quærebant Socii, ecquibusnam inſtrumentis templi molem educeret? quibusve præmiis gentem novam pellecturus eſſet, qui ſic nudus abiret? reſpondit: *Evangelii ſemen ſe circumferre, ſuffecturum his omnibus.* Atque ſane ita fuit; nam oppidum, templum grande ſtatuit, barbaros tot ad ſe concivit, ut oppidum ſua multitudine prope laboraret. Ex convenis quingentos lætis auſpiciis Sacramento baptismatis admovit, reliquos rudimentis Fidei imbuit, ac ſuo quemque, ut profecerat, ordine per baptismum Eccleſiæ aggregavit. Dum piam operam ſic partitur, neminique deeſt, fructum curarum tulit jucundiſſimum. Refero factum poſteritatis memoria dignum: ſolebant Patres peſte graſſante per diſpoſitos homines explorare, num in villis, nemoribus, aviisque locis ægri decumberent, qui Sociorum auxilio egerent. Retulit unus: Catechumenum quempiam ſine Sacramentis in longinquo nemore e vivis exceſſiſſe. Ingemuit Pater, hominemque objurgavit, quod tam ſerus tantæ rei nuncius veniſſet; ſimul inter irati animi ſigna ad iter accingitur, cui internuncius: fruſtra properas Pater, namque tibi non modo mortuum, verum etiam ſepultum aſſevero. Ivit tamen Suarius, cumque ad locum commonſtratum perveniſſet, ſepulchro aurem admovet. Mirum dictu! exilem vocis ſonum accipit, tanquam hominis virium defectu tenuiſſime ſuſpirantis. Ergo tumulum propere diſturbant, amoliuntur lapides, onere corpus relevant, atque Suarius diligentiſſime percunctatur, num vivat? reſpondentem ſe vivere, rogat: num approbatis Fidei Chriſtianæ myſteriis; delictorum ſuorum pœnitens, hæres regni DEI beneficio baptismi fieri velit? affirmanti baptismum confert; quo accepto totus vivere deſiit. Chriſtophorus Arenas, qui tum JESU-MARIANÆ

Eccleſiæ præerat, ut ocyus auxilium ferret Suario, recta ad oppidum S. Joachimi contendit. Perdifficilis erat via, nam & Tapenſes montes intercеſſerant, & nemora eatenus intacta. Itaque deturbandæ erant arbores, ut ſilvæ ſe aperirent. Dum nititur & ſe vi penetrat, inexpectata ſe res objicit; in reductiſſimo luco, ramalis & ſolitaria caſa, intus infans extremam animam agens, nemine alio circum conſpecto; hunc ubi ſalutaribus undis perfudit, hilaris iter proſequitur, ſeque, quod optabat, Suario conjunxit. Auctus ſubſidio Suarius, immenſam laborum molem, peſtifera lue omnia depaſcente, ita partitus eſt, ut altero Patrum in oppido remanente vicina curaret alter, easque vices cum luberet, inter ſe commutarent. Enitebatur interea uterque ardentiſſime, divina bonitate in tam arduo & ancipiti miniſterio firmam valetudinem & alacres animos largiente.

Ex ſuo oppido longinquam expeditionem aggredi auſus, remotiorum fluminum ripas, barbarorum ſtationes excuſſit, magnamque ethnicorum multitudinem collegit; centum per iter ægros impertito baptiſmo ad Superos, ut ſpes eſt, transmiſit; rurſum alia procurſione ſexaginta abluit, novisque copiis rempublicam ſuam auxit. Demum has ipſas procurſiones cum Chriſtophoro Arenas, alternas voluit, ne quid domi, ne quid foris cuipiam opis deeſſet. Uterlibet iret, maneretque; exuberabat ſacra meſſis. Inviſerat Soarius vicina loca, offenderatque per iter in tumulum recens ſepultæ fœminæ, atque cum barbarorum mores apprime noſſet, aures ſepulchro applicavit, & ecce certis indiciis rurſum comperit ſepultam vivere. Igitur disjecto ſine mora tumulo, præſepultam & ægre ſpiritum trahentem deſiderio baptiſmi accendit, ac rite inſtructam eodem donat. Cætera in eo oppido optatum curſum tenuere; Suarius ſexcentas familias adlegit, majoremque ipſe partem denſis errorum tenebris feliciſſime eripuit.

Quanquam tranquillæ domi res eſſent, ſecundaque fortuna ferrentur, quia tamen Braſilianis inſultibus expoſita videbatur, deducendam putabat coloniam trans usque Urvaicam; quod dum molitur, in multiplices difficultates ſe induit. Barbarorum alii negabant ſe pedem moturos loco, alii fuga arrepta vetera ſua latibula petebant, non pauci in necem Sociorum conſpiraverant, ſi migrationem urgerent, ut adeo extrema conſilia fuerint arripienda. Subjectæ de induſtria ſunt oppido faces; quod cum Neophyti vidiſſent, collucere nempe flammis omnia, ardere lares, ſubtrahi vivendi commodatum, demum animum adjecerunt ſolum vertendi. Multi Chriſtophoro Arenas authore ad Caaſapaguacuenſes confinesque illis populos tranſiverunt. Alii duce Joanne Suario Thereſianis ſe miſcuere. Supervenientibus ſubinde novis tumultibus coaleſcere alibi oppidum nullum potuit. Quapropter tertio fundationis anno Joachimitani eſſe deſiere: municipibus ad varias oras translatis, aut latebras ſuas repetentibus, aut demum a noto hoſte abactis. JESU-MARIANOS pariter conclu-

cluſerant Mamaluci, quos ut a præſentiſſimo periculo vindicaret, ſelectam Neophytorum manum contraxit, atque arma armis oppoſuit, cedere tamen & numero & virtuti hoſtium debuit. Quod reliquum erat, ad oppidi ſui & cæterarum Tapenſis provinciæ coloniarum reliquias tutiore loco collocandas operam tranſtulit, quo in opere bis extremum vitæ diſcrimen adiit, barbaris migrationi ferociter repugnantibus. Interjecto tempore Caaſapaminienſes atque Urvaicenſes procuravit, vidit funeſta fata florentiſſimi oppidi a Purificata Virgine nuncupati, ac demum unus idemque Joannes Suarius trium provinciarum a Mamalucis everſarum teſtis, & injuriarum particeps fuit.

Caput Quartum.

De reliqua ejus vita.

VArias deinceps Præfecturas geſſit. Japeiuenſe oppidum triennio moderatus eſt, auxitque numero incolarum. Altero triennio Aſſumptionis Collegium, qua in urbe apud Indos, Æthiopes, Hiſpanos, præclaram ſui memoriam reliquit, ob indefeſſum omni hominum generi opitulandi ſtudium. Socios quoque omnes ad Urvaicam, Paranam, & Paraquarium in viginti oppidis degentes cum poteſtate gubernavit. Quocunque honoris gradu conſiſteret, parem indolem, vultum, animum præferebat. Solitus erat ærumnas ambire, ignominiam permagni facere. Labores pro ſalute Indorum ſuſceptos delicias appellare, ſicubi pericula ſubeunda erant animarum cauſa, primus intrepide advolavit, primus manum admovit. Illud admiratione dignum fuit, quod cum quinquaginta & amplius annos varia ſolicitudine, in rebus ad conſcientiam pertinentibus, vexaretur, fiducia nihilominus eſſet tam integra conſtantique, ut aſſeverare non dubitaret; *ſentire ſe tantam de ſua æterna ſalute ſpem. quanta in mortali vita, ſecluſa revelatione divina haberi poſſit.* Paulo ante, quam expiraſſet, procuratus jam ultimis Sacramentis cum a quopiam Sociorum rogaretur: *ecquid de ſuis anxietatibus ſentiret? Appage*, reſpondit, *ſcrupuloſam diffidentiam; nam in hoc vitæ mortisque confinio, tam certa ſpe nitor, me æternam ſalutem DEI gratia impetraturum, quam nihil ambigo veſtes has a me tangi;* ſimul togam Socii attrectavit; & paulo poſt pie admodum vivere deſiit in provincia Urvaicenſi octogenario major, quatuor Vota dudum profeſſus.

FRAN-

FRANCISCUS XIMENES CASTELLANUS.

Caput Primum.

Caaroenſi oppido inſtaurato, S. Thereſiæ oppidum cum duobus aliis firmat.

Vitam Franciſci Ximenii ordior ab confirmatæ jam ætatis operibus. Is namque cum Indorum miniſterio ſe addixerat, non tantum Theologiæ curriculum confecit, verum etiam Ariſtotelem magna laude ingenii in Cordubenſi Tucumanorum Academia publice explicavit. Memoriæ laude celebris fuit, Gvairanicam linguam ſpatio breviſſimi temporis ita didicit, ut ornate loqueretur. Ethnicos, Catechumenoſque cum Chriſtianis præceptionibus erudiret, prudentia ſua atque authoritate tantopere inclaruit ut arduæ Caaroenſis oppidi reſtaurationi cum Joſepho Oregio adhiberetur. Ibi terram aratro proſcindere, edomare feroces boves, fabrilia tractare, ferrum fingere, pluraque, quæ ad mechanicam pertinent, inſtituit, quanquam nihil unquam ejusmodi, ipſe didiciſſet. Præcipua Ximenii apud Caaroenſes cura fuit: Ariolorum errores ac fraudes in lucem protrahere, avitam ſuperſtitionem omnium animis eximere, barbaros mores profligare, beneficiis obligare ſibi homines omnium ætatum, atque ad Chriſtianam Religionem paulatim allicere.

Ad Igai fluminis caput, in Tapenſis provinciæ finibus, campi latiſſime excurrunt; per intervalla denſioribus ſilvis diſcriminantur. Has inter celeberrimæ ſunt: Ibitirambebo, & Mondecaa frequenti pinu conſita. Ad has ſilvas, ubi Franciciſcus Ximenius cum poteſtate oppidum condendi pervenit; ab Quarareo Caſiquio eleganti oratione exceptus eſt, decore barbarus corporis ſui præcipuas partes enumerabat primum, tum aſſeverabat tantam per ſingulas ejus adventu diffuſam eſſe lætitiam, ut explicando non eſſet. Commonſtrato oppidi loco, confeſtim ad ponendum templum, domos ſtruendas convolarunt, tantaque alacritate & conſtantia inſtiterunt, ut quanquam frigora immodice ſævirent, & inſolitus rigor operarum manus, pedesque adureret, tamen nihil a diligentia remitterent. Gens hæc a pueris, oblon-

lon-

longos lapillos pro barbula inſerere mento aſſolebat; quem morem dum Ximenius argueret, diceretque: *indecorum eſſe, corpora a DEO ad elegantiam comparata, his appendicibus deformare*: effecit, ut pueri omnes lapillos vellerent, abjicerentque in ignem, veriti, ne barbarus & patrius mos, Religioni Chriſtianæ capeſſendæ obſtaculo eſſet. Matres certatim ad ſalutares aquas afferebant parvulos ſuos, quod putarent ab Sociis eos deſeri non poſſe, quos ipſi Chriſto genuiſſent. Oppidum iſthoc anno 1633. Prætore Argentei fluminis ita volente, S. Thereſiæ dicatum eſt, primo fundationis anno usque adeo increvit, ut octingentas familias numerarit.

Cum hæc per Ximenium in Pinetis gererentur, Carauaius Caſiquius Romerum adierat; præſeferebat ingens Religionis Chriſtianæ & oppidi fundandi deſiderium, pollicitus: non defore gentem, quæ in Societatem coaleſcat; ſi modo Sacerdotis e Societate ſibi copia fiat. Romerus, qui tum Sociis omnibus præerat, perſpectis animis & conditione loci annuit perlibenter. Sublimem pro more crucem patenti in campo defigit, in teſſeram occupatæ ſtationis, aliquot infantes ſanctioribus undis perpurgat, oppidi aream deſcribit, D. Joachimo conſecrat, Franciſcum Ximenium, ad tempus curare jubet, qui eo delatus, magno populorum concurſu ſacras ædes e fundamentis educit. Tellus petroſa foſſionem morabatur, ut adeo operarum conatus magis magisque in dies frangerentur. Quod cum videret barbara virago, mediis operibus intervenit, contenta & alacri voce animat omnes: inſiſterent modo, præmium laboris fore, legis veræ Doctorem, & demum cœlum ipſum. Stabilita ea colonia; cunabula poſuit alterius ab B. Virgine Viſitante nuncupatæ.

CAPUT SECUNDUM.

Longe excurrit, magno reportato animarum lucro; S. Thereſiæ & Viſitationis oppida vaſtantur.

UT oppidum ſuum ædibus civibusque frequentaret; a Pinetis recedens, cum fida Neophytorum manu longinqua petiit. Quintum diem profectus cum eſſet, ſecundo fluvio Caapibari biduana navigatione in alterum fluvium, cui nomen Tebiquaris, defluxit. Utriusque margines, ſaltus vicinos, & ſilvas fama ſaluberrimæ doctrinæ implevit. Undique cumulatim occurſabant barbari, & hilari pompa Ximenium comitabantur. Subinde triginta remigantium ſcaphæ viſæ, armatæ arcubus, & clavis; læti eminus clamores auditi ſunt. Plerorumque vox erat; erigeret optimæ legis Doctor cruces, deſcriberet areas, coloniam temperaret legibus, ut luberet, omnes in ejus poteſtate futuros, modo Patri lares non eſſet deſerendi. Erant quoque, qui natale ſolum haud gravate deſererent, ſeque Ximenio, quo vellet, ducen-

dos præberent. Ex horum numero mille quingenta capita ad Viſitationis oppidum, trecenta ad Sanctæ Thereſiæ commigrarunt; ducentis quinquaginta infantibus, adultis haud paucioribus baptisma collatum fuit. Lis erat ſuper infante, quem pater ejus a ſacro latice arcebat; contra Ximenius captabat benevolentiam patris blanditiis, munuſculis, orans, obteſtansque, ut ne filiolo ſalutem ſempiternam invideret. Cui barbarus: *age vero*, inquit, *ablue puerum*, *cui ſi quid inde mali acciderit, capiti tuo male!* Ximenius, quod res urgeret, ſpretis minis infantem abluit, atque ad Superos transmiſit parente nihil contra hiſcere auſo. Cum barbaris occurſantibus paſſim munuſcula elargiri ſolitus eſſet, accidit fortuito, ut navigii unius vectores (aliud agens) indonatos præteriiſſet. Errore cognito, jubet proram vertere, ac pro more ſuo ſingulis munuſcula porrigit; quod dum agit, videt in ipſo navis ſinu quidpiam ramis contectum ſedulo curari. Mater illic latebat jam jam moritura cum infantulo vix ſpiritum ducente. Admiratus divinam providentiam, puerulum ſine mora baptizavit. Mulier variis recreata fomentis tantiſper animam collegit, noſtris deinde myſteriis imbuta. Poſteaquam expeditionem in vigeſimum quintum diem extraxiſſet, ad ſuos rediit, accuſabant miſelli gravitatem annonæ, hanc ut relevaret, copioſam ſementem fecit; recte arbitratus eſcam futuram ethnicis, qua permulti caperentur; & vero ubi terra fruges reddidit, turmatim confluebant ethnici, dabantque opportunitatem Ximenio myſteria veritatis Evangelicæ pluribus impertiendi. Sub idem tempus graſſata peſtis ſupra nongentos abſumpſit, baptiſmum accepere mille triginta quatuor.

Dum paſſim inter barbaros trophæa Religionis aſſurgunt, atque undique Sociorum ſedulitas meſſem comportat; hoſtes, Thereſianum oppidum repentina populatione hauriunt. Locus erat perfrequens; nondum exacto quadriennio quater mille quingenta & quadraginta capita numerabantur eorum, qui jam baptismo initiati erant; fiebant quotidie novæ acceſſiones, ut adeo novæ coloniæ deducendæ fuerint; cum ex improviſo adſunt Mamaluci ducenti & ſexaginta, numeroſis Tupicorum, aliorumque Indorum cohortibus ſtipati. Armata phalanx ſepta oppidi nemine reſiſtere auſo perrupit, & res ſummo labore partas, ſpesque ampliſſimas momento temporis evertit. Thereſiani, numero, armis, audacia inferiores, ne conſerto quidem certamine hoſti ſe permiſere. Pauci fuga ſalutem quæſivere: potior pars voluntaria deditione vincula induit. Reliqui ne rebellare poſſent, a circumſtante milite coercebantur. Franciſcus Ximenius & Joannes Salas coloniæ Authores & Magiſtri, utut in omnem partem ſe verterent, ac precibus infimis lachrymas miſcerent, neminem, ſi duos adoleſcentes Sacrificii miniſtros excipias, in libertatem vindicare potuerunt. Rapina congeſta, ipſo Nati Servatoris die prædones accenſis cereis Templum ingreſſi, ſacro intereſſe pientiſſimi ſcilicet homines non dubitarunt. Ximenius (opportunum ratus) pulpitum conſcendit,

dit, atque ad ſceleratam turbam graviter & ſevere peroravit. At ſaxea pectora ratione nulla emollire potuit. Solebat mihi Joannes Salas narrare: tantum ſe ex jactura filiorum ſuorum dolorem concepiſſe, ut ne buccellam quidem, conſtrictis mœrore faucibus, deglutire poſſet. Socii deſperata clientum ſalute, ſupellectile amiſſa, aut defoſſa, per loca omni ſolitudine, ac rerum inopia vaſta, ad Urvaicam profecti, in quoſdam Thereſianos inciderunt, qui a nupera fuga incerti terrarum hac illac vagi errabant. Hos deinde Ximenius ſumma cura collectos, primum ad Paranam deduxit, demum poſt varios caſus Itapuanis adjunxit, ubi amice excepti, aucta dein urbanitate, pie admodum etiamnum perſeverant. In hujus oppidi fato illud accidit ſingulare, quod ſuperiori anno imago Beatæ Virginis, oculo, quo Braſiliam reſpexerat, uberes profuderit lachrymas; cumque ſequente anno, die eodem ac menſe recurrente, Thereſiani ab Braſilis oppreſſi fuerint, nemine dubium erat, eas lachrymas id, quod accidit, portendiſſe. Interea Viſitationis oppidum Thereſiano obnoxium metu advenientis hoſtis diſſolutum eſt: & cæteræ Tapenſes coloniæ, eadem formidine actæ fugam adornabant.

Caput Tertium.

Geſta ejus poſt Mamalucorum depopulationem.

POſteaquam certis nunciis allatum eſſet, Mamalucos cum omni præda in Braſiliam revertiſſe: Didacus Alfarus, delectu facto fidiſſimorum Neophytorum, Socios deſtinavit ad oppidorum ruinas inſpiciendas, veſtigandoſque barbaros, quos metus hoſtium late diſperſit. Primi movere Franciſcus Ximenius & Philippus Viverus Flandrobelga. Hic Caaſapaguacuenſium & Caapienſium fines ingreſſus bis diſcrimen vitæ adierat, bis in Virum inſurgentibus, Indis, quos alieni a Societate homines pravis ſuſpicionibus corruperant. Attamen morum ſanctitate, cæteriſque bonis artibus effecit, ut ſenſim ſuſpiciones evaneſcerent, & ſingulari hominem amore complecterentur, demum ducem ſequerentur. Ximenius recta ad S. Thereſiæ oppidum contendit, inter rudera, ac recentiſſima buſta oberrans, nonnullos reperit, quos Mamaluci faſtidivere, aut maturato reditu neglexere. Iſti, atque alii, quos prodita latibula reddidere, Viveri manipulo adjecti ſunt circiter tercentum; ac Itapuani oppidi incolis adnumerati. In hac expeditione, enituit Neophyti Emmanuelis, ſingularis charitas; is quippe per plura paſſuum millia ægros, in humeros ſublatos ad notas ſtationes deportaverat. Trimeſtri præterlapſo, rurſum Ximenius cum Vivero eas oras relegens nova præda ſexaginta barbarorum Itapuanos auxit, ac demum Ximenius tertia excurſione, confectis, cum iret rediretque, centum millibus paſſuum, octoginta alia capita aggregavit.

Itapuanæ coloniæ præeſſe juſſus, per tranquilla gubernii otia, & Neophytorum commoda provexit mirifice, & quæ ad animarum rationes pertinebant, curavit diligentiſſime. Subinde oppida Paranæ, Urvaicæ, & Paraquariæ vicaria poteſtate moderabatur. Hoc munere decedens, Cordubam Tucumanorum evocatus, Theologiæ docendæ admovetur, qua pluribus annis cum laude tradita, Præſidi provinciæ a ſecretis fuit. Mox Patres tertiæ probationis, item Tyrones noſtros inſtituit. Collegium Boni aeris ſecundum, Collegium Cordubenſe triennio gubernavit. Bis ac diu vices Provincialis egit. Paulo poſt mortem, quam in Collegio Boni aeris pie obierat, literæ Romanæ aderant, quibus renunciabatur Paraquariæ Provincialis. Porro ad hæc munia (ut Viri laudes breviſſime exequar) parem attulit ſapientiam, parem undique virtutem, quibus voluntates omnium ſibi mire devinxit. Immodicus fuiſſe fertur in ſe caſtigando, in aliis plectendis admodum moderatus, in neminem acerbiore imperio, præterquam in ſe uſus.

PETRUS ALVARES VALLISOLETANUS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus vitæ primordia; ad Sylvanos ſacram expeditionem ſuſcipit.

PEtrum Alvares Valliſoleti honeſtiſſima domo ortum accepi. Quibus vero Magiſtris, ad eam, qua poſtea inclaruit, doctrinam, virtutemque adoleverit, non perinde ſcio. Exacto in natali urbe ſtudiorum humaniorum & Philoſophiæ curſu, Societati nomen dedit. Tyrocinio emenſo in Gallæciæ S. Jacobi Academia ſacratioribus literis eſt inſtitutus. Has inter ad Paraquaricam expeditionem animum adjecit, votorumque damnatur anno 1622. Ad portum Boni aeris difficili ac periculoſa navigatione delatus, arduas Paranæ, Urvaicæque Indorum provincias ſumma voluptate animi complexus eſt. Primæ Viri exercitationes erant: linguam barbarorum condiſcere, tum Neophytis Catechumeniſque Chriſtianam diſciplinam tradere; qui labor cum improbus aliis videretur, adeo jucunde homini accidit, ut dies noctesque in eo, veluti in mediis deliciis conſumeret. Minutula,

tula, quæ his intervenerant, perſequi non lubet: præſto ſunt majora, quæ calamum ſevocant, Virumque ampliſſime commendant.

Cum plures annos in eo opere collocaſſet, oppidaque alia ex aliis adiiſſet, præclara ubique virtutis fama relicta; ad ſparſum per Paranæ ripas populum ire conſtituit; & reapſe expeditionem periculorum plenam bona majorum venia aggreſſus eſt. Sylvanos eos populos nuncupamus, quod nuſquam campo aperto degant, umbram, denſiſſimosque ſaltus captent. Lingua genti propria eſt, minime articulata ac mille difficultatibus implicita. Voces informes rauco, tortoque guttere eructant. Nulla illis, ut feris, ciborum providentia, vivuntque in diem, nihil impoſterum ſoliciti. Nulla hic agricultura, nihil ad humanos uſus commercii. Vermibus, viperis, muribus, formicis, parabili & obvio cibo veſcuntur, neque a tygridum carne abhorrent. Has ad inſaniam uſque venatu conſectantur, multoque plures ferarum morſibus pereunt, quam peſtifera lue. Summam atque excelſam virtutem belluinam rabiem putant, alias animi dotes prorſus ignorant. Tenuiſſimus in utroque ſexu rationis uſus elucet, quam quotidiana feritate, nec non licentia vitæ ita depravant, ut a ferarum moribus non multum diſcrepent. Si qui bello capiuntur, difficilius, ac ipſæ immanes belluæ cicurantur; ferrea vincula toto ore ſpumantes mordent. Superari ſe prælio uſque adeo dolent, ut capti, neque cibum admittant, neque vulnera obligari patiantur, paucosque poſt dies inedia langueſcant ac emoriantur.

Capto Sylvanorum receptacula adeundi conſilio, Neophytis aliquot comitantibus ex Acaraja iter arripuit. Parana ſuperato denſiſſimæ ſilvæ ſuperandæ erant. Per has tanta obluctatione corporis proceſſit, ut diſcerpta inter vepreta veſte cutem quoque large cruentaret. Flumina deinde ac paludes ſæpe collotenus merſus tranſmiſit, ubiubi quieſcendum fuit, frequentia tygridum veſtigia, & ſemeſa hominum cadavera viſebantur. Alicubi cum in reticulo penſili ſomnum captaret, caſu arboris prope obrutus eſt. Hæc inter pericula barbarorum ſpelæa ingreſſus, opera interpretis, octo & decem ad quemdam humanum cultum traduxit. Narrabant iſti: pridie quam Alvarus veniſſet, duos e ſuis a tygribus diſcerptos, mulierculasve tres viperarum morſu periiſſe. Petro Alvaro de vicinis populis ſciſcitanti reſponderunt: non ita pridem Ibagobium quemdam (deſciverat iſte ad avitas ſuperſtitiones ejurato Chriſti nomine) ad ſe veniſſe, multisque Caaiguarum perſuaſiſſe, ut ſe ſequerentur, atque eo abduxiſſe, quo præter ſilvicolas nemini alteri aditus pateret. Quapropter Alvarus, nam & vires ſilveſtribus baccis herbisque ægre ſuſtentatæ eum defecerant, tantilla præda auctus, per eadem pericula & labores veſtigia relegit. Quæ ille omnia non æquo ſolum, verum intento in DEUM animo ſuperabat, gaviſus inprimis quod conditionem loci, animorumque didiciſſet. Uno & viginti diebus in itinere exactis, viribus multum attritis, DEI benignitate, ſalvo & incolumi comitatu Acarajam

 rediit.

rediit. Quoniam vero norat Caaiguarum plerosque patriis ſuperſtitionibus ereptos, ut piſces deſtitutos aquis mox emori, nequaquam cunctandum putavit, ut aliqua demum ratione legis Chriſtianæ doctrinam duriſſimis mentibus inculcaret. Pertentarat omnia: reperit ad intelligendum obtuſos, ad retinendum memoria ineptos. Ergo memor divinæ clementiæ, volentis *homines & jumenta ſalvari*, raptim num crederent Chriſti myſteria? ab ſingulis requirit; cum aſſentirentur, volentes baptismo initiat; quo ſuſcepto, intra breviſſimum tempus rebus humanis erepti ſunt, pauculi erant (uti dicebam) numero; quod cum animo revolveret Alvarus; ea ſe cogitatione ſolabatur: glorioſum eſſe pro Chriſto non ſolum multa agere, verum etiam pauca agendo multa pati. Inſequentibus annis rurſum ad ejusmodi barbaros inviſit eodem fere ſucceſſu.

CAPUT SECUNDUM.

Acarajenſe oppidum inter ſummas difficultates adminiſtrat; & Araricanis opitulatur.

ACarajenſe oppidum, Ariolis infeſtiſſimum per aliquot deinceps annos invicta animi fortitudine rexit. Sæpe malas cacodæmonis artes eluſit, præſtigias dedocuit, acriter magos perſtrinxit, cœleſtes humanasque pœnas, ni ſaperent, comminatus; ac tandem virili conſtantia, plerorumque duritiem fregit; ut veteratorias diſciplinas abjicerent, Chriſtiana dogmata complecterentur. Eo præſente hocce in oppido Imago B. Virginis, diu largeque ſudavit; miraculum ab Epiſcopo comprobatum, portendere viſum eſt peſtem oppidorum, incurſiones hoſtium, mœſtas migrationes. Et vero non poſt multo e Gvairania fugientes, peſtem & famem Acaraienſibus attulerunt adeo luridam, ut exiguo tempore ſexcenti ſint elati. Superſtites penu domi conſumpta per ſilvas vitam venatu tolerabant. Quos dum per avia veſtigat Alvarus, animisque medetur, ita corporis vires inedia & laboribus profligavit, ut vix oſſibus hæreret; jamque cibis deficientibus, veteres calceos lenta coctione molliebat in futuram cœnam, haud dubie comeſturus, ni aliquantum annonæ Socii ſubmiſiſſent. In extrema hac calamitate id relevabat animum, quod incolarum nullus, nullus convenarum ſine Sacramentis diem extremum obierit. Tandem Acarajenſibus ob metum Mamalucorum demigrandum fuit.

Sub idem tempus nova provincia inter Urvaicam & Atlanticum mare ſe Evangelio aperuit, ductisque coloniis per Societatis homines, DEO Regique ſubdita eſt. Qui eas terras inſederant; Araricani dicuntur. Hi quod mirere, quantumvis ethnici eſſent, ac Sacerdote carerent, tamen vicinarum gentium æmulatione, & Sociorum fama allecti, ſuo ære, ſuo ingenio templum domumque ſuperiori anno ex norma Chriſtianorum ædificio-

ficiorum poſuere, crebrisque nunciis, veræ legis Doctorem de Societate, flagitarant. Quorum votis ut faceret ſatis provinciæ Præſes, Petrum Alvarum cum poteſtate miſit, ut, ſi videretur, oppidum conderet; quod non longe poſt ſub tutela Natæ Virginis aſſurrexit. Vixdum coaluit, ſupra nongentos viginti ſeptem parvuli baptismi gratiam accepere, firmior ætas ſummo ſtudio in rebus Fidei inſtituta, contracta dein omnis prope vicinia, ut novella respublica facile octingentas Catechumenorum familias cenſeret. Cui regendæ Paulus Bennavidius in locum Petri Alvari, in Peruviam ad Chiriguanas deſtinati, datus eſt. Unde jure Araricani illud uſurpare poterant: *Petrus & Paulus docuerunt nos legem tuam Domine!*

Caput Tertium.

De Chiriguanarum, ad quos miſſus eſt, moribus; de reliqua ejus vita.

Chiriguanarum natio longe ferociſſima eſt; gentis origo hæc eſſe perhibetur. Poſteaquam Paranenſes & Paraquarienſes Indi, ſub primum Hiſpanorum adventum Peruviæ fines pervagati eſſent, capti locorum opportunitate eo commigrarunt, communicatis dein inter ſe conſiliis, juga montium occuparunt, ita tamen ut alteri ab alteris ſejuncti, in pagis degerent. Inde veluti ex caſtro effuſi continuis excurſionibus vicina remotaque loca tanta pertinacia populati ſunt, ut fama ferat, ab Chiriguanis centum millia Indorum non integro ſeculo aut perempta, aut in ſervitutem abacta fuiſſe. Primis commigrationis temporibus ſolenne genti fuit, captivorum corporibus veſci: deinde vero mercium cauſa conſuetudine cum Europæis contracta, hanc barbariem ſpe lucri poſuerunt, ac captivam prædam mancipiorum inſtar divendere occeperunt; quæ commercia ita aptabant, ut non deſinerent oblata occaſione ipſos Hiſpanos interdum laceſſere. Audacia armorum, & meliori fortuna animati, eo progreſſi ſunt, ut non dubitarent Franciſcum Toletum Peruviæ Proregem aperto bello petere. Et jam Tariſam, Pasmajam, Pilaiam, Tominam, Miſcam, Peruviæ oppida, univerſam denique Sanctæ Crucis in Montanis regionem, & Tucumaniæ Paraquariæque fines inundant. Neque ulla natio in mediterraneis Americæ Auſtralis plagis, gente hac lucri cupidine incenſa, & perpetuo prædandi uſu exercita, Hiſpanis terribilior, Indisque nocentior viſa eſt. Fama accepimus: quater mille non amplius capita fuiſſe, qui primi eas terras inſederunt, nunc ſobole aucti, ac præterea captivis ad mores & ingenium ſuorum dominorum traductis, ultra montes ſuos dominationem protulerunt; certe quidem populos longe lateque terrore complent. Ad hanc gentem domandam nulla hactenus ars valuit. Fruſtra fuere: Peru-

Peruviæ Epiſcopus, Emmanuel Ortega & Martinus Del-Campo Viri amplificandæ rei Chriſtianæ percupidi; nec non alii Collegii Sanctæ Crucis in Montanis Socii, ut adeo deſperato de eorum immanitate triumpho a plerisque jam deſererentur.

Gentis convertendæ novam ſpem arripuere Socii. Incitabat locuples piusque Vir, qui ad ſuſtentandos Socios & ſubſidia præſentis æris, & quingentorum aureorum cenſum liberali prorſus animo addixit. Ad expeditionem Petrus Alvarus arduis per Paranam, Urvaicam, Tapenſem, provinciam laboribus defunctus: & Ignatius Martines Italus, in Gvairania & apud Itatinos aliosque populos ardore Apoſtolico clarus, delecti ſunt. Hi e Tapenſibus oppidis eggreſſi, itinere ſexcentarum leucarum emenſo, Peruviæ fines, eo quo diſceſſerant anno, tenuere; ſed enim majore labore, quam fructu Chiriguanis ad frugem reducendis incubuere. Res quippe ſummæ difficultatis erat barbaros perſequi, quorum inſtitutum eſt perpetuo belligerare, erumpere in circumſitos populos, circumferre tabernacula, atque inde, ubi conſederint, repente demigrare. Ipſis triginta menſibus in hoc ſterili ſolo admirabili patientia deſudatum eſt a Patribus; quanquam ſæpe in diſcrimine capitis verſarentur, & ſejuncti non ſolum mutuo conſpectu, verum etiam Sacramentalis expiationis beneficio annum integrum carerent. Non diſplicuit principio barbaris Patrum oratio & Sacra Chriſti dogmata; at procedente tempore tot obices propagandi Chriſtianam doctrinam enati ſunt, ut poſt relatos in cœleſte horreum aliquot infantium manipulos; de illis ad tuta loca retrahendis agitandum fuerit, qui ex omni numero Patres ſequi conſtitutum habebant.

In Peruviam revocatus, in Academia Chuquiſacenſi, Theologiæ Præfectum egit, atque ad Hiſpanos verba fecit, applaudente Archi-Epiſcopo, quocum olim in Hiſpania ſub eodem Præceptore literas condidicit. Provincialis Peruviæ, Limanæ Cathedræ Theologicæ Virum admoverat; hanc ex animi demiſſione deprecatus, rudimenta Fidei Indis explanare maluit. Igitur in Tucumania Urvaicenſibus redditus, Conceptionis oppido, cæterisque per diverſa loca barbaris gratam, utilemque operam locavit, donec Collegii Sanctæ Fidei Rector, Patrumque tertii anni Præfectus renunciaretur. Subinde mutato gubernaculo Sancti Michaelis Collegio præfuit; ubi Sacramentis morientium munitus, ingenti ſui deſiderio relicto, extremum vitæ diem morte confecit. Vir priſci moris, & veteranæ virtutis erat, in quo nihil jure carpas, niſi pertinax de interioribus animi dotibus ſilentium, quo factum, ut nos ſumma quæque lateant. Iſtud ſat nobis exploratum: eum ab animabus piaculari flammæ addictis ſæpius interpellatum, ac ſuffragia rogatum fuiſſe.

* * * * * * * * *

JOSE-

JOSEPHUS OREGIUS
ITALUS.

Caput Primum.

Vitæ primordia, Tyrocinium, ſtudia, prima miniſteria.

JOſephum Oregium, Auguſtini Oregii Germanum, Faventiæ in Italia natum, multa decora cohoneſtarunt. Primum illud: quod ſplendidis piisque parentibus editus ſit, quorum vigilantiæ debuit, quod infantiæ ac deinceps liberioris adoleſcentiæ vitia ne noſſet quidem. Quam vitæ rationem & Romæ, cum in ampliſſima domo ſtudiis vacaret, ac per reliquos ætatis gradus conſtanter tenuit, & illuſtribus probitatis exemplis ornavit. Paulo ante mortem ſenio jam confectus moderatori conſcientiæ ſuæ candide affirmavit; ſe opitulante DEO tam caſtum mori, quam natus ſit; nullam præterea mortalem culpam admiſiſſe, ac quod ſciat, ne mentitum quidem animo deliberato unquam fuiſſe. Quibus ille majus decus addidit familiæ ſuæ, quam Urbanus VIII. qui Barberinos Nepotes ſuos Auguſtini Oregii diſciplinæ Theologicæ ſubjecit, ipſumque Auguſtinum Purpura induit.

Spretis, quos Barberini dare poterant, favoribus, Societati ſe Romæ conſecravit, ac mox patefecit quam timendus olim dæmoni foret. Rem, ut accidit, poſterorum memoriæ prodendam putavi: Joſephus Oregius in Domo S. Andreæ noſtrorum Tyrocinio deſtinata verſabatur, nulli tum quidem rei magis, atque manſuetæ facilitati, candidæ ſinceritati, ac ſpiritus fervori inſiſtebat, una res interpellabat juvenem angebatque majorem in modum, ſingulis diebus cum in lectulo ad ſomnum ſe componeret, vix delibato primo ſopore, ſuppoſitum capiti pulvinar ſenſerat verberari, nemine, qui adeſſet, conſpecto; nemine (cum plures in eodem cubili dormirent) quidquam audiente. Pulſationem crebram ſecuta inſomnia, mentis inquietudo, & affectiones animi adeo perturbatæ, ut Joſephus, Energumeni ſuſpicionem faceret; eapropter privatos intra parietes ſacra carmina, aliique ritus in Eccleſia uſurpari ſoliti, diligenter adhibebantur, at nullo ſucceſſu. Tyronum interea Magiſtro in mentem venit, ut Oregio author eſſet, libellum Regularum S.Ignatii ante ſomnum pul-

pulvillo ſubjiciendi. Id cum is quotidie factitaret, nullam deinceps vexationem ſenſit, niſi trigeſimo circiter a Tyrocinio anno, cum die quopiam remedium neglexiſſet; tum enim rediit pulvilli pulſatio, & primæ illæ moleſtiæ. Ad mentem reverſus bonus ſenex, e lectulo ſe corripit, præmunit ſe legum libello, ac reliquum noctis placido ſopore tranſegit. Perhibetur & alias malum genium apprehenſo eo ſcuto fugaſſe.

CAPUT SECUNDUM.

In Paraquariam navigatio, & primi ejus labores; Gvaicuræorum Ducem admovet baptiſmo.

POſteaquam Joannes Viana Procurator provinciæ Paraquarienſis, elato jam triſti funere Claudio Generali, Romam perveniſſet; novusquc Præpoſitus Mutius Vitelleſchus, in Comitiis univerſæ Societatis, pro Paraquariæ auxilio, in plerisque provinciis ſubſidiarios Socios conſcribi juſſiſſet: pro Romana delectus eſt Joſephus Oregius. Is Mediolanum profectus diuturna ac periculoſa febri tentari cœpit eo ipſo tempore, quo Americanum iter urgebat. Viana, (incertum quo conſilio aut fiducia) jubet Oregium e lecto ſurgere & protinus ad iter ſe comparare. Obedivit Oregius, & creditus eſt ope S. Caroli, ad cujus aram pro eo fecerat Viana, prodigio convaluiſſe; nam deinceps terra marique inter mille calamitates vegetus, alacerque arduum iter confecit. In provinciam delatus, poſt conſueta literarum virtutumque experimenta, in variis domiciliis: Hiſpanos, Æthiopes, Indos, Societatis miniſteriis procuravit. Indicam linguam probe combibit: demum ad Gvaicuræos barbaros abiit.

De Gvaicuræorum moribus hæc pauca lector accipe, ut Oregii noſtri conatus Apoſtolicos magis pernoſcas. Prope ſesquiſeculo Gvaicuræi Hiſpanis reſtitere, avitarum ſuperſtitionum retinentiſſimi. Paludoſa loca habitant, ferocia magis, quam multitudine, terrorem incutiunt. Plerumque nocturnis horis in arma coorti manus conferunt cum hoſte, damno facto, notis latibulis, inter arundineta ſe reddunt; alii ab aliis ſejuncti, ut ſævæ tygrides ſolent. Hac una arte ſtragem late edunt, ſeque tuentur adverſus Hiſpanos. Plerique piſcium putri pinguedine unguntur; inde genti ſuus intolerabilis fœtor. Otium nacti, nocturnum tempus in crapulam & venerem projecti inter barbaros ululatus tranſigunt, diurnum diris religionibus, & omni vitiorum turpitudine fœdant. In hac gente domanda Rochus Gonſalvius, Petrus Romerus, aliique præſtantes viri operam perdidere; unde de retrahendis ad lætiorem meſſem Sociis agitatum fuit: id antequam fieret, lubuit Joſephi Oregii artem atque conatus experiri. Verum & hic, quanquam cum Antonio Moranta eniteretur diligentiſſime, fruſtra fuit; obſtabat barbara feritas, libido

bido effrenata, ac libertatis amor. Id tamen operæ pretium tulit, quod gentis Ducem, paulo ante mortem vitali fonte expiarit impoſito Martini nomine, cui populares, avitum morem ſecuti, hoc fere ritu parentarunt: dum Oregius ex Chriſtianorum inſtituto, cadaver ſepulchro inferebat, barbari verſi: inconditis ululatibus omnia complebant, tum: ſcuta, arcum, veſtes, redimicula, cæteraque viri ſigna minutim concerpta in aera ſpargebant. Equos, canes venaticos, pſittacos, quos in uſu, ac deliciis Dux habuerat, pro inferiis jugularunt, adjecturi uxorem, omnemque ſobolem, ni nefandas victimas Oregius authoritate ſua inhibuiſſet, demum populus ferocem luctum teſtabatur inſana corporis jactatione, ac ſuris ferro apertis cruenta veſtigia relinquendo. Defuncto Martino Duce, res ad ejus filium Didacum Franciſcum noſtris ſacris initiatum devoluta eſt; ſub hoc aliquantula ſpes affulſit Religionis propagandæ. Rurſum ſpem omnem evertit innata ferocitas Gvaicuræorum, avitis moribus tum Oregii, tum aliorum ſummos conatus pertinaciter eludentium.

Caput Tertium.

Caaroenſes, aliosque populos adjuvat.

Occiſis ſub ea tempora pro Religione Rocho Gonſalvio & Sociis, Caaroenſes rebellaverant, mox pœnitentia ducti, alios ſibi de Societate Sacerdotes concedi ſupplices petierant. Rata habuit vota provinciæ Præſes, ac Rocho Gonſalvio, Joſephum Oregium ſuffecit, qui alacriori animo purpuratis ſanguine ſuo Patribus ſucceſſit, quam Germanus ejusdem Cardinalium Cœtui ſe miſcuerit; quem Urbanus VIII. maximus fautor Oregianæ proſapiæ, eo provexit. Apud Caaroenſes DEO opitulante reſtauravit oppidum, ſexcentas familias in ordinem civilem redegit, quingentos octoginta tres baptiſmo maturos Eccleſiæ aggregavit, quos deinceps complura barbarorum millia conſecuta ſunt, ut adeo in ea gente, ſedula Oregii cura, Fides ac Religio maxima ceperint incrementa.

Triennium apud Caaroenſes poſuit, mira patientia, maximo animarum proventu. Poſtea viro gemina provincia ordine obvenit: Tapenſis & Urvaicenſis, meſſis uberrimæ. Utramque ſumma cum laude moderatus eſt vicennio toto. Quot luſtrali fonte tinxerit, quis percenſeat? tam late Apoſtolici Viri induſtria ſe porrexit, ut eum jam nullæ laterent latebræ, nullum adeo impeditum nemus eſſet, quod non undique excuſſiſſet, nullæ ſummorum fluminum ripæ ignotæ. Malo peſtifero graſſante, quo Catechumenorum, Neophytorumque rationes avocabant, per juga montium, per paludes, obvios torrentes, rependo, nando, equitando, ibat alacer & intrepidus, quanquam viperæ, & tygrides itinera

infeſta redderent, & diſpoſitæ Ariolorum excubarent inſidiæ. Aliquando in immenſo deſerto triduo aberrans pro perdito deploratus eſt. Alias cum Mamalucorum metus oppidanos in fugam conjeciſſet, Joſephus Oregius in ſtatione permanſit, hoſtemque præferocem operiri auſus eſt. Eventis quoque inclaruit; Marcellus Maendius Caſiquius id muneris ſibi depoſcebat, ut cum Oregius peſtis tempore ad moribundos itaret, quæritans per nemora, ſi quos illic repentinus morbus oppreſſiſſet, faſcem virgultorum accenſum noctu præferre ſibi liceret; id dum factitat, lue corripitur. Jamque moriturus patrem rogarat, ut ad ultimam luctam ſupremum ungeretur. Cui Pater, *te inungam*, inquit, *Marcelle, & ſi vere credis, per eam Sacroſanctam unctionem corpore & animo valebis. Credo*, intulit æger: *ergo valebis*, addidit Oregius, *fides tua te ſalvum fecit.* Neque fefellit eventus: priſtinam ſanitatem recuperavit, munerique ſuo redditus eſt. Romæ adhucdum degenti, mira rerum ſpecies objecta eſt; barbarorum nempe in puro aere denſum agmen, ſine cultu, ſine amictu; quo ſpectaculo cum aliquamdiu perfruitus eſſet, tota ſubito imago evanuit. At oſtenti imago alte in animum demiſſa, ancipitem curam reliquit, quid portento Superi vellent? Poſteaquam vero Caaroenſium curam ſuſcepit, mediumque ſe inter hos barbaros circumſpexit, cœleſte indicium agnovit; namque agmen hoc ſimillimum erat Romana in urbe olim viſo. Urbanus VIII. P. M. veteris cum Oregio amicitiæ memor, permunifice hominem coluit, donis in Americam usque large ſubmiſſis. Percontatus præterea ex Paraquariæ Procuratore familiariter, quid Joſephus Oregius in deſertis locis biberet? cumque reſponſum eſſet, ad aquæ potum nihil addere ſolitum; ad Helvetos ſui corporis cuſtodes Papa converſus quæſivit: *num eis perinde Americana hæc potio arrideret?* Cardinalis Oregius paria prope officia in Germanum ſibi amantiſſimum contulit. Joſephus demum Pontificia & fraterna dona in Socios, ſuosque barbaros diſpertitus eſt.

JOSEPHUS DOMENECUS HISPANUS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus vitæ primordia, primæque expeditiones ſacræ.

JOſephus Domenecus in Regno Valentiæ natus, ab ultima pueritia tam factus erat ad pios ſenſus gignendos, ut ſi quando pictores cuperent virtutem quampiam, aut præclaram Angeli formam expingere; Joſepho prototypo uterentur. Ante decimum quartum ætatis annum in Tyrocinium Societatis admiſſus, audita Philoſophia in Paraquariam navigavit. Vix barbaras terras contigit, ardentibus, & ſummis precibus ab Provinciali petiit, uti ſibi liceret abdicata Theologia, animarum lucra quantocyus ſectari.

Impetrata Gvairanica expeditione, gentis linguam ſumma diligentia edidicit. Tum diu collectum pectoris ardorem ita effudit, ut longe lateque novi Apoſtoli fama dimanaret, & plerique putarent (quanquam juvenis eſſet) cum Viris in ea arena exercitatiſſimis conferendum; ſiquidem eorum veſtigia ingreſſus, nondum confirmata ætate, cœpit ferociſſimorum hominum vicos ac latebras obire, miris blanditiis, atque omnibus charitatis officiis duriſſima ingenia emollire, ſementem Evangelicam nunc in felici, nunc ſterili ſolo citra ceſſationem ſpargere. Quibus porro rem Chriſtianam incrementis auxerit annis procedentibus, quot e Mamalucorum vinculis eliberarit, quæ pericula adierit, quoties ſe pro Indorum ſalute in præſentiſſimam necem conjecerit, ne pane quidem multos per annos deguſtato; compendio exequi haud poſſum. Conſtat Virum iis diſcriminibus ſe implicuiſſe, quibus Diaſtanius, in illa templorum Ariolis ſacrorum famoſa crematione involutus erat, earumque calamitatum participem fuiſſe, quas noſtri Ordinis homines in migratione oppidorum Gvairaniæ heroa patientia pertulere.

Diruta atque everſa Gvairania, ad Urvaicam translatus, Purificatæ Virginis oppido præficitur. Quo in munere laborum mole, prædicatione Evangelii, ſtudio opitulandi omnibus rurſum inclaruit. Tantæ ſolertiæ par fructus extitit. Nam barbari deſiderio æternæ ſalutis accenſi, catervatim beneficium baptismi expetierunt. Poſteaquam vero conſcelerata illa Mamalucorum turba Urvaicam quoque infandis latrociniis ſusdeque vertit, auſus eſt etiam objectu corporis ſuos tueri. Cum demum

vis prævaluiſſet, incredibili labore & induſtria diſperſos collegit, collectos ad Paranam traduxit, novoque oppido concluſit, ac materna prorſus pietate fovit.

Caput Secundum.

De ejus ad Jiviſenſes & Villaricanos expeditione.

COmpoſita in novo ſolo republica, cum numeroſa Neophytorum manu Jiviſenſis fluminis ripas legendo, non paucos ab inſtitutis Majorum ſuorum avocavit. Quos cum in tutum recipit, pene vitæ jacturam fecit. Vaſtas arbores in cymbas cavari juſſerat; apparatæ cum eſſent, inque fluvium immiſſæ, ubi ad medium propellebantur, ex oneris impatientia mergi & a profluente rapi cœperunt. Domenecum toto corpore merſum ac luctantem cum undis, pueruli, mortis metu comprenſa veſte tenebant, Neophyti circum natando rude navigiolum ſublevare volentes, addito novo pondere in majus periculum impulerunt. Demum ſpatio unius leucæ abrepti, Superis opitulantibus ad ripam evaſerunt. In eo diſcrimine perhibetur Domenecus infantulo cuidam baptiſmi Sacramentum contuliſſe. Mox cum ſuis adſitas ſilvas ingreſſus, non contemnendum barbarorum numerum invenit, quos pro viribus adjuvit, ac rite inſtitutos Chriſto genuit. Deinde capita Jiviſenſis fluvii petens, ad fines eorum Indorum pervenit, quos Ceralos dicimus, inde appellationem ſortitos, quod capita ſilveſtri cera ita oblinant, ut nusquam capilli ſuccreſcant.

Jiviſenſi expeditioni Villaricanam attexo, quam Joſephus Domenecus, & Michael Gomez ingenti animo ſuſcepere. Octoginta leucis Villarica aberat, quo ambo contendere. Eo in itinere præcipuam moleſtiam attulit interjecta palus, tres leucas lata; hanc ut ſuperarent, umbilicotenus innatabant Patres, reliquum corpus pluvia aſſidue verberante. Ubi deſertam inſulam mediis in aquis ſitam tenuere, duos dies commorati ſunt madidi ac trementes. Statio ſane periculorum ferax: namque tygris crebris aſſultibus advenas territabat. Tellus bufonibus, culicibusque id loci importuniſſimis ſcatebat; imbres ruebant denſiſſimi, ut adeo omnia in periculum virtutis ac conſtantiæ conſpirare viderentur. Palude tranſmiſſa, repugnabat fluvius ſuper ripas effuſus, quem tum primum tranare licuit, cum peregrinæ aquæ ſubſiderunt. Hoc ſuperato rurſum alii, atque alii occurrerunt trajectu difficillimi, per quos cymbula Aracajam feliciter vecti, tandem Villaricam peſte infectam tenuere. Hic inter multiplicia funera, Viri Apoſtolici ſilvam laborum nacti, omni mortalium generi pro ſuo inſtituto opem tulere. Urbe conſanata, in pagos effuſi, idem præſtitere, quoad Joſephus Domenecus lue contactus tandem aliquando ſuccumberet.

Ca-

CAPUT TERTIUM.

Ejus Mors.

ET præclara anteactæ vitæ facta, & excelſa Viri virtus, & ſpectata prudentia majorem in modum hominem commendarunt. Quapropter Superiores iterum ac ſæpius inſtiterant, ut ſe, quantumvis jam adultioris ætatis foret, tantiſper Theologicis ſpeculationibus exerceri pateretur, quo ad ſumma Societatis Vota promoveri poſſet. At enim homo arrepti ſemel propoſiti tenaciſſimus, ab inſtituto ſuo rudi Indorum genti opitulandi, divelli nequaquam potuit, donec in miniſterio peſtiferorum victima charitatis caderet. De ejus morte Sacerdos Eccleſiaſticus ad Aſſumptionis Collegii Rectorem ſic perſcripſit: *Vitam, inquit, finivit P. Joſephus Domenecus, pie ſancteque Divi Pauli magnanimitatem in agone repræſentans. Mortem ſuam præſagiit, & pio cum animi ſenſu præſtolatus eſt. Sacramentis a me munitus, in tenerrimo Chriſti Crucifixi amplexu, cœlum per intervalla ſuaviter intuens, & JEſum nominans, animam exhalavit. Mortuus vivere videbatur; adeo mors nihil Virum immutaverat propoſiti in vita tenacem. Multi reculas ab eo contrectatas pietatis ergo ambivere.* Hæc ille: nec defuit poſt mortem (ut fertur) adeptæ felicitatis indicium. At iſtud authorum fide nititur. Michael Gomezius porro, cum morbo peſtilenti diu colluctatus; mortem ter minitantem eluſit, refectiſque Villaricæ viribus, eo, unde diſceſſerat, grandibus meritis onuſtus rediit.

FINIS DECADIS QUINTÆ.

IN-

INDEX DECADUM

Virorum Illuſtrium Provinciæ Paraquariæ Societatis JESU.

DECAS PRIMA.

ALPHONSUS BARSENA HISP. CORDUBENSIS.

Cap. I. Ejus natales, educatio, Religionis initia, navigatio. *Pag.* 41
Cap. II. In Peruvia labores. 42
Cap. III. Saltam & Eſtecum excolit. 43
Cap. IV. In Tucumaniæ Metropoli, Apoſtolice elaborat. 44
Cap. V. Multa millia barbarorum Eſtecenſium baptizat. 45
Cap. VI. Cordubenſem tractum Apoſtolice percurrit. 46
Cap. VII. Salſi fluminis accolas omni ope juvat. 47
Cap. VIII. Calchaquinos ad pacem revocat. Ibid.
Cap. IX. Lullos & alios Populos Chriſto lucratur. 48
Cap. X. Peragrata Tucumania Lullos repetit. Ibid.
Cap XI. E Lullorum regione revocatur. 49
Cap. XII. Ad Frontones Chriſto lucrandos mittitur. 50
Cap. XIII. Frontonum expeditio fruſtra ſuſcipitur. 51
Cap. XIV. Reliqua Barſenæ geſta in Paraquaria. Ibid.
Cap. XV. In Peruviam revocatus labores redintegrat. 52
Cap. XVI. Memorabilia quædam ad ejus Vitam & Mortem ſpectantia. Ibid.

JOANNES SALONIUS.

Cap. I. De ejus vitæ primordiis. 54
Cap. II. Primus Sociorum in Paraquariam fauſto omine ingreditur. 55
Cap III. Peſte contactos juvat. 56
Cap. IV. Per quinquennium Paraquariæ Metropolim excolit. *Pag.* Ibid.
Cap. V. Adverſo Paraquario Apoſtolice excurrit. 57
Cap. VI. In Gvairaniam expeditionem ſuſcipit. 58
Cap. VII. Ejus mors. Ibid.

EMMANUEL ORTEGA.

Cap. I. Ejus natales, navigatio, prima munia. 59
Cap. II. Ab hæreticis Anglis captus; in mare projicitur. 60
Cap. III. Emmanuelis Ortegæ portentoſa tranſvectio & in Tucumania labores. 61
Cap. IV. Aſſumptionis urbem nec non Gvairaniam excolit. Ibid.
Cap. V. In Aſſumptionis & urbis Regalis ditione multa millia luſtralibus aquis expiat. 62
Cap. VI. Villaricæ cum Fildio (peſte graſſante) magnam animarum meſſem colligit. 63
Cap. VII. Ibirayas Chriſto aſſerit. 64
Cap. VIII. Ejus inter Apoſtolicos labores vitæ pericula. Ibid.
Cap. IX. Villaricæ domicilium Societati erigitur. 65
Cap. X. Per ſeptennium cum Thoma Fildio in Gvairania Apoſtolice elaborat. 66
Cap. XI. Peſte afflatis cum Fildio opitulatur. Ibid.
Cap. XII. In ingenti inundatione multa agit & patitur. 67
Cap. XIII. Poſt varios labores ad Paraquariæ Metropolim revocatur. 68
Cap. XIV. Apud S. Inquiſitionis Officium, per calumniam accuſatur, multa patitur. 69

Cap.

Cap. XV. Chiriguanarum expeditioni præficitur. Pag. 69
Cap. XVI. Ejus mors & virtutes. 70

THOMAS FILDIUS.

Ejus vita. 71

JOANNES ROMERUS.

Cap. I. Ejus Vocatio & Religionis Tyrocinium. 72
Cap. II. Quædam ſpecimina virtutum & ad Indias navigatio. 73
Cap. III. Primi ejus in Tucumania labores. Ibid.
Cap. IV. In Paraquaria egregie laborat. 74
Cap. V. Tucumaniam per multos annos excolit. 75
Cap. VI. Cordubæ ſedem ponit, atque eam regionem Apoſtolice percurrit. Ibid.
Cap VII. Apud Diaguitas multos baptizat cum Monrojo. 76
Cap. VIII. Numeroſum ejus gentis oppidum ad Chriſti partes trahit. Ibid.
Cap. IX. Quatuor Pagorum converſio. 77
Cap. X. Cum eodem Socio vita periclitatur. Ibid.
Cap. XI. Reliqua ejus acta usque ad fundationem provinciæ Paraquariæ. 78
Cap. XII. Acta ejus in Procuratione Romana. 79
Cap. XIII. Reliqua ejus munia & mors. Ibid.
Cap. XIV. De cæteris ejus exercitationibus & virtutibus. 80

GASPAR MONROJUS.

Cap. I. De vitæ primordiis. 82
Cap. II. Ad Omaguacas proficiſcitur. Ibid.
Cap. III. Omaguacarum multos baptismo abluit. 83
Cap. IV. Piltipiconem ſibi conciliat. Ibid.
Cap. V. Per Omaguacarum regionem excurrit, & pacem ſancit. 84
Cap. VI. Cum Petro Agnaſco rurſum Omaguacas inviſit. 85
Cap. VII. Acta Monroji in Cucuiſenſi urbe. Ibid.

PETRUS AGNASCUS.

Ejus vita. 86

LUDOVICUS VALDIVIA.

Cap. I. De ejus dotibus. 87
Cap. II. Primi in Chileno regno labores. Ib.
Cap. III. Rebellantes Chilenos componit. Pag. 88
Cap. IV. Interiores hoſtium populos adit 89
Cap. V. Hoſtes conciliat. 90
Cap. VI. In Peruviam navigat. 91
Cap. VII. In Hiſpaniam proficiſcitur. Ibid.
Cap. VIII. Catarajanos ad partes Regis Catholici pertrahit. 92
Cap. IX. Interiores populos conciliare ſtudet. 93
Cap. X. Quatuor Societatis ſedes erigit. Ibid.
Cap. XI. In defenſione Indorum multa agit patiturque. 94
Cap. XII. Multis millibus baptismum largitur Ibid.
Cap. XIII In Hiſpaniam redit. Moritur. 95

MARCELLUS LORENCANA.

Cap. I. De ejus vita usque ad Miſſionem Paraquarienſem. 95
Cap. II. De prima ad Paraquarienſes Indos Miſſione. 96
Cap. III. In Gvairaniam & alia loca excurrit. Ib.
Cap. IV. Fructuoſe laborat. 97
Cap. V. In Paraquariam redit. 98
Cap. VI. In Aſſumptionis urbe ac ditione labores redintegrat. Ibid.
Cap. VII. Ad ethnicos Chriſto lucrandos mittitur. 99
Cap. VIII. Oppidi fundamenta ponit. Ibid.
Cap. IX. Ad necem cum Neophytis quæritur. 100
Cap. X. Oppidum D. Ignatii reædificat & multa patitur. 101
Cap. XI. Immodici ejus labores & nova pericula. Ibid.
Cap. XII. Reliqua ejus munia usque ad mortem. 102
Cap. XIII. De quibusdam ejus factis & virtutibus. 103

JOANNES DARIUS.

Cap. I. De ejus Vita usque ad Tucumaniæ Miſſionem. 104
Cap. II. Cordubenſem ſedem ſtabilit. 105
Cap. III. Calchaquinam vallem Chriſtianis legibus erudit. Ibid.
Cap. IV. Diaguitas ad pacem & Chriſtum traducit. 106
Cap. V. De muniis ab eo geſtis & quibusdam virtutibus. 107
Cap. VI. De animi demiſſione & tolerantia. 108
Cap. VII. De prono erga pauperes & afflictos animo. 109
Cap VIII. Continuatio Materiæ. 110
Cap. IX. De ejus Concionibus. Ibid.
Cap. X. De reliqua ejus Vita & Morte. 111

DECAS SECUNDA.

DIDACUS TORRES.

Cap.I. Ejus Origo, & Pueritia. *Pag.* 113
Cap.II. Adoleſcentia & de ſtatu deliberatio. 114
Cap.III. Religionis Tyrocinium & Studia. 115
Cap.IV. Navigatio ad Indias, & prima munia. 116
Cap.V. Julide Rectorem agit. 117
Cap.VI. Cuſcenſis Collegii Rectorem agit. 118
Cap.VII. In Rectoratu Collegii Quitenſis multa agit memoria digna. 120
Cap.VIII. Potoſino Collegio præeſt, & alia munia obit. 121
Cap IX. Peruanæ provinciæ Procurator multa agit in Hiſpania. Ibid.
Cap.X. Item in Italia. 122
Cap.XI. Et rurſum in Hiſpania. 123
Cap XII. Quitenſem Societatis JESU provinciam fundat. 124
Cap. XIII. Ad fundandam Paraquarienſem provinciam proficiſcitur. 125
Cap.XIV. Geſta ab eo, primo fundationis provinciæ triennio. 126
Cap.XV. Sequenti quadriennio in fundatione provinciæ ab eo geſta. 127
Cap. XVI. Status provinciæ Paraquarienſis ab Didaco Torres fundatæ. 129
Cap.XVII. Cordubæ & alibi multa agit memoratu digna. 130
Cap.XVIII. Utilem operam Æthiopibus navat. Ibid.
Cap.XIX. In Peruviam reverſus Potoſii fructuoſe laborat. 131
Cap.XX. Ejus acta Chuquiſacæ. 132
Cap.XXI. De cæteris ejus Virtutibus & felici morte. 133

MARTINUS ARANDA.

Cap.I. Ejus Natales & Militia. 134
Cap.II. Riobambenſem Præfecturam exercet. 135
Cap.III. Ejus converſio, Religionis Tyrocinium, ſtudia. 136
Cap.IV. Ad Chunchos Chriſto aſſerendos deſtinatur. Ibid.
Cap.V. In Araucana arce ſedem ponit. 137
Cap.VI. Araucanos præſidiarios cum Horatio Bechio excolit. 138
Cap.VII. Martinus Aranda, & Horatius Bechius, Araucanorum Primores conciliant. Ibid.
Cap.VIII. Inter proſpera & adverſa iidem rem Chriſtianam promovent. *Pag.* 140
Cap IX. Aranda & Bechius Inſulam Beatæ Mariæ, Apoſtolice repurgant. 141
Cap.X. Martinus Aranda, & Horatius Bechius ad rebelles componendos deſtinantur. 142
Cap.XI. Martinus Aranda cum Sociis trucidatur. 143
Cap.XII. Martini Arandæ Virtutes. 144

HORATIUS BECHIUS.

Ejus vita. 145

DIDACUS MONTALVANUS.

Ejus vita. 145

JOANNES VIANA.

Cap.I. De primordiis ejus vitæ, usque ad Miſſionem Tucumanicam. 146
Cap.II. In Tucumania multifariam laborat. Ibid.
Cap. III. Ad Lullos utiliter excurrit. 147
Cap. IV. Geſta ejus in procuratione Romana. Ibid.
Cap. V. Ejus acta poſt procurationem usque ad mortem. 148

MELCHIOR VANEGAS.

Cap.I. Ejus Patria, Parentes, Adoleſcentia, Religionis Tyrocinium, & Studia. 149
Cap. II. Ad Caſtrum Chiloenſis inſulæ navigat, ubi Apoſtolicis laboribus inſudat. 150
Cap.III. In Chiloenſes inſulas tranſmittit; & ſtabilito ibidem Societatis domicilio, inſulas omnes nomine Proregis luſtrat. 152
Cap.IV. Ad Chunos navigat; commemorantur ipſius præclaræ virtutes, & mors. 154

JOSEPHUS CATALDINUS.

Cap.I. De ejus vita ante initam Societatem. 156
Cap.II. Societatem Jeſu amplectitur, & in Gvairania Apoſtolum agit. 157
Cap.III. Piropoenſes in oppidum cogit; eosdem Lauretum traducit. 160
Cap. IV. Ejus ad Tucutienſes ſacra expeditio; Indorum vexatores, & Ariolos exagitat. 162

Cap. V. Ad campeſtres Indos necquiquam penetrare contendit; apud Ibitirambetanos S. Xaverii coloniam ducit. *Pag.* 163
Cap. VI. Villaricanæ ſedi præeſt; apud Gvalachos Sancti Petri, in Tapenſi provincia S. Joſephi oppida condit. 165
Cap. VII. Urvaicenſibus, & Paranenſibus Sociis præficitur; ejus mors, cœleſtes favores, & inſignes virtutes. 167

SIMON MACETA.

Cap. I. De ejus vita, & ingreſſu in Societatem noſtram. 169
Cap. II. Primi ejus labores in Gvairania; de vita periclitatur; prædicit Indorum vexatores caſtigandos. 171
Cap. III. Apud Inianenſes novæ coloniæ locum deligit; & in Gvairania Jeſu Marianam coloniam firmat. *Pag.* 173
Cap. IV. Sæpe de vita periclitatur; in everſione Jeſu Marianæ coloniæ multa agit, patiturque. 175
Cap. V. In Braſiliam profectus, captivos omni ope liberare adnititur. 177
Cap. VI. De cæteris ejus geſtis, & virtutibus. 178

JOANNES VASÆUS.

Mors ejus, vitæ tenor, & decora animi. 180

JOANNES PASTOR.

Cap. I. De ejus vitæ primordiis; deque ſacra expeditione ad Cujoenſes. 182
Cap. II. De aliis rebus ab eo geſtis; Mataranos & Abipones adit; functus variis muneribus mortem obit. 184

DECAS TERTIA.

ROCHUS GONSALVIUS.

Cap. I. Rochi Gonſalvii vita ante Societatis ingreſſum. 187
Cap. II. Ad Gvaicuræos Chriſto domandos amandatur; dein ad Paranenſes. 188
Cap. III. Divi Ignatii oppido præeſt, & iterum Paranenſes adit, ſibique conciliat. 190
Cap. IV. Itapuanum oppidum fundat; tum S. Annæ ſtationem inchoat, eamque RR. PP. Franciſcanis tradit. 191
Cap. V. Jaguapuani oppidi fundamenta jacit, & ſuperiorem Paranæ partem explorat. 193
Cap. VI. Multa agit & patitur ad Paranam memoratu digna. 195
Cap. VII. In Urvaicenſem provinciam primus facem Evangelicam infert, & Conceptionis oppidum condit. 196
Cap. VIII Urvaicam fruſtra tentat explorare. 198
Cap. IX. Sancti Nicolai Coloniam fundat. Urvaicam explorat, geminaque oppida deſignat. 199
Cap. X. Fundatum ab Gonſalvio oppidum apud Ibicuitienſes a barbaris evertitur. Tapenſem provinciam adire tentat. 201
Cap. XI. Caaſapaminienſem Coloniam auſpicatur; tum Caaroenſem & Jivienſem colonias inchoat. 202
Cap. XII. In Rochi Gonſalvii necem conjuratur. 203
Cap. XIII. Alphonſus Rodericius Gonſalvii Socius mactatur. 204
Cap. XIV. Geſta poſt utriusque necem. 205
Cap. XV. Cor Rochi Gonſalvii poſt mortem loquitur. Ibid.
Cap. XVI. Honor Heroibus datus, & de Rochi Gonſalvii dotibus. 206

ALPHONSUS RODERICIUS.

De Alphonſo Rodericio quædam memorabilia. 207

JOANNES CASTILLIUS.

Cap. I. Niezuvius ejus necem imperat. 208
Cap. II. Geſta poſt ejus necem, cum brevi commemoratione vitæ & virtutum recenſentur. 209

ALPHONSUS ARAGONA.

Caput I. Ejus Patria, Religionis initia, ſtudia, & navigatio in Paraquariam. 210
Cap. II. In Conceptionis oppido Urvaicenſibus Chriſto domandis inſiſtit

ſtit. Divi Nicolai oppido condendo, regendoque præficitur. *Pag.* 211
Cap. III. Niezuvius & Potirava in Alphonſi Aragonæ necem conſpirant. Mors ejusdem & virtutes. 213

DIDACUS BOROA.

Cap. I. Vitæ initia. 215
Cap. II. Diaguitas & alios populos excolit; inter Gvarambaræos multum laborat; Itapuanos inſtruit. 216
Cap. III. Ignatiano ad Paraquarium oppido præeſt. 217
Cap. IV. Sociis ad Paranam, & Urvaicam elaborantibus præfectus, multa utiliter agit. 218
Cap. V. Inianenſes novo oppido fundato includit; apud Acarajenſes coloniam ducit; Iguaſuanum oppidum molitur. 219
Cap. VI. Quædam res ab eo geſtæ in Aſſumptionis regimine; S. Xaverii apud Tabativienſes oppidum inchoat. 221
Cap. VII. Cordubenſis Rector, & Provincialis multa agit memorabilia; Paranam, & Urvaicam luſtrat, tum Tapenſem regionem adit. 222
Cap. VIII. Per Tucumaniam & per alios terrarum tractus laborat; transmigrationem Tapenſium urget; in Itatinenſem provinciam abit. 224
Cap. IX. De cæteris ejus geſtis & virtutibus. 226

CLAUDIUS RUIERIUS.

Cap. I. De Vita ejus usque ad Miſſiones. 227
Cap. II. De primis ejus apud Indos laboribus; Acarajenſis oppidi initia facit, augetque. 228
Cap. III. Iguaſuanæ coloniæ fundandæ operam dat; multosque Fidei deſertores ovili Chriſti aggregat. 229
Cap. IV. Caaiguarum gentem utcunque conciliat; Gvaraniæ transmigrantes adjuvat, Iguaſuanos alias in terras deducit. *Pag.* 230
Cap. V. Urvaicenſibus & Paranenſibus Sociis præficitur; quibus virtutibus inclaruerit. 231

PETRUS SPINOSA.

Cap. I. A barbaris trucidatur. 233
Cap. II. Quædam de eo memorabilia. 234
Cap. III. Tenor vitæ in Religione, & virtutes. 234

CHRISTOPHORUS MENDOZA.

Cap. I. De ejus Vitæ exordiis. 236
Cap. II. Primi in Gvairania labores; apud Tajatienſes oppidum erigit illudque moderatur; vitæ periculum ſubit. Ibid.
Cap. III. De reliquis rebus ab ipſo in Gvairania geſtis; varias colonias conſtituit; captivos liberat. 238
Cap. IV. Varias nationes adit; trucidatur a barbaris. 240
Cap. V. De geſtis poſt ejus mortem, & virtutibus. 241

PETRUS MOLA.

Cap. I. De ejus juventa, navigatione, ſtudiis, primis Miſſionibus. 242
Cap. II. In vaſtatione oppidi abs ſe fundati, multa agit & patitur. 243
Cap. III. De Vita periclitatur. 244
Cap. IV. Apud Caapienſes Sancti Caroli oppidum fundat, & gubernat. Ibid.
Cap. V. In JESU-MARIANÆ coloniæ fundatione, & Regimine Apoſtolice elaborat. 245
Cap. VI. De ejus geſtis usque ad mortem. 246

EUGENIUS VALTODANUS.

Ejus vita. 247

DECAS

DECAS QUARTA.

PETRUS ROMERUS.

CAp. I. Ejus Natales, Juventa, Religionis initia, Sacerdotium. *Pag.* 249
CAp. II. Gvaicuræis Chriſto ſubjugandis præponitur. 251
Cap. III. In Divi Ignatii oppido operam collocat; Gvaicuræis reſtitutus labores redintegrat. 252
Cap. IV. Ibidem multa agit & patitur memoratu digna. 253
Cap. V. Ad Gvaicuritiorum regionem explorandam proficiſcitur; peſte afflatis opem fert. 254
Cap. VI. Apud Jaguapuanos Paranæ populos rem Chriſtianam provehit. 257
Cap. VII. Novo Corporis Chriſti oppido exædificando, regendoque admovetur; Jaroſios fruſtra pertentat. 260
Cap. VIII. Gvaicuræos reviſit & deſerit; Japejuvienſibus Urvaicæ præſidet, initia Caaſapaminienſis oppidi promovet. 261
Cap. IX. Sacras Sociorum exuvias vindicat, & de vita bis periclitatur. 263
Cap. X. Urvaicenſibus, Paranenſibusque Sociis præfectus, Caaroenſem rem reſtituit, & duorum oppidorum fundamenta ponit; Ibapirio domito alibi bina oppida condit. 264
Cap. XI. Epiſcopum Paraquarienſem honorifice excipit, & Gvairaniæ transmigrationem juvat. 265
Cap. XII. In Tapenſi provincia nova oppida molitur, & rem Catholicam provehit. 266
Cap. XIII. In JESU-MARIANO, oppido Ariolos exagitat & ab Mamalucis obſidetur. 267
Cap. XIV. Pro tuenda Tapenſi provincia, & in tutum recipiendis Neophytis multa agit patiturque. 268
Cap. XV. Neophytos contra Caracaras, & Calchaquinos rebelles comitatur. 269
Cap. XVI. Oppido Lauretano, & Corporis Chriſti, ac deinde Aſſumptionis Collegio præeſt; Itatinenſi provinciæ præfectus, ultra Paraquariam legem Chriſti promulgat. 270
Cap. XVII. Barbari mortem Romeri machinantur, & cum Matthæo Fernandio, Gonſalvio Neophyto a barbaris trucidatur. *Pag.* 271
Cap. XVIII. Geſta poſt Romeri mortem, & ejusdem virtutes commemorantur. 273

MATTHÆUS FERDINANDIUS.

Quædam de eo memorabilia. 276

DIDACUS RANCONIERIUS.

Cap. I. Ejus Patria, Religionis initia, navigatio, ſtudia, & primæ inter Indos exercitationes. 276
Cap. II. Itatinenſem provinciam Sociorum primus explorat; trium oppidorum fundationi inſiſtit. 277
Cap. III. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli coloniæ fundamenta jacit; Pajaguas conciliat. 279
Cap. IV. Indicium accipit Mamalucorum invaſionis. 280
Cap. V. Everſionem oppidi ab ſe fundati ingenti dolore intuetur & barbaris opitulatur. 281
Cap. VI. Sæpe vitæ pericula adit; bina oppida reſtaurat. 282
Cap. VII. Reliqui ejus labores, mors, & virtutes. 283

NICOLAUS ENARTIUS.

Cap. I. De ejus origine, Adoleſcentia, religioſæ vitæ exercitationibus, Miſſione Indica, navigatione, & ſtudiis. 285
Cap. II. Ejus geſta in Gvairania, & Itatinenſi provincia. 286
Cap. III. In invaſione Mamalucorum multa tolerat memoratu digna; ultimi ejus labores, mors, & virtutes. 287

GASPAR OSORIUS.

Cap. I. De ejus vita, deque expeditione ad Chaquenſes. 289
Cap. II. Linguis Chaquenſium addiſcendis dat operam, in quorum regione multa patitur. 290
Cap. III. Oclojas oppido abs ſe extructo includit. 291

Cap. IV. Gaſpar Oſorius, & Antonius Riparius, nec non Sebaſtianus Alarconius trucidantur. *Pag.* 292
Cap. V. Geſta poſt mortem; & Gaſparis Oſorii virtutes. 293

ANTONIUS RIPARIUS.

Ejus vita. 295

ANTONIUS RUISIUS MONTOJA.

Cap. I. Ejus Pueritia, Adoleſcentia. 296
Cap. II. Religionis Tyrocinium, ſtudia, Sacerdotium. 298
Cap. III. Primi in Gvairania labores. 299
Cap. IV. Gvairaniæ Sociis præfectus, Ibitirambetanos conſtructo oppido includit. 300
Cap. V. In Tajaobanæ regionis aditu, amiſſis comitibus, de vita periclitatur; apud Tucutin novam coloniam inſtituit. 301
Cap. VI. Iter per intacta nemora aperit; Tajatienſis oppidi fundamenta ſtruit. 302
Cap. VII. In Tajaobæ terris oppidum molitur; in fugam adactus, ſubinde multa agit memoratu digna. 303
Cap. VIII. Tajaobæ terras iterum ingreditur; JESU-MARIANAM coloniam cogit. 305
Cap. IX. Ad coronatos Indos expeditionem ſuſcipit; Gvalachos erudit. 306
Cap. X. Conciliato nonnihil Gviravera, JESU-MARIANUM oppidum inchoat cum quatuor aliis coloniis. *Pag.* 307
Cap. XI. In deſtructione & transmigratione Gvairaniæ multum laborat, & oppida reſtaurat. 308
Cap. XII. Sociis omnibus ad Paranam & Urvaicam, & in Tapenſi provincia degentibus præficitur; in Hiſpania non pauca a Rege Catholico obtinet. 309
Cap. XIII. In Americam navigat & Limæ moritur; cœleſtes ejus favores. 310
Cap. XIV. De ejusdem caſtitate, tolerentia, aliisque virtutibus. 311

MARTINUS XAVERIUS URTASUM.

De ejus vita, morte, virtutibus & apparationibus. 313

DIDACUS SALAZARIUS.

Cap. I. De ejus Patria, Parentibus, Religionis initiis, & navigatione. 315
Cap. II. Apud Gvairanios, & Gvalachos Apoſtolum agit. Ibid.
Cap. III. De vita periclitatur; Gvalachos deſerit, reliquæ ipſius res geſtæ, & mors. 317

DIDACUS ALFARUS.

Cap. I. Vitæ tenor. 318
Cap. II. De ejus geſtis, muniis, nece, ac virtutibus. Ibid.

DECAS QUINTA.

FRANCISCUS DIASTANIUS.

Cap. I. Vitæ ejus primordia. 321
Cap. II. In Gvairaniam miſſus, S. Xaverii oppido jubetur præeſſe. 322
Cap. III. Ad Campeſtres Indos & Gvalachos excurrit. 324
Cap. IV. Primus præeſt Conceptionis oppido, & S. Thomæ oppidum condit. 325
Cap. V. Fruſtra fert ſuppetias JESU-MARIANIS, quos Paulopolitani invaſerant: quatuor Votorum Profeſſis accenſetur. 327
Cap. VI. Sacrificulorum præſtigias, & Incarnationis oppidi perverſionis cauſas detegit; ſacrilega fana deturbat, concrematque. 328
Cap. VII. Pro defenſione Indorum in Paraquariam legatur. 329
Cap. VIII. Ad Senatum Regium in Peruviam mittitur, dein in Tapenſem provinciam, ubi JESU-MARIANUM oppidum gubernat. 330
Cap. IX. Conjurationem barbarorum detegit, reprimitque. 331

Cap. X. Ad Senatum Regium rurſum in Peruviam legatur. *Pag.* 333
Cap. XI. Procurator provinciæ in Hiſpaniam & Romam iturus eligitur; in Braſiliam cum Sociis advenit. Ibid.
Cap. XII. In Braſilia adverſus Mamalucos rem ſtrenue gerit. 335
Cap. XIII. Ad portum Boni aeris cum ſubſidiariis Sociis appellit; variæ illius occupationes. 336
Cap. XIV. Geſta ejus in Paranenſium & Urvaicenſium iterata Præfectura, & Collegii Aſſumptionis Rectoratu. 337
Cap. XV. Rurſum in Procuratorem Generalem eligitur; alia ipſius munia & præclaræ animi dotes. 338

ALPHONSUS ARIAS.

IN defenſione Neophytorum mactatur. 339

PETRUS MARQUES.

Ejus vita. 341

JUSTUS MANSILIA.

Cap. I. De ejus Parentibus, & vitæ primordiis. 343
Cap. II. Uliſſiponem contendit, & in Americam vela dat. 344
Cap. III. Primi ejus apud barbaros in Gvairania labores. 345
Cap. IV. In Sancti Michaelis oppidi everſione dura perpeſſus, in Braſiliam latrones inſequitur; Gvairaniam repetens, labores redintegrat. 346
Cap. V. Itatinenſem ethnicorum regionem primus explorat, & in ea oppidum fundat; Mamaluci fœdam populationem inferunt. 348
Cap. VI. Inter adverſa oppidum abs ſe fundatum ſtabilit; Itatinenſi Miſſioni præficitur. 349
Cap. VII. Ibidem & alibi rem Chriſtianam provehere contendit. 350
Cap. VIII. Rurſum ıtatinenſibus Sociis præficitur. 351
Cap. IX. Ex ıtatinenſibus oppidis pulſus poſtliminio reſtituitur; mors ejus atque virtutes. 352
Cap. X. De ejus fratre Antonio Manſilia. *Pag.* 353

DOMINICUS MUNIOA.

Ejus vita. 354

JOANNES SUARIUS.

Cap. I. Vitæ, Religionis, & Miſſionis Apoſtolicæ initia in Gvairania. 354
Cap. II. Aliud oppidum inchoat, alteri opitulatur, uti & populo Gvairaniæ. 356
Cap. III. Oppido S. Joachimi in Tapenſi provincia primus præeſt. 357
Cap. IV. De reliqua ejus vita. 359

FRANCISCUS XIMENES.

Cap. I. Caaroenſi oppido inſtaurato, S. Thereſiæ oppidum cum duobus aliis firmat. 360
Cap. II. Longe excurrit, magno reportato animarum lucro; S. Thereſiæ & Viſitationis oppida vaſtantur. 361
Cap. III. Geſta ejus poſt Mamalucorum depopulationem. 363

PETRUS ALVARES.

Cap. I. Ejus vitæ primordia; ad Sylvanos ſacram expeditionem ſuſcipit. 364
Cap. II. Acarajenſe oppidum inter ſummas difficultates adminiſtrat; & Araricanis opitulatur. 366
Cap. III. De Chiriguanarum, ad quos miſſus eſt, moribus; de reliqua ejus vita. 367

JOSEPHUS OREGIUS.

Cap. I. Vitæ primordia, Tyrocinium, ſtudia, prima miniſteria. 369
Caput II, In Paraquariam navigatio, & primi ejus labores; Gvaicuræorum Ducem admovet baptiſmo. 370
Cap. III. Caaroenſes, aliosque populos adjuvat. 371

JOSE-

JOSEPHUS DOMENECUS.

Cap. I. Ejus vitæ primordia, primæque expeditiones ſacræ. *Pag.* 373

Caput II. De ejus ad Jiviſenſes & Villaricanos expeditione. *Pag.* 374

Caput III. Ejus Mors. 375

FINIS.

D E C A D E S
VIRORUM ILLUSTRIUM
PARAQUARIÆ
Societatis Jesu

Ex inſtrumentis literariis ejusdem Provinciæ depromptæ,

AC IN ORDINEM REDACTÆ

A QUODAM SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

PARS SECUNDA.

LECTORI
BENEVOLO.

QUinque priores DECADES VIRORUM ILLUSTRIUM PARAQUARIÆ, *concinnavit* R. P. NICOLAUS DEL TECHO, *ut teſtatum facit Primæ Partis hujus Operis inſcriptio. Pro ſequentibus Decadibus, ſilvam, ut ſic dicam, rerum, maximo ſtudio collegit in Paraquaria,* R. P. LADISLAUS OROSZ, *nobili loco apud Hunga-*

ros natus, olim e Provincia Auſtriaca, nunc plurium annorum exercitatus Operarius in agro Paraquarico, & proſperis Euris in Europam ipſe detulit. Delatam meliorem in ordinem redegit, continentique narratione pertexuit ac (quod etiam in prioribus Decadibus non uno in loco præſtitit) anno MDCCLIX. *in Collegio Academico Tyrnavienſi perpolivit, Vir tradendis Theologicis diſciplinis occupatus. Hæc te monitum voluimus Benevole Lector; Vale.*

DECAS
SEXTA.

P. NICOLAUS DEL TECHO BELGA.
F. GONSALVUS JUSTE GALLECI⁹.
P. BERNARDINUS TOLO SARDUS.
F. SEBASTIAN. DISCRETI ITALUS.
P. CHRISTOPHORUS GOMEZ HISP.
P. JOANNES ANTONIUS SOLINAS SARDUS.
P. MICHAEL ANGELUS SERRA.
P. ANTONIUS FIDELI CALABER.
P. JOANNES BAPTIST. NEUMAN AUSTRIACUS.
P. SIMON DE LEON HISPANUS.

P. NICOLAUS DEL TECHO INSULANUS BELGA.

CAPUT PRIMUM.

Natales ejus, ſtudia, navigatio in Americam, & labores Apoſtolici apud Gvaranios.

Liceat mihi, immutato paululum ordine, quem deinceps in enarrandis actis Virorum illuſtrium Paraquaricæ provinciæ ſequar, primo omnium loco dicere res geſtas Patris Nicolai del Techo, eo etiam nomine de iſta provincia præclare meriti, quod ſat felici calamo Hiſtoriam ejus complexus fuerit, & ſubinde continenti narratione illuſtriores Viros ejusdem provinciæ, ad poſteros transmiſerit. Dignus ſane, qui quam tot præclaris Heroibus æternitatem donavit ſua in Hiſtoria, eandem primo loco a nobis referat. Natus eſt ille Inſulis in Belgio, anno milleſimo ſexcenteſimo undecimo. Literis

probe imbutus, ad Societatem noſtram animum adjecit Adoleſcens undeviginti annorum. Poſt traditas juventuti Belgicæ politiores diſciplinas, Americanas expeditiones ambire cœpit, ac bona Superiorum venia obtinuit. Illud naviganti ad lucra animarum, inſolitum accidit, quod ſeptem omnino menſibus in Braſilia pacatius mare & cœlum operiri debuerit, ubi ſumma charitate Luſitanæ Societatis habitus, diuturna expectatione ſuam Paraquariæ addictam fidem probavit. Decurſo in Paraquaria Theologiæ curriculo, ea ſolidæ virtutis atque ſcientiæ ſpecimina dedit, ut ſuo tempore, videlicet nono & quadrageſimo anno ejusdem ſeculi, DEO ac Societati per quatuor Profeſſorum vota arctius adſtringeretur. Pro inſtituti noſtri ratione tertium probatus, in ſalutem animarum mirum quantum æſtuans, ad ampliſſimam Gvaraniæ, ſive Gvairaniæ, meſſem magna alacritate diſcedit.

Ut primum deſignatam ſtationem attigit, perdiſcendo Gvaranicæ gentis idiomati ſe totum dedit, & perbrevi tempore non mediocrem illius notitiam nactus, cœpit Apoſtolicæ vitæ tyrocinium ponere, inter grandia illa nomina Romeros, Mazetas, & Cataldinos, quorum pulcherrimis exemplis tanto ardore incendebatur, ut poſthabitis præſentiſſimis vitæ periculis, non dubitarit adire barbaros omnis humanitatis expertes, ſolicitaturus eorum animos ad ſinceram Religionem. Sitim, famem, aliaque vitæ incommoda, quæ in hujusmodi procurſionibus cumulate occurrere ſolent, usque adeo forti animo toleravit, ut veterani Chriſti pugiles mirarentur recens adlectum militem, atque in hoc feraciſſimo laborum campo cohibendum magis, quam incitandum putarent. Inter has quotidianas exercitationes corporis, animique, primos e vicenis, quos apud Gvaranicam nationem exegit, annos traduxit, quoad mitigatis utcunque barbaris, ac rebus pacatioribus, Neophytorum oppidis juſſus præeſſe, ſuaviorem tantiſper vitam vivere poſſet. Verum & hic inflammatus Viri ardor, contineri ſe minime patiebatur. Namque in frequentibus oppidis ita dimoratus eſt, ut Neophytorum ruditatem abſtergere indefeſſus curarit; eorundem mores non ad Chriſtianos modo, ſed & civiles leges formarit. Egit pro viribus, ut habitarent commodius, cœnarent lautius, veſtirenturque decentius. Ægrotorum gregi, cum in corporum, tum animorum moleſtiis depellendis tanta cura aderat, in eo ut Patrem, Doctorem, Magiſtrum miſeri Indi haberent. Horum minime ignari, geſtiebant ſe totos illius gubernio ſubjicere, omnemque nutum optimi Paſtoris obſervare. Oppidanorum animis, atque amoribus ſibi devinctis, in dies majori contentione ſatagebat omnium utilitati proſpicere, id unum a cœlo flagitans, laboribus iſtis uti immori liceret, & ſiquidem Religionis cauſa non licuiſſet ſanguinem fundere, dum inter præferoces barbaros in ſilvis verſabatur, indulgerent boni Superi, ut reliquos vitæ dies curandis Neophytorum animis, ac corporibus conſecrare poſſit.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Noſtros gubernare jubetur; redux ad Gvaranios moritur; ejus virtutes.

HUnc in modum dum ſtrenuus ſaluti animarum deſudat, Superiores hominem hortati ſunt; calamum commodaret illuſtrandæ provinciæ Paraquaricæ, resque illius ſeu proſpero, ſeu adverſo eventu ſuſceptas, ab oblivione hominum, ac tenebris vindicaret. Præſtitit id cumulatiſſime Vir avidus laborum, nihil remittens de ardore ferventiſſimi animarum curatoris, quamvis eodem tempore Superiorem ageret illius regionis ſacrarum expeditionum. Rexit poſtea Collegium Aſſumptionis magna ſui, Sociorumque commendatione apud Paraquarios; quod munus quam arduum ſit, quibusve difficultatibus eo in loco obſeptum, norunt ii, qui gentis illius mores, ac nobiſcum agendi normam perſpectam habent. Subinde noſtros Tyrones, dein Sacerdotes in tertia probatione inſtituit, & communicato bono illo, quo ipſe ardebat, igne, velut novis accenſos flammis, e ſanctiore ſchola ad inflammanda barbarorum pectora emiſit. Iſthæc munia luculentum præbent teſtimonium, quanti ipſum Societas fecerit. Habeo præ manibus complures Patrum Generalium Præpoſitorum literas ad eum datas, quibus teſtatum faciunt, quam ex vero P. Nicolai virtutes generatim æſtimarint; ut non abs re præclaris illis Heroibus, quos Belgica Societas Paraquariæ conceſſit, hunc lubentes accenſeamus. Exactis aliquot annis variis in muneribus, inſignis P. Nicolai animi demiſſio, ardensque Indorum ſalutis amor veterem arenam quæſivit, ac facta poteſtate a Superioribus, annis atque meritis gravis, ad ſuos Gvaranios, quos in oculis juxta ac animo ferre geſtiebat, reditum feſtinavit.

Delatus ad Gvaranios, quorum non paucos ipſe Chriſto genuerat, novas vires corporis, animique accepiſſe videri potuit, dum in oppido S. Nicolai ſeptuaginta annos natus, obfirmato ad omne tædium animo, quinas illas Decades illuſtrium Virorum Paraquariæ meliorem in ordinem redegit, & pro modulo ſuo perpolivit; quas vel ex eo permagni feceris, quod ſint partus Apoſtolici Viri ſpectatæ virtutis, multorumque ſtipendiorum in ſacris expeditionibus. Hic, utut viribus fatiſcens, nunquam, quoad potuit, a miniſteriis noſtræ Societatis ceſſavit, ut adeo iisdem, quibus innutritus erat laboribus, pervicaci conatu immori voluerit. Tantum intereſt a prima juventute Apoſtolicis curis aſſueviſſe, earumque dulcedinem deguſtaſſe, ut nec ultimum ætatis tempus, nec morborum examina, ab iis avellere queant. Ita laborantem bonum Senecionem morbi primum ex ordine ſuccedentes, deinde mors ipſa oppreſſit. Omnibus Sacramentis præmunitum in Fratrum & Neophytorum corona, die vigeſimo Auguſti, anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo quinto.

In uno eodemque Viro provincia Paraquarica jacturam fecit *Miſſionarii* primis Heroibus in campo Apoſtolico exercitatis accenſendi; Hiſtorici in ea barbarie, Europæis non multo inferioris; Arbitri conſcientiæ peritiſſimi; Superioris omnibus numeris abſoluti; & quod caput rei, Viri Religioſiſſimi, cui diuturna commoratio inter infideles ac Neophytos, ademerit nihil delicatiorum illorum virtutis apicum, quos perſpicax Tyronum ſimplicitas deſiderare potuiſſet. Quod ſi virtutem ad omnes apices exactam ardori illi Apoſtolico conjunctam (qui eum totum, quantus quantus fuit, per omnem vitam exercuit) juſto calculo ponderaverimus, non dubitabimus affirmare, fuiſſe ipſam omni ex parte conſummatam. Ne ſingulas commemorare liceat, invida temporum injuria fecit, quæ ſingularem ipſarum notitiam nobis eripuit. Quanquam iſtud magna ſui parte etiam debeamus eximiæ P. Nicolai animi modeſtiæ, qui ſoli DEO cognitus vivere ſtudens, pro viribus curavit, ut nequid virtutum ſuarum ad poſteros tranſmitti liceret.

F. GONSALVUS JUSTE GALLECIUS.

FRater Gonſalvus Juſte e patria ſua in Americam tranſmittens, annis pluribus Regia ſtipendia miles, in Chilenſi regno meruit, nihil militis (ut meminit P. Nicolaus del Techo in ſua hiſtoria) præferens, præter veſtes, arma, ac ſpiritus generoſos; cætera Viro Religioſo ſimillimus. Jam tum quantum per leges, & munia militiæ licebat, ſacris addictiſſimus, ſermones de rebus Divinis prona aure excipiebat, paneque Euchariſtico reficiebatur ſæpius. Quadrageſimo circiter ætatis anno, e militia Regia in ſacratiorem Societatis noſtræ tranſcriptus, reliquos vicenos ætatis annos, muneribus Marthæ occupatus ſumma cum laude traduxit. Veſte & calceis ad ſui deſpicientiam utebatur attritis, maleque ut plurimum ſartis. Non menſam, non ſedile, non lectum, quo feſſa membra recreare poſſet, in Societate habuit; ſuper temere jacentia ligna, aut ſaxa aperto ſub cœlo breviſſimum ſomnum capiebat. Nunquam permoveri potuit, Sociis in triclinio ut aſſideret. Ciborum reliquiis ſtans, viliſſimi inſtar mancipii, ſemet reficiebat. Ruri degens (degebat vero non interrupta ſerie annos complures) quamvis corpore diuturna foſſione laſſus, præter panem ſecundarium, & poma, edebat nihil.

Sed quod fidem prope excedit, illud memoratur: per octo & decem continuos annos omni potu abſtinuit, adeo conſtanti propoſito, ut ne quidem ardentiſſimo ſole ruralibus immerſus laboribus, per tot annorum decurſum, guttulam aquæ, aut alterius liquoris unquam deguſtarit; immo nec in ægritudine levamen iſthoc unquam admiſerit. Adde: quod neque jus ſorberet decoctum, contentus melonum, pomorumque cortices rodere, ac in ſuccum convertere. In caſtigando corpore fuit admodum rigidus. Inveterato ulceri ad formam carcinomatis renaſcenti, non aliud remedium adhibere ſolebat, quam ferrum, illudque ignitum. Ubi vero ulcus virus ſuum latius funderet, atque eminens coſta putredine correpta ultimam perniciem minaretur, veluti ea ad ſe minime pertineret, rudiſſimo mancipio ferro reſecandam præbuit; peractaque fuiſſet cœpta carnificina, ni forte unus Sociorum in tempore accurrens, certum vitæ periculum avertiſſet.

Quidquid a corporis exercitatione nanciſcebatur otii, exorando DEO, vel piorum lectioni librorum genibus nixus impendebat. Aliquando cœleſtis gloriæ ſpecies eidem objecta erat, cum inexplicabili animi lætitia inde oborta, quod eodem tempore diſertam vocem perceperit: ſe eadem gloria æternum fruiturum. Conſcientiæ ſuæ Moderatori triduo ante, quam moreretur, ſancte affirmavit: ſe vigilantem, ſentientemque per plures dies Chriſtum, ejusque Sanctiſſimam Matrem, ſuismet oculis coram ſpectaſſe. Celebratur & illud omnium ſermone in provincia Paraquarica, noſtra quoque tempeſtate: incolas Collegii Saltæ, ejus precibus debere, quod ſe liberos videant a cimicum ea in urbe frequentiſſimorum infeſtatione. Neque hæc talia oſtenta, aut mira abludebant a Gonſalvi vita, puritate Angelica, candore & ſubmiſſione animi, charitate, ac cæteris virtutum ornamentis conſpicua; quam demum nono & trigeſimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum annum in Collegio Saltenſi finivit, ibidemque virtutum ſuarum ſuaviſſimum odorem, perennemque memoriam reliquit. A P. Euſebio Nirembergio illuſtres inter Heroes noſtræ Societatis poni, atque a P. Nicolao del Techo ſua in hiſtoria paucis, at gravibus verbis dilaudari meruit; horum veſtigia ſecutus, eundem inter præcipua provinciæ Paraquaricæ decora locavi.

P. BERNARDINUS TOLO
SARDUS CALARITANUS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus natales, ingreſſus in Societatem, navigatio ad Indos, ac inter hos Apoſtolici labores.

PAter Bernardinus Tolo natus anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo nono, ſubinde noſtræ Societati feliciori ſorte renatus ad annum milleſimum ſexcenteſimum duodecimum, evoluto Tyrocinii biennio, in Algeritano & Calaritano Collegiis humaniores literas triennio tam feliciter diſcipulis tradidit, ut bonis literis pietatem non minori ſolatio parentum, quam Magiſtri commendatione ſociarent. Decurſo fere Theologiæ ſtadio, ſecundo rumore accepit: e provincia Paraquariæ P. Franciſcum Vasquez Truxillo Procuratorem in Europam adveniſſe, ad procurandam gentis Gvaranicæ ſalutem Socios in Americam deportaturum. Continuo Bernardinus egit literis apud Adm. R. P. Noſtrum Mutium Vitelleſcum, ut tandem bona ejus venia liceret ſibi adire Indos, quorum commodo ſe totum quantum a principio Religioſæ vitæ addixiſſet. Conſtans ac incenſus ardor ſalutis alienæ, facilem ei viam aperuit in transmarinas provincias; juſſusque petere Ulyſſiponem, ibidem cum duobus & viginti Sociis onerariam conſcendit menſe Januario anni MDCXXII. ac ventis marique faventibus duorum duntaxat menſium ſpatio, portum Boni aeris intravit, ipſa luce Divo Gregorio ſacra.

Præſes provinciæ P. Petrus Onnate, ſumma charitate omnes complexus, data viribus inſtaurandis neceſſaria quiete, non poſt multo Bernardinum ad Gvaranicas expeditiones P. Ruizium de Montoya comitari juſſit; ſcriptis ad Superiorem Gvaranicarum Miſſionum literis, quibus præclaras de novo Apoſtolo ſpes conceptas explicat: *Gratos*, inquit, *nos eſſe oportet Divinæ Majeſtati ob lectiſſimum Sociorum manipulum, quem DEI providentia nobis ex Hiſpania ſuppetias miſit. Sacerdotes opinione mea pauciores, videlicet ſex, in campum plurimam meſſem oſtentantem advenere. Ex his, poſcentibus ita rebus, unum duntaxat ad haſce Miſſiones deſtinare licuit*

ſicuit Patrem Bernardinum Tolo; ſed quem ego egregiis ſuis dotibus plurium operariorum inopiam ſuppleturum ſpero. Certe ardor ille, quo æſtuat, barbaris regionibus inferendi lucem Evangelicam; ipſo in vultu emicat, ubertimque produnt verba, animi indicia, quam opima animarum ſpolia orco erepturus ſit. Accipe eum ut viſcera mea in JEſu Chriſto. Manum porrige mi Pater novello operario in vinea Domini, locumque opportunum præbe ad condiſcendam Indorum linguam, ac curam perdiligentem illius agas velim; ominor enim non ex vano, Calaritanum iſtum ad diſſipandas errorum tenebras natum, factumve.

Nec ſpem feſellit Præſidis futura præſagientis Bernardinus. Namque adverſo flumine Urugvay, poſteaquam in Itapuanum oppidum pervenit, addiſcendæ linguæ Gvaranicæ incubuit apud Petrum Romerum, qui eodem tempore ſemet comparabat ad emolliendos Jannorum populos, conditurus, uti animo præcipiebat, novam Neophytorum coloniam. Iſtud boni omnes in votis habuere, tum quod ingens multitudo barbarorum ad fluvium Janna conſideret, tum quod ſpes certa affulgeret, per circumfuſas regiones Chriſtianum nomen dilatandi, ſi apud Jannos ſtabilem ſedem figerent Miſſionarii. P. Romerus, ut diximus, huc oculos, animumque adjecit. Ergo impetu calente P. Didacus Boroa, comite Romero vadum tentaturus ad Jannos proficiſcitur; interim Bernardinus Itapuæ juſſus ſubſiſtere, annuis S. Parentis noſtri exercitiis animum præparat ad fortia agenda, geſtiens barbarorum ſaluti ad extremum vitæ diem deſudare. Nec procul occaſio deerat. Late dominante peſtilentia, Itapuani quoque huic malo ſuccubuerunt, & Bernardino noſtro ſat amplam materiam agendi, patiendique ſuppeditarunt. Prima ei cura fuit inopum & afflictorum; hos verbis ſolabatur, alimentis fovebat. Multos a ſuperſtitione revocavit, multos Chriſtiano cultu ablutos feliciorem ad vitam transmiſit. Rem memoratu dignam iis diebus egit mulier catechumena. Hæc, neſcio qua de cauſa, Itapua clam diſceſſerat ad ſuos, a Chriſtianis ſacris multum alienos. Peſtifera lue correpta, ne ſalutis æternæ jacturam faceret nondum proluta baptismate, qua precibus, qua lacrymis a crudo marito impetravit, ut ſe ex præalto monte ad ripam Paranæ deferret. Iſthic repertum lacerum navigii genus conſcendit, ac infirmis viribus ſecundo Parana navigans, aſſiduos inter imbres prope frigore & fame enecta, confectis quindecim leucis Itapuam, portum ſalutis, tenuit. P. Bernardinus ad ægram vix ſpiritum ducentem illico advolat, probeque jam antea inſtructam ſacro latice tingit, & cœlo tranſcribit.

Exacto inter Itapuanos menſe uno, a Superiore mandatum accipit, ut P. Romerum ſequeretur apud Jannos commorantem. Reperit hic Bernardinus uberrimam ſegetem patiendi, ſtudiumque Apoſtolicum exercendi. Habitarunt ambo in una, eademque male compacta caſula; cibis veſcebantur, quos miſeræ gentis extrema pauperies ſubminiſtrare potuit;

tuit ; aer ipſe inſalubris, perennibus, iisque denſiſſimis nebulis gravis. Perſeverandum tamen erat in ſtatione tot malorum feraci, quod barbari ægerrime ſe patiantur avelli a patrio ſolo quantumvis infelici. Sed cuncta incommoda alacres exhauſere Patres, uni animarum lucro intenti. Excutiebant identidem vaſtiſſima nemora, regionem omnem late diffuſam percurſabant, ad cultum civilem, Chriſtianos mores fera barbarorum pectora flectere omni arte nitebantur. Tantis laboribus par correſpondit fructus, cicuratiſque Jannorum animis, facilior evaſit vicinarum nationum cultura. Tentaverat non ſemel P. Boroa facem Evangelicam proferre ad fluvium Igvazu appellatum; verum irrito ſemper conatu, quod barbari illius provinciæ protegerentur fluminis Paranæ præcipitio, alto circiter decem orgias, & ſuperiora loca undique obſtructa tenerent, ac inſuper capitali odio ab Hiſpanis diſſiderent, quorum corpora in funeſtum feralemque cibum patrio more vertere conſueverunt. Evenit interim ut duo Igvaziani Caſiquii tempeſtate abrepti, Jannæum portum intrare compellerentur. Omnibus amoris ac benevolentiæ officiis a Patribus culti, ſuis ſubinde redditi, non ceſſabant Patrum beneficentiam dilaudare, tantumque potuere apud populares ſuos, ut conjurationem de opprimendis Septemfluentinis Hiſpanis, & Sociis conflatam extinxerint, atque Patri Boroa viam patefecerint ad jaciendam ſementem Evangelicam in agro tot difficultatibus circumſepto.

Laborante Boroa apud Igvazianos, P. Bernardinus corpore alioqui non ſatis firmo, tot incommodis, quibuſcum ea in ſtatione colluctandum erat, impar, in morbum incidit, ac tandem omnem oculorum uſum amiſit. Ad oppidum Itapuanum, ſalubrioris cœli cauſa revectus, Socios perinde atque Neophytos, quorum animos ſibi penitus devinxerat, alto mœrore defixos reliquit. Pertinax malum cum quatuor menſibus apud Itapuanos omnem vim medentium eluderet, Superiorum voluntate ſe contulit ad Collegium urbis Aſſumptionis, totius provinciæ Paraquariæ Metropolis.

CAPUT SECUNDUM.

Cœcus exercet munia Operarii ; exulat ; redditus Collegio Aſſumptionis Apoſtolico muneri inſiſtit.

IN Collegio Aſſumptionis præſtantiſſimi Medici omnem induſtriam, artemque exprompſere, quo homini Chriſtianæ Reip. iis in terris perutili, oculorum uſum redderent ; at fruſtra. Maluit nimirum Divinum Numen P. Bernardinum utroque captum lumine, diuturnam vitam vivere, ut illuſtratus interno illo cœleſti lumine, in ſacro tribunali pœnitentium morbos pertinaciſſimos curaret, ſceleribus innutritos a vitiis abſtraheret, ad amorem virtutis excitaret,

taret, plurimorum denique ſalutem in tuto collocaret. In Divina providentia penitus acquieſcens, tulit cœcitatis malum non conſtanti modo, verum etiam hilari animo, ſeque totum moderandis pœnitentium conſcientiis, ac concionibus e ſuperiori loco habendis dedit. Utroque munere functus eſt ſtrenuiſſime in Aſſumptionis urbe, & circumſitis locis, annis tribus & quadraginta, ſi novenos excipias menſes, quos apud Septemfluentinos exul agebat. Meditata ſua oratione dominabatur in animos auditorum, & quosque juris ſui tenaciſſimos, in ſuam flectebat ſententiam. Cum Patre Antonio Moranta (Sobrino Patris Hieronymi Natalis, notæ virtutis in Societate Viri, & fratre germano Patris Hieronymi Moranta apud Tepeguanes in Mexico pro Chriſti nomine barbarum in modum trucidati) ultra limites urbis Aſſumptionis progreſſus, incenſis ſuis dictionibus rem Chriſtianam, mirum! quantum provexerit. Redux in urbem malo peſtifero afflatam, orabat majorem in modum Superiores, ut ſibi liceret cum ſenis operariis, qui ſe civium ſaluti devoverunt, eandem arenam ingredi, atque a familiaribus etiam & neceſſariis deſertos, pro viribus adjuvare. Dici non poteſt quanta alacritate Bernardinus in publicis noſocomiis, privatorum domibus, ubi peſſimo icti ulcere, rerum prope omnium inopes jacebant, verſatus ſit; quanta conſtantia mortem ubique in inſidiis poſitam contempſerit; in id potiſſimum intentus, confitentes ægros ſuorum ſordibus ſcelerum ut expiaret, quos ſubinde Socii cœleſti epulo reficerent. Verbo: tanta charitate omne genus hominum in ea publica calamitate complexus eſt Bernardinus cum ſenis illis Heroibus, ut vel hoſtes infenſiſſimi Societatis noſtræ palam confiterentur: Cives Aſſumptionis noſtrorum obſequia nunquam poſſe ſat dignis encomiis celebrare. Certe Petrus de Lugo & Navarra ſpectatæ virtutis Eques S. Jacobi, dicere auditus eſt in corona Nobilium: *Haud equidem, mirabor deinceps, cur iſthæc Respub. tantopere averſetur Viros Societatis, cum iſti præprimis in his regionibus e faucibus orci animas eripiant. Felicem ſane dixero meum in Paraquariam adventum vel ea de cauſa, quod licuerit coram inſpicere, quanto cum lucro animarum iſthic verſentur JEſu Socii!* Inſequentibus annis non minus fertilis meſſis obtigit Bernardino. Mamaluci, infeſtum genus prædonum miſeris Indis, ingenti multitudine e Braſilia erumpentes, alienas terras ferro & igne vaſtaverant, Indosque metu repentinæ invaſionis perterritos in Aſſumptionis urbem, veluti fidam ſtationem, compulerant. Bernardinus cum non ignoraret complures eorum, nondum Religionis Chriſtianæ myſteriis initiatos, illico ſe Evangelico operi accingit, corrogata per urbem ſtipe deſertos, ac ſumma conflictantes inopia adjuvat, ſibique devincire ſtudet: dein oſtenſa beatioris vitæ via, prima Religionis noſtræ principia ſedulus explanat, iisque rite imbutos non ſine apparatu & pompa baptismo admovet. Hic tantus amor, quo ferebatur erga miſerrimos mortalium, ingentem invidiam, odiumque conflavit Viro Apoſtolico apud quosdam civium, qui an-

xia atque ſordida cupiditate ſuum peculium augere contendentes, Indos in ſervitutem redactos, domi ſuæ ceu carcere clauſos detinuere; idque omni ſolicitudine præcavere, ut ne Bernardini opera in libertatem filiorum DEI aſſerti dilaberentur. Sed perrupit obſtacula Operarii ardor: multos e manibus avariſſimorum hominum ereptos in portum ſalutis adduxit; aliqui tamen latebris occultati ſeu mœrore animi, ſeu rerum inopia conſumpti, citra beneficium baptiſmi diem ſuum obiverunt.

Gravis ſubinde tempeſtas in P. Bernardinum, cæteroſque Socios Collegii Aſſumptionis coorta eſt. Superioribus annis Prætor provinciæ Paraquariæ, & Indorum, ut vocant, Protector, in Neophytos parum benevoli, eorum jura imminutum ibant, & quod conſequi neceſſe erat, barbaros a ſuſcipienda Chriſtiana Religione avertebant, non ſine inſigni detrimento Fidei, & dedecore nominis Hiſpani. Dolebat bonis omnibus, ſed potiſſimum Patribus Societatis, quod rei Chriſtianæ maligne admodum pro ſua parte conſulerent ii, quorum auctoritate & munificentia inprimis ſuſtentari deberet. Communicato inter ſe conſilio decernunt: cauſam periclitantis Religionis defendendam eſſe: Prætorem provinciæ, ac Protectorem nationis Indicæ quam leniſſimis verbis officii admonendos: jura Neophytorum tot Regum diplomatis firmata, Majeſtatis Regiæ, Divini judicii ultionem utrique proponendam. Nihil his terroribus a Patribus relatum, præter quotidianas injurias & vexationes. Annis quatuor cum Neophyti, tum Patres a ſummis, infimiſque exagitabantur. Tandem Protector, præcipuum inſtrumentum tam fœdæ tempeſtatis, periculoſo morbo correptus, eam utcunque ſedavit. Etenim invaleſcente vi mali, ut ſenſerat ſe haud procul a limine æternatis abeſſe, conſulturus animæ ſuæ, Patrem Bernardinum arceſſit. Negat iſte ſe ægrum aditurum ante, quam coram idoneis teſtibus profiteretur: ſe inpoſterum Neophytorum jura pro ratione muneris ſui tuiturum; ſimulque ſponderet: detrimenta rei Chriſtianæ per vexationes Neophytorum illata, quoquo modo ſe reſarturum. Penitus fractus hac Religioſa libertate, nihil ultra cunctatus, Curionem loci advocat, ac in præſentia illuſtrium Virorum poſtulatis Bernardini, Chriſtiano prorſus animo ſatisfacit; a quo extremis myſteriis procuratus magno pietatis ſenſu e vivis exceſſit.

Nondum plene ſopita hac tempeſtate, multo acerbior concitata fuit in eoſdem Socios Collegii Aſſumptionis. Eccleſiaſticus perinde ac profanus Magiſtratus ferre non potuit invictam illam in propugnandis Neophytorum juribus Patrum conſtantiam; cumque in dies ex hac feraciſſima litium materia aliæ, atque aliæ ſimultates enaſcerentur, eo demum proceſſum eſt, ut conſpiratis animis omnes omnino incolæ Collegii in exilium ejicerentur. Exceſſere e Collegio & urbe inter effuſos æmulorum plauſus; lintribuſque impoſiti ſecundo flumine ad Septemfluentinam civitatem defluxere. P. Bernandinus, meliore fortuna dignus, in hac demigratione multa perpetiebatur. Cum etenim cœcus, anniſque provectus, tardius

moli-

moliretur greſſum, & abitum maturantium vota lentiore paſſu moraretur, non molliter pulſatus feſtinare jubebatur. Tulit iſthæc bonus Senecio heroa patientia, atque ad repetitos ictus illud identidem inclamavit: *Pulſate, pulſate cœcum! equidem duriora promeritum non eſt cur dubitetis.*

Exules in diverſa Paraquariæ oppida dilapſi, more, inſtitutoque ſuo ad evellendam barbarorum animis ſuperſtitionem operam continuarunt. Patrem Bernardinum, & Patrem Boroa Emmanuel Cabral de Alpoin Luſitanus, nobili & copioſa domo natus, ſuo in prædio ad urbem Septemfluentinam ſito, perbenigne excepit, lauteque habuit. Ex hac ſtatione Bernardinus ſuo cum Socio, porrectis in pagos & oppida curis, iterum & ſæpiſſime excurrit. Sed apud Septemfluentinos frequentior viſus, quos crebris ſermonibus ad mores Chriſtiano homine dignos excitavit, nutantes in Fide & ruinam minitantes erexit, innocuam juventutem primis rudimentis Fidei informavit. His talibus miniſteriis tantopere ſibi animos civium conciliarunt; ut certatim Societatis homines ſuam in urbem expeterent, ſtabileque domicilium offerrent. Sic placuit Divinæ providentiæ Societatem veteri ſede expulſam, nova ditare apud humaniſſimos Septemfluentinos. Verum vix novem decurſis menſibus, veterem quoque ſtationem Socii repetiere.

Namque Prorex Peruviæ, & Senatus Regius Platenſis, cognita Patrum innocentia, non ſuas, ſed boni publici rationes ſecutus, Societatem in Collegium Aſſumptionis, ac in omnia ſua jura, non vulgari bonorum gratulatione reduxit. Multa rurſum incommoda Patribus exhaurienda erant in evaſtata, direptaque domo. P. Bernardinus immemor injuriarum, a priſca ſua conſuetudine nihil remiſit, *omnibus omnia factus in urbe.* Publicis dictionibus, quibus ſacer Orator vitia perſtrinxit, amorem virtutis accendit, etſi multum occuparetur, tamen nobiliores Viros alios, atque alios S. Parentis noſtri Ignatii commentationibus excoluit, continuato per octo menſes ſaluberrimo labore. Cupiebat hoc ipſum beneficium præſtare prædiviti civi, qui inopiam domus noſtræ tum annona, tum ære opportune ſublevavit. At ſolitudo octo dierum, hominem negotioſum perterruit, nullisque rationibus adduci potuit a Bernardino, ut victas porrigeret manus. In prædio ſuo diverſatus, morbo repentino opprimitur. Huc advolans Bernardinus facile perſuadet, urbem ut repetat, &, ſi Superis placet, recuperata valetudine in ſacram ſolitudinem ſe abdat. Morbus veluti inducias pactus, tantum temporis ægro conceſſit, ut potuerit ſumma tranquillitate mentis, in Collegio noſtro pias exercitationes obire, animæque rationes componere; ſed induciarum tempore jam exeunte, priſtinam vim majori æſtu exeruit morbus. Interim rumor diditur per civitatem: malis artibus Bernardini, ægrum vix mentis compotem inductum, Societatem ultimis tabulis ut hæredem ſcriberet ampliſſimarum fortunarum: legitimos hæredes ſuo jure dejectos

eſſe per inſatiabilem Jeſuitarum cupiditatem accumulandi divitias. Factum bene! quod & tabulæ teſtarentur aliud, & ipſe æger putidam fabellam cum inſigni exiſtimatione Societatis refelleret, palam confeſſus: *ſe quidem apud animum ſuum ſtatuiſſe, non minimam partem ſuarum opum in Collegium Aſſumptionis ultima voluntate transferre: verum conſcientiæ ſuæ moderatorem* (P. Bernardinum innuebat) *fortiter repugnaſſe.* Addidit: *ea præciſe conſilia ſibi ab eodem data, quæ ad morum, vitæque melioris emendationem plurimum adferre poſſent.* Hoc amici, bonique Chriſtiani officio poſtremum functus, præſente Bernardino animam Creatori ſuo reddidit.

Sed unius urbis anguſtiis Viri Apoſtolici ardor contineri haud potuit. Veſtigia ſui ductoris ſecutus, fere ſeptuagenarius barbarorum tuguria per montes & ſilvas, (ut fieri ſolet apud gentem Indicam) ſine lege poſita, Evangelii gratia adiit. Difficile dictu eſt, quam gravia, quam acerba in vaſta ſolitudine pertulerit, lubrica plerumque via incerto ac fallente veſtigio non ſemel prolapſus. Tanta fatigia non ſivit DEI benignitas ſine uberrimo fructu. Multi ab avita ſuperſtitione, vaga libidine revocati, ſuam ſalutem Bernardino debent. Hunc in modum dum dies, noctesque barbarorum ſaluti cœcus deſudat, ſenſerat ſe vi occulta impelli ad accelerandum gradum. Obſecutus haud dubie monenti Numini, iter decem dierum, quinis conficit. Pretium feſtinationis Indus decrepitus erat, qui ad extrema deductus cum morte luctabatur. Hunc Chriſtianis myſteriis jam antea inſtructum, enarrantem ſinceras inter lacrymas ſuperioris vitæ crimina audit, ac rite comparatum ad felicem, ut ſpes eſt, æternitatem transmittit.

Caput Tertium.

Peſtiferis rurſum inſervit; moritur; ejus virtutes.

Has occupationes barbaris impenſas, multo ampliores excepere. Lues epidemica iterum Aſſumptionis urbem depaſcebatur, & vulgatis morbis vicina etiam oppida vim mali ſenſerunt. Cumulabantur inter promiſcuam plebem in dies funera, omniaque in urbe ſat ampla infeſta reddebantur. Bernardinus in hoc circo non ſemel verſatus, cum aliquot Sociis veterem arenam repetiit, ac renovato ad omnem laborem conatu in corporum ſimul, & animorum curationem totus incubuit. Accidit forte, ut e valetudinario redux ſolicitus quæreret: *num quis peſte afflatorum adeſſet, nondum ultimis Sacramentis procuratus?* negarunt viæ comites ullos ea in vicinia decumbere infirmos. At Bernardinus: *ipſo*, inquit, *odoratu percipio, haud procul quoſpiam miſerrime habere;* ſeque in anguſtam conjiciens viam, reperit familiam morbo proſtratam, omnique humano ſubſidio deſtitutam.

In-

Incredibili charitate omnes complexus, ſacra confeſſione expiatos ad feſtinatam mortem Chriſtiano ritu excipiendam comparat, tum quidquid ſupererat fomentorum ad vitam tolerandam, large ſuppeditat, ac lætus abſcedit.

Seu fractus laboribus in ſenili ætate, ſeu maligna aura afflatus, vires repente amiſit. Reliquos octo annos, quibus æger lecto plerumque affixus jacebat, excipiendis confeſſionibus conſtanter impendit. Tandem anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo ſexto, die ſecunda Octob. e tenebris ſui corporis ad ſempiternam illam lucem exceſſit, ætatis ſuæ ſeptimo & ſeptuageſimo; initæ Societatis quinquageſimo quarto; nuncupatorum quatuor ſolennium votorum ſeptimo & trigeſimo.

Juverit jam paucis Apoſtolici Viri veſtigia relegere, & præcipuas ejus virtutes memorare: Paupertatis usque adeo rigidus cuſtos erat, ut morientem, quo ſpoliaret mors, repererit nihil. Attritis veſtibus atque obſoletis per omnem vitam uſus, viliſſima ſibi dari orabat: facete dictitans: *cæcum haud poſſe de coloribus diſputare.* Mirus integritatis amor & ſtudium in eo perpetuo eluxit; non facile patiebatur a quoquam attrectari brachium, extincto etiam oculorum lumine, dum aliena ope vel maxime egeret. Cœcam obedientiam ipſe cœcus ſibi adeo familiarem & domeſticam fecit, ut ipſa mente ac voluntate Superiorum imperia probaret, nunquam in ea curioſius inquireret, ſed in iis plene acquieſcens, prompto alacrique animo feſtinaret exequi, quod jubebatur. Vehementer optaverat, ut ſibi ſtatis diebus rem Divinam ad aram facere liceret, votaque hæc ſua impenſius commendaverat Patri Joanni Paſtori, Romano Procuratori; ubi intellexit Superiores in Urbe non propitiis auribus hæc talia accepiſſe; illico deſtitit, ſuumque ardentiſſimum deſiderium, nullo deinceps indicio proditum, in ſuaviſſimam obedientiæ victimam promptus obtulit.

Aſſidua rerum cœleſtium contemplatione mentem paſcebat, firmabatque. Inde in corpus etiam, cæteroquin tenue, vires derivatæ, tot arduis expeditionibus Apoſtolicis pares; inde cœleſtia illa hauſta lumina, quibus partim e ſuperiore loco, partim in ſacro tribunali, privatis colloquiis, ac familiari convictu, patriæ ſuperſtitioni innutritis lucem veritatis accendit, opinionum portenta ac monſtra depulſis tenebris fugavit; Europæos inquilinos inveterata peccandi conſuetudine infames, ad ſanctioris vitæ amorem inflammavit. Sane quam multi (ne omnia hic diſſimulem) qui antea vel effræni cupiditate abrepti, vel pravis aliorum exemplis in transverſum acti, ſceleribus ſe immerſere, Patris Bernardini dictionibus reſipuerunt; multi, quam ſemel virtutum viam inivere, ejusdem ſaluberrimis conſiliis obfirmati, deſeruere nunquam. In æde principe urbis Aſſumptionis de integritate Sacramentalis confeſſionis, tanta vehementia ad confertam multitudinem verba fecit, ut pleroſque auditorum ad totius vitæ maculas confeſſione eluendas impulerit; quo viſo vir

 pri-

primariæ dignitatis candide profeſſus eſt: *una hac dictione P. Bernardinum ampliorem fructum retuliſſe, quam cæteros Oratores per decurſum totius anni.* Eadem in urbe duæ Virgines mediocris fortunæ, morum elegantia, oriſque venuſtate conſpicuæ, Patre Bernardino conſcientiæ moderatore utebantur. Pudicitiæ iſtarum inſidias ſtruxit, neſcio quis impurus leno. Aucto pudoris periculo, cum frequentior oppugnaret caſtiſſimas puellas, permoleſtum lenonem domeſtico famulitio adjutæ corripiunt, ac funibus conſtrictum peſſime mulctant, domoque cum ludibrio ejiciunt. Factum prorſus virile celebri rumore per univerſam urbem continuo volitabat, audiebanturque voces: *Cœci hominis conſilio, cœci cupidinis arcus fractos & triumphatos.* Addere placet Nobilem Matronam, e ſchola pariter & diſciplina P. Bernardini. Primas inter curas probiſſimæ vitæ mulier, Religionem habuit; hanc non modo apud familiam ſuam domeſticam, quam ſat numeroſam cenſuit, verbo & exemplo ſtabilire perrexit, verum etiam curis longius porrectis, oberrantibus Indis, aut in captivitatem redactis eandem inſtillare adlaboravit. Nihil patiebatur in filiis, in ſervitiis, quod caſtigatiſſimis moribus repugnaret. Domus ipſius, exactæ Chriſtianæ pietatis ſeminarium vocitabatur, & reapſe erat. Dies verni jejunii, aliosque lege Eccleſiaſtica ſtatutos, non minori animi voluptate, quam rigore tranſegit. Corpus jejunio fatigatum cilicio ſubegit; evenitque aliquando, ut cilicium acceptura, ſerpentem in ſpiras convolutum manu contrectaret innoxia. Amiſſo marito bonis omnibus per ſummam injuriam exuta, paupertatem æquo animo tulit. His, aliisque virtutibus illuſtre Americanarum Matronarum decus, Eccleſiam Paraquaricam ornavit Patre Bernardino duce & Magiſtro; cujus opera ad extremum usque vitæ ſpiritum uſa, inſignem ſanctimoniæ famam apud ſuos reliquit.

Eadem illa rerum Divinarum meditatione (de qua ſupra memini) animatus P. Bernardinus, res adverſas ſereno vultu, imperturbata mente excepit. Cœcitatis incommoda, veluti Divini erga ſe amoris luculenta indicia, a primis annis expeditionum ſacrarum, non ſolum pacato animo, ſed & jucundo, & hilari amplexus eſt; eodemque, quo cœperat, tenore ac alacritate in animarum lucrum incubuit, teſte P. Didaco Alfaro, qui ultimis annis Bernardini Rector hunc in modum ad Præſidem provinciæ ſcripſit: *præ cæteris excellit ardor P. Bernardini, qui tametſi cœcitate & ſenilibus morbis æger, indefeſſus in cathedra, & ſacro tribunali, ingenti cum admiratione domeſticorum, ac externorum ſalutem alienam procurat.* Minima obſequia ſive a domeſticis, ſive ab exteris ſibi præſtita in illa luminis cœcitate, multa verborum humanitate extulit, ſeque memorem fore in precibus ſpopondit. Injurias ſibi illatas facilis condonabat. Ludibria petulantis plebeculæ, procacium puerorum, forti ſtomacho concoxit, & tanquam auribus etiam captus eſſet, verborum aculeos neglexit.

Domi

Domi noſtræ avidiſſime adibat locum precibus dicatum, Euchariſtici Numinis ſtudio, eoque ſingulis diebus refici cupiebat. Sacellum pariter domeſticum B. Virginis ſine labe conceptæ frequens inviſebat; de hujus potenti patrocinio, & laudibus facundius lacrymis, atque verbis dicere conſuevit. Cœtus Mariani Præſes in Collegio Aſſumptionis, mirum! quantum auxerit in ſuis Sodalibus teneram pietatem erga hanc cœli, terræque Reginam. Admodum cautus erat in legendis Sodalibus, quosque Prætor provinciæ, noſtris hominibus graviter infenſus ob ſuſceptam Indorum tutelam, a Sodalitio abſtraxit, nervoſis adhortationibus magis, quam authoritate revocavit. S. Parentem Ignatium, S. Franciſcum Xaverium, SS. Angelos Tutelares impenſe coluit. Animabus in flammis purgantibus detentis, quot diebus quadam afflictatione corporis DEUM placare ſtuduit. Societatem matrem ſuam, ut animam ſibi dilectam, tuebatur & amabat; ejus inſtitutum, leges ſanctiſſimas magnificis verbis prædicabat.

Hujusmodi præſtantiſſimis virtutibus cum P. Bernardinus per omnem vitam Apoſtolicam fulgeret, ſummi, infimique tanquam ſalutis omnium Præſidem intuebantur, ac *Patris* & *Sancti* nomine compellabant. P. Chriſtophorus Grijalva Procurator ad Urbem, in narratione vexationis Paraquaricæ his coloribus eum expingit: *P. Bernardinus Tolo virtutis & ſanctimoniæ fama inclytus, ſemper in provincia ſua magni habitus, ardentiſſimus alienæ ſalutis curator, acerrimusque operarius, ac nobile, notumque Paraquariæ inſtrumentum prodigiorum Divinorum in emolliendis peccatoribus, quos cæcus mira dexteritate in viam ſalutis æternæ reduxit.* P. Andreas de Rada Viſitator provinciæ Paraquaricæ, felicem obitum Bernardini hiſce verbis ſignificavit Rectori Collegii Cordubenſis: *Reddita eſt mihi epiſtola de morte P. Bernardini Tolo, quam ſignificandam duxi veſtræ Paternitati. Viri ſanctimonia adeo nota eſt univerſæ, qua late patet, provinciæ, ut nobis perſuaſum habeamus, eum recta evolaſſe in cœlum; nec ambigimus, obviam proceſſiſſe examina illa beatarum animarum, quæ ſuam felicitatem poſt DEUM fervori ejus Apoſtolico debent.* Don Franciſcus Xaverius Xarque ſuprema Theologiæ laurea inſignitus, in vita P. Antonii Ruizii, illuſtriores quosdam Paraquarienſis provinciæ Viros commemorans hæc talia ſcribit de P. Bernardino: *Fuit eorum unus* (damus ipſa Authoris, vel Interpretis verba) *P. Bernardinus Tello* (errore lapſus, ſcribere debebat Tolo) *oriundus e Sardinia, qui e civitate Boni aeris via recta in comitiva P. Antonii Ruiz tetendit ad Reductiones; ubi laboravit notabili cum fervore, donec ex continuo labore cæcus redditus, coactus fuiſſet ſemet recipere in Collegium Paraquariæ. In quo ſingularem fecit fructum ex exedra dicens pro concione, & in tribunali pœnitentiæ, mirabiles ſceleſtiſſimorum peccatorum converſiones conſecutus, qui accedebant ad eum confidentius, & ſine verecundiæ pudore confitebantur delicta ſua, utpote quem cæcum noſſent. Sed vere lynx erat perſpicaciſſimus in rebus animarum,*

rum, novitque conducere via recta peccatores paſſionum ſuarum caligine cæcos ad portum ſuæ ſalutis, perituros certo, niſi eum ducem nacti fuiſſent. Hæc laudatus Xarque. Plura legere licet apud P. Antonium Machonium Procuratorem Romanum, qui Patris Bernardini Tolo res geſtas publici juris fecit.

F. SEBASTIANUS DISCRETI
ITALUS FLORENTINUS.

SEbaſtianus Diſcreti Romæ, præmonente Virgine DEIPARA, humilem in Societate Jesu Marthæ gradum amplexus, e provincia Romana in Paraquariam contendit; ubi quinquaginta annis inter quotidiana patientiæ, ſubmiſſionis animi exercitia & afflictationes corporis ultro quæſitas, laborioſa rei domeſticæ Coadjutorum munia ſolida cum laude obivit. Semper ſibi ſimilis, non lætis, non triſtibus commoveri viſus, ſemperque DEO conjunctus, ad ſummum abſolutiſſimæ perfectionis faſtigium perveniſſe creditur; id quod etiam peculiares cœli favores, quibus identidem perfruebatur Sebaſtianus, ſatis, ſuperque indicarunt. JESUM & MARIAM, pluresque Cœlites habere meruit Magiſtros, qui currentem in via Religioſæ perfectionis regebant, dum in matutinam orationem toto animo intentus, magnis cœleſtium rerum oſtentis paſceretur. Hæc ille pro imperio ſuorum Magiſtrorum in tabulas diurnas conjicere juſſus, occaſionem dedit Viris ſanctimonia juxta ac doctrina præſtantibus, ut dona adeo ſupra communem ordinem eminentia in dubium vocaverint, ſtatuerintque demum Sebaſtiani virtutem periclitari.

Verum ſimplex illud, conſtansque parendi ſtudium, ſive juberetur orationem abrumpere, ſive eam proſequi, omne dubium exemit; ipſique Superiores admonuerunt hominem, rariores illas gratias, quibus a benigniſſimo Numine cumularetur, ut accurate conſcribat, rerumque ſpiritualium Præfecto conſignet. Sed quo fato, multis paginis explicatæ, perierint, ignoro; ut propterea Lectori talium avido ſatisfacere non poſſim. Id ſolum didici e tabulariis provinciæ: Sebaſtianum noſtrum eventus futuros, qui ſua quidem intereſſent, cognoviſſe. Interim ipſe, quantumvis circumflueret his cœli favoribus, deliciiſque, iis attamen non multum tribuebat; ſuas facultates animi ac corporis eo potiſſimum contulit, ut inprimis omnem legum noſtrarum apicem impleat; animi modeſtia, patientia, ſui deſpicatione, precandi ſtudio, ſuique domandi

di ſolertia, ac charitate adverſus proximum pro conditione ſui gradus, ſe genuinum Divi Ignatii filium probet, quoad victima obedientiæ & charitatis caderet, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo nono. Tertium eadem nocte Sacerdotes noſtros, ad ægros comitatus, ſæviente immodice frigore morbum contraxit, quo paucis poſt diebus extinguitur in Collegio Boni aeris; cui præter excelſa heroicarum virtutum exempla, diuturnus incola illud beneficium reliquiſſe dicitur, quo ſe ad noſtra usque tempora immune videt a vexatione cimicum, malo toti civitati alias communi.

P. CHRISTOPHORUS GOMEZ

HISPANUS ARDALENSIS.

INter magnos & poſthuma memoria dignos Heroes, quos Paraquariæ ſuperiore ſeculo Europa dedit, locum ſibi vendicat P. Chriſtophorus Gomez, provinciæ Bæticæ illuſtre decus. Integerrimo morum candore Adoleſcens, in Societatem noſtram anno ſeculi ſuperioris vigeſimo nono, poſt indefeſſam literarum ſtudio navatam operam, anno ejusdem ſeculi tertio & vigeſimo, incitatus meliore igne ad extollendam altius DEI gloriam, in Paraquariam ſolvit. Præter opinionem ſuam tradere juſſus Cordubæ Philoſophiam, dein Theologiam, famam Doctoris ſolidiſſimi, juxta & clariſſimi, de utraque ſcientia optime meriti, ſub utroque ſole eſt conſecutus. Vir liberalioris indolis & natæ imperio, e pulpito translatus ad clavum, Tucumano & Cordubenſi Collegiis Rector præfuit, & univerſam provinciam Paraquaricam quadriennio gubernavit. De feliciore regiminis eventu, nemini ambigere licet. Summa moderatio animi, ſingularis prudentia, ingenium quibusvis difficultatibus evolvendis par, plana omnia & expedita reddiderunt. Subditi, quos DEI filios vocitare amabat, capti ſuaviſſimo regimine, ſemet ad omnem nutum optimi Superioris fingebant; geſtientes videlicet morem gerere Patri ſuorum amanti, ſolicito, mente ac verbis candido, & judicio imperanti.

Cum obiret provinciam, aut Collegia regeret, ut licuit per negotiorum molem, puerili ætati capita doctrinæ Chriſtianæ explicuit; nonnunquam etiam ad grandiores natu non in ſacris modo ædibus, verum in areis, triviisque pro locorum opportunitate dictiones habuit, & fa-

cundi Oratoris nomen abſtulit. Cura regiminis ſolutus; memor cujus gratia, deſertis patriis laribus, æſtu, frigore, fame, ſiti, rerum fere omnium egeſtate laborans, per vaſtiſſimum mare ſyrtibus, ac naufragiis infame Americam petiiſſet, novo veluti conatu barbarorum ſalutem procurandam ſuſcepit; omnem in partem pervigil, ne dilaberetur occaſio jaciendi ſementem Evangelicam in immenſo illo Paraquarienſi agro. Reliquum, quod ſupererat temporis, piis, doctisque lucubrationibus impendit. Scripſit complura opera Latino & Hiſpano idiomate. Latino quidem: *Elogia Societatis Jeſu* Antverpiæ apud Jacobum Meurſium typis edita anno MDCLXXVII. *Expoſitionem brevem in Cantica Canticorum. MARIAM figuratam, Jeſuitico tantum calamo illuſtratam. Bullam canonizationis S. P. N. Ignatii* eleganti panegyri exornatam. Hiſpano: *Cœlum ſtellatum Societatis Jeſu*, in quinque Tomos diviſum. *Hæreſim Jeſuitico gladio jugulatam. Conceptus Prædicabiles* duas in partes digeſtos. Hæc, ſi demas laudata Elogia Societatis Jeſu, nondum publicam lucem videre; ſervanturque fideli cuſtodia adverſus tineas & blattas in tabulario Collegii Cordubenſis.

Præter acerrimi ſui ingenii monumenta, pulcherrimarum virtutum memoriam, quibus venerationem, amoremque apud domeſticos & externos conſecutus erat, in animis poſterorum reliquit. Modeſtia, quam Latini ſubmiſſionem, Religioſi *humilitatem* appellant, ſingularis in eo per omnem vitam enituit. Vox, vultus, inceſſus altam animi demiſſionem non obſcure prodiderant. In luce Academiarum verſanti nihil popularis auræ adhæſit. Eam ſcientiam factis & verbis declaravit ſaluberrimam, & homine Societatis Jeſu dignam: *ſcire Chriſtum & hunc Crucifixum.* Seu Magiſter, ſeu Superior parem ſe ferebat omnibus. Ab iſta Patris Gomezii modeſtia, multæ aliæ pullularunt virtutes, quas omnes ad calculum revocare longum foret. Magiſtratu totius provinciæ inſignis, ad viliſſima culinæ obſequia ſemet demiſit. Longo aliorum uſu attritas veſtes in deliciis habuit, nec poſuit ante, quam ab eis ipſa paupertas Religioſa abhorreret. Verbo: nihil patiebatur in ſe, in ſuo conclavi, quod paupertatem non ſpiraret. Exactæ obedientiæ, puritatis Angelicæ perinde rigidiſſimus cultor erat. S. Ignatium filii prorſus pietate proſequebatur. Societatem matrem ſuam, pro ſua ſapientia acerrime propugnavit; a calumniis, mendaciis, quæ hæreſis, æmulatio, livor, malevolentia liberalius procudit, vindicavit; paratus illius famæ integritati non ſolum ſudores omnes, ſed ſanguinem etiam impendere. Erga DEIPARAM Virginem amorem tenerrimum a prima pueritia fovit; utque cultus illius diffunderetur latius, devexa quoque ætate calamum feſſum, in Marianis laudibus enarrandis exercuit, quemadmodum ejus opera teſtatum faciunt. Obiit ſupremum diem Cordubæ in Tucumania undevicеſimo Novembris, anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo.

P. JO-

P. JOANNES ANTONIUS SOLINAS
SARDUS OLIENENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus in Societatem ingreſſus; navigatio in Paraquariam; Apoſtolici labores inter Gvaranios, & Septemfluentinos.

NObilis athleta Chriſti, P. Joannes Antonius Solinas (alio in loco reperio Salinas) primam lucem aſpexit die XV. menſis Febr. anni MDCXLIII. non vero MDCXLV. ut perperam refertur in perbrevi narratione ipſius vitæ apud P. Franciſc. Xaverium Xarque. Sub diſciplina illuſtrium, juxta ac piorum parentum, amæniore doctrina præparatum, Calaritana Tyronum domus educandum ſuſcepit anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum tertio & ſexageſimo, XIII. Junii. Primum innocentiæ candorem, quem in tyrocinium intuliſſe creditur, in ea innocentium Schola præclaris virtutibus ornavit. Imbutus Philoſophorum placitis, in Domo noſtra Oriſtanenſi, triennio manſuetiores literas tradidit cum non mediocri diſcentium emolumento, nihil queſtus adverſus aeris inclementiam. Calari Theologiæ diſcipulus, in expeditiones transmarinas una cum iis deligitur, quos P. Chriſtophorus Altamirano Procurator, in ſuam Paraquariæ provinciam abducturus erat. Hiſpali in Bætica ſacris Ordinibus initiatus anno MDCLXXIII. altero poſt anno proſpero cœlo & mari portum Boni aeris tenuit. Mox Cordubam Tucumaniæ delatus, ex inſtituto noſtro tertium probatus, illico ad meſſem Gvaranicam abit. Apoſtolico muneri intentum, ac maturas fruges in horreum Domini comportantem, Adm. R. P. Noſter Oliva Cordubam revocare voluit, ut videlicet *vir præſtantis ingenii, ſalutis animarum ſtudioſiſſimus, ad dicendum, & tradendas politiores literas plane natus, confecto Theologiæ curſu, Profeſſis ſolennium quatuor votorum accenſeri poſſet.* Joannes memor dicti Servatoris noſtri apud Luc. c. IX. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpi-*

ciens retro, aptus eſt Regno DEI, cœpto operi inſiſtere maluit Coadjutor Spiritualis, quam relegere viam, gratia dignioris gradus obtinendi.

Et vero egebant tum temporis opera ſolertiſſimi Patris afflicti Gvaranii, quos peſtilens lues paſſim invaſit, ſtravitque. In Itapuano oppido matres conſilii cæterum inopes, parvulos ſuos ad Patrem Solinas detulere, orantes auxilium. Ille commotus hac parentum ſolicitudine, fiduciaque erectus, iconem Divi Ignatii ſingulis parvulorum ordine applicat; atque hoc ſubſidio vulgatæ luis venenum eluſit, nullo ex iis extincto. Eodem fere tempore apud Annenſes, mulierem partus dolores per multos dies attinebant, nec longe ab interitu aberat, quod maligni humores, partus reliquiæ, nulla vi medica depelli poſſent. Eam hortatus Solinas, S. Xaverio ſemet permitteret; annulum attactu Divi dexteræ pretioſum, jam jam animam agenti admovet, ac momento temporis depulſis humoribus, mulier ſalvam & incolumem poſtliminio ſe vidit. His talibus prodigiis excitati Neophyti, rebus afflictis apud Cœlites medelam quæſivere.

Subinde Solinas ad urbem Septemfluentinam ſe contulit, ita nominatam a totidem fluviis, quos prætumidus Paranæ fluvius eo in loco, veluti vectigales recipit. Incolæ Hiſpani, noſtris hominibus apprime addicti, apud Superiores Societatis ſerio egerunt, ſtabilem ſedem ut ea in urbe Societas figeret. Paucitas operariorum pia deſideria diſtulit. Interim Solinas cum Socio ad Septemfluentinos proficiſci juſſus, Civium ſaluti egregie conſuluit. Inter hos & illum erat conventum: grandiores natu civilis conditionis, ſingulis diebus ſub occaſum ſolis adirent templum, audituri quodpiam exemplum Chriſtianæ virtutis ſolida doctrina ornatum, firmatumque. Puerilis ætas, infima plebs, ſexus utriusque mancipia, horis pomeridianis confluerent Chriſtianis perceptionibus ac myſteriis erudienda. Denique prima luce convenirent omnes, Divino ſacrificio atque ſacræ dictioni interfuturi. Pars utraque pia quadam æmulatione concitata, dum promiſſa, fide integra perſolvit, manifeſta morum ac vitæ mutatio conſecuta eſt apud Septemfluentinos, ac integritati Religionis omni ex parte proſpectum.

Inde Solinas cum Socio ad Hohomas, Indicæ nationis populum, iter flexit. Dudum iſti abjecta patria ſuperſtitione, ad Chriſti Eccleſiam ſe aggregarunt; verum ob commercia cum vicinis ethnicis, & fortaſſis eorum negligentiam, quorum curæ commiſſi erant, paulatim ad priſtinos ritus, ſuperſtitionemque relapſi ſunt, ſolo nomine Chriſtiani. Hos ille Gvaranica uſus lingua, modeſtia, comitate, beneficiis ſibi obligavit, ac paucorum dierum intervallo, depulſa ignorantia myſteriorum, ad veterem Chriſti Fidem, obſequiumque traduxit. Sub hæc Luſitani ad annum milleſimum ſexcenteſimum octogeſimum in arma coorti, coloniæ S. Gabrielis limites ſupra flumen Argenteum proferre tentaverant, haud dubie animo ſubjugandi omnem regionem, quæ ad fluminum Paranæ & Para-

quarii

quarii Orientales ripas usque porrigitur. Joſephus de Garro Prætor provinciæ fluminis Argentei, oppreſſurus in tempore bellum, celeriter cives Boni aeris arma capere mandat, tria Gvaraniorum millia evocat, quibus P. Solinas mille octingentos & novem Gvaranios ſuos addere jubetur, quos ſibi obſequentiſſimos habuit; præſertim poſtquam videre unum commilitonum ſuorum, ſpreto Patris imperio fluvium Mirinnai tranantem, jamque propinquum adverſæ ripæ aquarum impetu, vorticibusque ad exitium raptum, merſumque. Gvaranii Hiſpano militi permixti, magnis animis aggreſſi Luſitanorum coloniam, non contemnendam victoriam obtinuere. Solinas ſpreto vitæ periculo inter creberrimas mortes, a primo mane ad ſerum noctis verſatus, Gvaraniis ac Hiſpanis ſauciis præſentiſſimam opem tulit. Expeditione præter opinionem celerius confecta, ſuos Gvaranios ad ſtationes reduxit, triennio eorum commoda procuraturus. Tandem poſt octo annorum Apoſtolicos ſudores Gvaraniis impenſos, ad Chaquenſem populum iter ſuſcipit, cujus occaſio hæc erat.

CAPUT SECUNDUM.

Ad Chaquenſes abit, & ab iis trucidatur.

ANgelus Peredo Prætor provinciæ Tucumaniæ, felici armorum ſucceſſu Chaquenſes Indos dominationi Hiſpanæ ſubjecerat, captis eorum duobus millibus, omnique regione. Verum cum poſtea contra datam fidem, eos e patrio ſolo alium in locum transferre vellet, adeo ferociam barbarorum irritavit, ut correptis ſubito armis, Hiſpanos per colonias ſparſos trucidaverint, urbesque Catholici Regis ingentibus detrimentis affecerint. Ut modus poneretur his malis, Conſilium Regium Indiarum exiſtimavit, Viros Apoſtolicos mittendos ad emolliendos barbarorum animos. Hac ſuper re a Senatu Chuquiſacenſi conſultus, Illuſtriſſimus Præſul Tucumaniæ Franciſcus de Borgia, anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo in hunc modum repoſuit: *Ad frangendam, Chriſtoque ſubjugandam Chiriguanam, & Chaquenſem gentem præ cæteris magis idonei mihi videntur Patres Societatis Jeſu, quorum Apoſtolicos labores in hac mea Diœceſi probe perſpectos habeo. Et quamvis tractus Tarijenſis ſit juris Peruani, & pars Metropolitani, feliciorem tamen rerum eventum ſpero, ſi operarii petantur a Præſide provinciæ Paraquaricæ Societatis, qui Gvaranici idiomatis periti, ad Chriſtianam Religionem Chaquenſes pelliciant.*

Eodem tempore ultro ſuam operam, ſumptusque in expeditionem Chaquenſium neceſſarios, liberali prorſus animo Prætori provinciæ addixit Don Petrus Ortizius Zarate, Sacer Curio civitatis Xuxujenſis, Vir ingentis animi, ac animarum lucro unice intentus; ea ſolum conditione adjecta, bini ut ſibi darentur Socii e noſtra Societate. Verum enaſcen-

tibus in dies novis difficultatibus, negotium adhæſit. Ferdinandus Mendoza Mate de Luna, accepto ad annum milleſimum ſexcenteſimum octogeſimum ſecundum, novo decreto Senatus Indici, remotis feliciter obicibus, expeditionem maturavit, cujus typum his paucis deſcripſit memoratus Petrus Ortizius: ad exploranda itinera deſignarentur triginta milites Hiſpani, & totidem Indi armati. Duo nominarentur operarii e Societate Jeſu linguæ Gvaranicæ gnari, ac in hujusmodi expeditionibus exercitati; per vallem Sentenſem peterentur Chaquenſes campi (quorum in planitie ante annos quinquaginta Martinus Ledesma Prætor provinciæ, urbem S. Jacobi de Gvadalcazar condidit) quod non abs re exiſtimaret, eo ex loco percommode agi poſſe cum Chiriguanis triginta duntaxat leucarum ſpatio diſſitis, quorum amicitia ſi occuparetur, multo facilior redderetur aditus ad Chaquenſes. Cætera ſe diligenter curaturum promiſit. Accedente poſtremum Peruani Proregis voluntate, illico rem aggredi placuit. Ergo provinciæ Paraquaricæ Præſes, in hanc tam operoſe ſuſceptam expeditionem, Patrem Joannem Antonium Solinas, & P. Didacum Ruiz linguæ Peruanæ gnarum deſtinat, qui Cordubæ Theologiam cum laude profeſſus, e Scholæ anguſtiis exire optaverat, & veterum manubiarum memor, nova ſpolia animarum in ampliſſimo agro legere. Inſtante die ambo profecti, ſemet conjunxere Petro Ortizio jam itineri accincto. Lubet hic adnectere ſat longam epiſtolam Patris Didaci ad Præſidem provinciæ datam, qua minutatim in ſingulos fere dies commemorat ea, quæ ipſis in hoc itinere evenere, eſtque hujus tenoris:

Significo Paternitati veſtræ, nos perveniſſe in campos a Ledesma dictos; utque rationem itineris noſtri perſpectam habeat, eam hiſce deſcribendam putavi. Ex urbe Salta diſceſſimus die viceſimo Aprilis anno MDCLXXXVIII. Itinere decem dierum pertigimus Uquiam, ubi dimorati biduo, die inventioni S. Crucis dicato, viam inivimus mille crucibus refertam. Emenſi unius leucæ ſpatium, reperimus viginti Hiſpanos milites, & quadraginta Indos noſtrum præſtolantes adventum, quibuſcum inſequenti die intravimus Petri Ortizii prædium Sianzo appellatum. Die quinta menſis Maji ad pedem montis Senta conſedimus, ac nocturna quiete refecti, poſtera luce aſperos montis anfractus & cacumen ingenti cum fatigio ſuperavimus. Altitudo montis toti, qua late patet, regioni Chacoenſi dominatur, parsque magna Paraquariæ inde conſpici poteſt. Cacumen montis vix unquam nubes obtegunt, vallem vero ſubjectam creberrimæ, eæque tam denſæ ac caliginoſæ, ut dum in vallem nos demitteremus, vix alter alterum poſſet diſcernere. Sentenſis vallis præter plura incommoda illud habet, quod aſſiduos imbres, raro Solis radios excipiat, & aquis innatet. Certe octo illis, quibus in ea dimorati ſumus, diebus, nunquam Solem per continuos imbres intueri licuit. Idcirco Turcicum triticum, quo veſcuntur incolæ, raro ad maturitatem pervenit. Ægre moliti greſſum per velles aquis reſtagnantes, noctem egimus eo in loco, quem P. Andreas Lujan incoluerat. Altero die acceſſimus crucem

Ad-

Adjutoris nominatam, vique extrema connisi, ad præſidium Robado voluimus pervenire. At quod lubrica via, fallente veſtigio incedendum foret, & eo anni tempore torrentes, amnesque occurrerent vado ſuperandi, ad flumen S. Martini ſtationem figere cogebamur, ubi Petrum Ortizium præcipiti curſu fluminis abreptum, prope ſubmerſum vidimus. Tandem viceſimo die menſis Maji, e montium anguſtiis eluctati ſumus in ampliſſimos campos crebris nemoribus interſitos. Hic a nobis avulſus Ortizius, accepta militum parte, longius proceſſit ad barbaros inveſtigandos. Quinque poſt dies ad aram faciente Ortizio, tres barbari accelerato gradu ad comites ejus accedunt, quæruntque ſolicite: ubi reliqui Sacerdotes eſſent? Nos celeriter acciti, hoſpites amice agentes cum Ortizio, laute habuimus, ac veſtitu, munuſculis donatos ad ſuos Caſiquios remiſimus. Erant hi barbari e duabus nationibus Ojotaium, & Tannorum, quorum utraque eodem idiomate, eadem dialecto utitur, ſupra quam dici poteſt, difficili, propter voces plerasque gutturales, ut videantur immotis labiis verba proferre. Moram traximus in iis campis, veſparum, atque culicum morſu, quorum infinita examina paluſtria illa loca obſident, admodum infeſtis. Inſpeximus per otium rudera præſidii a Martino Ledesma olim poſiti, quod ſæpius a barbaris obſeſſum, impugnatumque, tandem extracto milite Hiſpano deſertum, maximo incolarum gaudio dirutum eſt.

Die trigeſimo menſis Maji ad nos inviſit Caſiquius Ojotaium, vir mitis ingenii. Huic continuo cultior habitus corporis datus, & ego zonam e filis ſericis contextam, quo ornamento plurimum delectantur Ojotaies, ejus auriculis appendi. Oraverat nos; adiremus ipſius ſtationem duarum leucarum itinere diſtantem, familiam ſuam quadraginta capitibus definitam eſſe. Morem geſſimus homini. Superata valle Ledesmæ, ſilvam proceris & in eximiam altitudinem editis arboribus umbroſam, ingreſſi ſumus tardiore greſſu, inſidiarum metu. Barbari de noſtro adventu per ſuum Caſiquium admoniti, inter tripudia & inconditos clamores nos excepere. Ad tentoria deductos conſidere jubent in terra pellibus ferarum ſtrata. Horrorem incuſſerunt nobis eorum vultus, cæteraque membra corporis, variis coloribus tincta ac deformata. Quippe nuda corpora putidis coloribus a capite ad calcem inungere ſolent. Quo quis gravius olet, vel turpius pictus eſt, eo videtur formoſior, & bello aptior. Poſteaquam conſedimus, proferunt ſeptenos vaſtæ magnitudinis cantharos, neſcio, quo mulſi genere repletos, nobisque propinant; quod ni probent hoſpites, ſummam injuriam & contemptum interpretantur. Dum modeſte recuſamus hauſtum, admonuit eos mulier, Tarijæ aliquamdiu commorata, Sacerdotes Chriſtianæ Religionis, hujusmodi potu omnino abſtinere. Quo intellecto, poſtea moleſti non erant. At vero ipſi inter hilaria ſuo genio indulgentes, facile incaluere, dum nos præ fame algerémus. Alto jam meridie, regredi cœpimus ad noſtram ſtationem. Hoc animadverſo, barbari rebus ſuis uno veluti momento convaſatis, hilares nos conſectati ſunt. Narravit Caſiquius: Chiriguanos nuper

fœda populatione hauſiſſe eam regionem: multos Ojotaies partim occidiſſe, partim in captivitatem rapuiſſe; ex ſua familia effugiſſe cladem tres mulieres, totidem pueros, binas puellas, & triginta duos viros. Interim ut celerius, quo tendebamus, perveniremus, debiliores in equos noſtros impoſuimus, mirantibus barbaris tantam charitatem. Senecioni cuipiam familiarem inter ſermonem ſignificavi: nos armatos accepiſſe, ad Tobarum invaſionem retundendam: fortiter repoſuit: vitam ſibi eripiendam ante, quam ut in præſentia ſui, Patres vexentur. In loco ſtationis pluribus expoſui: noſtri itineris præciſe hanc eſſe cauſam, ut ipſos edoceremus rectæ Fidei myſteria, ereptosque crudeliſſimæ ſervituti dæmonum, æternum beatos redderemus. Caſiquius ſuos privatim allocutus, nobis retulit: ſe, ſuoſque nobiſcum velle vivere ac mori.

Interea prima die menſis Junii, Tannorum nuntius redierat duobus comitibus ſtipatus. Excuſavit Tannorum Caſiquium, quod per ægritudinem filii ſui adeſſe non poſſit. Nuntium mala fide agere in comperto erat, tum quod ſuorum numerum vehementer imminueret, tum quod munuſculum a Petro Ortizio porrectum cum ſtomacho rejiceret. Tobis quoque iiſdem fere diebus indicatum: nos Ojotaium agrum pacatos, amicoſque intraſſe; ni feſtinarent venire, adfore propediem Hiſpanos & Chiriguanos ad evaſtandam ferro & igne ipſorum regionem. Poſt longam tergiverſationem, pridie D. Joannis Baptiſtæ advenit Caſiquius Tobarum, dataque amicitia & accepta, pollicitus fuit, ſe diligenter elaboraturum, ut omnis natio Tobarum, & Moroviorum, Patrum fidei ſe committant, Fidemque Chriſti amplectantur. Hic rerum noſtrarum curſus eſt Reverende Pater. Locum collocandæ coloniæ nondum delegimus. Campi Ledeſmæi idoneum locum non præbent. Tanta enim multitudo culicum, & veſparum, quemadmodum nuper memini, hic dominatur, ut nullam nobis, pecoribusque noſtris quietem concedant. Incredibile dictu, quantum nos dies noctesque laceſſant. Multi ex nobis faciem & manus continuato tumore, vulnereque affectas habent. Jure veremur, ne ab omnibus laborum, ac moleſtiarum pertæſis deſeramur. Caſiquii ipſi ſine ambagibus retulerunt nobis: fuga ſibi conſulturos cum ſuis, ſi dimitterentur ad campos, ſilvaſque, ut fieri ſolet, excutiendas. Mihi perſuaſum habeo, nos multo duriora præſentibus perpeſſuros. Vale. Ad calcem epiſtolæ addidit: *ſe ad Vilelas gentem, peræque barbaram proficiſci velle cum Petro Ortizio, modo Patri Solinas colonia Ojotaium, aliorumque confluentium ethnicorum, e Superiorum voluntate committatur.*

Verum & iſte inter quotidianas ærumnas majori ſtudio rei Chriſtianæ incenſus, die vigeſimo ſeptimo ejusdem menſis exaratis literis ad provinciæ Præſidem animum ſuum patefecit: *Conſtituimus adire Mocovios & Tobas cauſa propagandi Evangelii. Barbari iſti in omnem libidinem, ſceluſque projecti, ac miſerandis ſuperſtitionibus capti, ripas Xuxujenſium fluviorum habitant. Veſtra Paternitas cum ſuis Dominum precari inſiſtat, ut nos idoneos veritatis Evangelicæ præcones efficiat, conatuſque noſtros provehat.*

bat. Ego & P. Didacus ſorte noſtra vivimus contenti, geſtientes omni ope ſublevare Chaquenſes, & Chriſto adjungere. Grates ſint DEO immortales! jam Ojotaies & Tanni, noſtra amicitia delectantur; nec abnuunt ſocietatem inire cum Tobis; ſi iſti poſitis cerimoniis ſuis reſipiſcant; ſecus in valle Sentenſi, etſi incommoda, ſedes poſituri. Dum hæc ſcribo, duo Caſiquii ad nos venerunt, trahentes ſecum duos & ſexaginta Tobas. Horum acceſſio, ſine dubio faciliorem nobis aditum aperiet ad Vilelas, quos (rebus hic prius compoſitis) certum, fixumque mihi eſt adire, modo Paternitas Veſtra precibus meis annuat. Intelligo non paucos Gvaranios transfugas inter eos verſari, apud quos ſpero tanto utiliorem fore operam meam, quanto peritiorem me ſcio linguæ Gvaranicæ. Verum his votis felicior mors interceſſit, ut proxime narraturus ſum.

Interea Petrus Ortizius reperto idoneo loco collocandæ coloniæ, eo deductis barbaris oppidum moliri cœpit. Feſtinatis operis aſſurrexit inprimis Sacellum Divo Raphaeli dicatum, a quo poſtea nomen obtinuit ipſa colonia; tum ædes erectæ Patribus ad habitandum, dein vaſtius ædificium, quo Hiſpani & Indi milites ſe reciperent, denique paucorum dierum intervallo oppidum ſtetit. Patres haud diu morati, ad præferoces Tobas, atque Morovios profecti ſunt, comitantibus duodecim Hiſpanis, ac totidem Indis armatis; quos præiverat Caſiquius Ojotaium fide in Chriſtianam Religionem, & Patres præclarus. Hic exploraturus, quo animo forent Tobarum primarii erga ſacra Chriſtiana, primus vadum tentavit, ſeque eorum fidei credidit. Poſt quatriduum cum tuta omnia renunciaret, ipſi Patres non verebantur ipſos adire. Comiter accepti, operi manum illico admovere, etſi frigore prope enecti. Inprimis Hiſpanorum amicitiam, civilem vitam, ac Religionem Chriſtianam commendarunt; tum operam ſuam large polliciti ſunt, ad commoda univerſæ gentis procuranda apud Prætorem Paraquariæ. Quies & ſilentium erat Virorum, dum Patres dicerent. At non eadem fuit patientia mulierum, quæ averſatæ omne fœdus Hiſpani nominis, identidem in memoriam revocarunt maritis fraudes, avaritiam, ſæva imperia Hiſpanorum, orantque, ut ne ſponte in duriſſimam ſervitutem ruant.

Ad extremum vicerunt Patres. Et Tobæ amplexi Hiſpanorum amicitiam ſpoponderunt: ſe acceſſuros coloniæ Regio Prætori ſubjectæ, uti a Patribus commodius inſtitui poſſent rudimentis Fidei. Inſuper Caſiquius, qui authoritate & moderatione animi cæteris præſtabat, duos e familia ſua nominavit, qui Patrem Didacum Ruizium & Præfectum Hiſpanorum militum comitarentur, ad Prætorem provinciæ proficiſcentes. Ne fervor intepeſceret, ſine mora Didacus cum comitibus Tobis Saltam adornavit reditum ad Prætorem. Reliqui Tobarum Petrum Ortizium, & P. Solinas ſecuti ſunt ad coloniam S. Raphaelis. Ut cæteros Caſiquios per nemora ſparſos allicerent, nulli labori pepercere Viri Apoſtolici. Deſertorem Religionis, cui nomen Laurentio, ſibi præprimis devincire ſtudebant.

debant. Hujus demum alloquio impulſi Caſiquii, procedente tempore victas manus dederunt.

Rebus utcunque compoſitis, abierunt Operarii ad Morovios, gentem ferocia haud inferiorem Tobis. Conciliata amicitia, non paucis veritatem Evangelicam perſuaſere. Incolarum benevolentia uſi, ad Mataguayos expedierunt legatos, qui Patrum adventum, ſimulque cœleſtem doctrinam iis vulgarent. Eodem in loco Patres de indole, de vitiis Vilelarum uberiorem notitiam acceperunt: nempe hanc gentem paci deditam, ad ripas Rubri fluminis numeroſam conſidere; reliquias eſſe Indorum, qui olim Chriſtianam Religionem profeſſi, ea loca incolebant. Nullum jam veſtigium veterum Sacrorum apparere apud eos, ſuperſtitioni ad inſaniam addictos. Hæc omnia incitamento erant Miſſionariis, ut eo maturarent iter. Sed idoneis ducibus viarum deſtituti, coloniam S. Raphaelis, eodem itinere, quo venerant, repetierunt; ubi circiter quadringentos Divinis præceptionibus informarunt, baptiſmoque admoverunt. Creſcente in dies Neophytorum numero, creſcebat etiam rerum omnium ad victum ſpectantium inopia, ut pene fames timeretur.

Expeditionis proſpera initia ampliſſimos fructus promittebant, cum repente violentus turbo omnia permiſcuit, evertitque. Jam redibat Salta P. Didacus, rebus omnibus ad coloniam conſervandam, ac augendam neceſſariis a Prætore inſtructus. Quo comperto, Ortizius, ac Solinas aſſumptis duobus Hiſpanis obviam ei proceſſerunt itinere ſex leucarum ad campum a Virgine MARIA appellatum, ubi nuper Sacellum in ejus cultum ſtatuerunt. Morovii & Tobæ, quorum pars nondum cervices jugo Chriſti ſubdiderat, partim uxorum lacrymis, partim orci furiis concitati, ut Hiſpanorum ſervituti atque adeo Evangelicæ legi, barbarorum moribus admodum gravi, ſe, ſuoſque ſubducerent, Magiſtros Evangelicæ legis e medio tollendi conſilium ineunt. Itaque conjurati, armis correptis eundem campum petunt, virgultis, vepribuſque tecti. Die vigeſima ſeptima Octobris circa ortum Solis, e latebris prodeunt. Ortizius, ne ad conſpectum Hiſpanorum militum irritarentur barbari, quos ſuo in comitatu habuit Didacus, eum per celeres nuntios admonuit; tantiſper ſubſiſteret, dum eos edoceat de ipſius adventu. Interim P. Solinas, dein Ortizius in nominato Sacello rem Divinam faciunt. Qua peracta in campum prodeuntes e Sacello, barbari circumſiſtunt, ac inermes contrucidant. Eodem impetu furoris duodeviginti Neophytos ex colonia Sancti Raphaelis, qui forte meditati facinoris non ignari, ad opem ferendam Patribus accurrerant, interficiunt, quinis duntaxat celeri fuga elapſis; quorum unus ad Didacum delatus funeſtum ſuorum caſum enarravit.

Tobæ collectis pauperum ſpoliis in ſua mapalia celerrime dilapſi ſunt. At Mocovii hac ſtrage efferati in Didacum, & Hiſpanos milites feruntur. Verum Didacus Evangelium, non arma, tractare aſſuetus, cum ſuis in

tutiora ſemet recepit, furentiumque impetum viarum flexu eluſit. Ojotaies & Tanni ſiniſtrum ſuorum Paſtorum caſum ſinceris lacrymis deplorarunt; metu tamen perculſi, ne ab Hiſpano patrati parricidii inſimularentur, in veteres ſuas ſedes migrarunt, intacta omni ſupellectili, quam Patres ſeu domi, ſeu in Sacello S. Raphaelis depoſitam habebant. Corpus Petri Ortizii in ipſo limine ſacelli repertum fuit; at Patris Solinas prope ſilvam, cingulo, corollis Marianis, libro Divinarum precum, ſudario ſanguine aſperſo a reliquis ſatis diſtinctum. Non ſine funebri pompa pretioſæ exuviæ ad ſua loca devectæ ſunt menſe Novembri anni ſupra milleſimum ſexcenteſimum octogeſimi tertii. Ortizii quidem ad urbem Xuxuyenſem, cujus Paſtorem inter proſpera & adverſa pari animo egerat, civibus nunc doloris, nunc lætitiæ ſigna edentibus; Patris vero Solinas Saltam, atque in Eccleſia Societatis noſtræ, in comitatu omnium Ordinum digniore tumulo contectæ. Præcipuus author funeſti parricidii, ultricem DEI manum non evaſit. Quippe biennio poſt ab Alvaro Velezio Centurione impigro captus in campis Chaquenſibus, vita mulctatur, evulſo per canes corde horis nocturnis.

Memoriæ proditum eſt, eodem tempore, quo P. Joannes Antonius Solinas Religionis odio interemptus fuit, totius tragœdiæ imaginem objectam fuiſſe in Sardinia cuidam Religioſo ex Ordine RR. PP. a Capucio dictorum. Hic morum gravitate, ac ſanctitatis opinione florens, in corona ſuorum Fratrum, ſubito abſtractus a ſenſibus, altum exclamavit. Redditus ſibi palam profeſſus eſt: ſe cœleſti oraculo didiciſſe, ac vidiſſe glorioſam mortem P. Joannis Antonii Solinas Societatis Jeſu Religioſi, popularis ſui, in vaſtiſſimis campis (nempe Chaquenſibus) eadem hora a barbaris illatam; idque juratus ſemel, atque iterum affirmavit. Juratum teſtimonium de hac admiranda ſpecie ad Rectorem Collegii Olienenſis Societatis noſtræ datum, literæ e Paraquaria allatæ de nece Patris Solinas, omnino confirmarunt.

Præluſerat laureatæ huic morti indefeſſus alienæ ſalutis Curator egregiis virtutibus. Normam vivendi, quam ſibi in tyrocinio Religioſo ſectandam præſcripſit, ad unguem obſervavit. Superiorum voluntatem, uti DEI imperium, per aperta etiam vitæ diſcrimina, proniſſima mente ſecutus eſt, ſeu juberetur opem ferre militi in caſtris, ſeu ſerere Evangelium inter infida & effera barbarorum ingenia. In ſacris Miſſionibus, totus a nutu Sociorum pendebat. Pauperrimus vixit inter pauperes Indos; ſæpe famem perpeſſus, ut iſtorum inſatiabilem edendi cupiditatem expleret. Ne virgineum candorem quoquo modo infuſcaret, corpus duriter ac inclementer tractavit; ſenſus omnes rigida cuſtodia cohibuit, & vel ipſa blandimenta domeſticorum animalium cane pejus & angue fugit. Longa atque ardua itinera ferventi ad DEUM oratione fallebat, neve cogeretur eam interrumpere, a Sociis avulſus procedere ſolebat. Hoc

Diviniore igne inflammatus, cupiebat, ſi Superis placeret, ſub utroque Sole animarum ſaluti deſudare.

P. MICHAEL ANGELUS SERRA
SARDUS ECCLESIENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus pueritia, ingreſſus in Societatem, commoratio in Sardinia, navigatio in Paraquariam.

SUaviorem vitæ exitum, uti ſuo loco dicemus, nactus eſt P. Michael Angelus Serra, qui tres omnino provincias rebus præclare geſtis illuſtravit. Copioſa & nobili domo ortus anno a partu Virginis milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octavo, die VII. Februarii, Calari a teneris annis cum bonis artibus pietatem condidicit, tantasque in ea progreſſiones fecit, ut Rhetoricæ ſtudioſus, præfectura Sodalitii Parthenii dignus haberetur. Et ire poterat in exemplum, Michaelis flexa indoles ad omnem virtutem, amorque tenerior erga Virginem Matrem Patronam ſuam, a qua non uno beneficio cumulatus erat. Certe cum per infirmam valetudinem aditum ſibi in noſtram Societatem præcluſum videret, una hac Patrona uſus, ſpem nunquam abjecit votorum ſuorum metam conſequendi, & reapſe conſecutus eſt. Victus ſiquidem Præſes provinciæ Juvenis conſtantia, contra, ac volebant Conſultores, eum in Societatem cooptavit dictitans: *Se Michaelem Angelum votorum compotem facere, ut numerum Sanctorum augeat in Societate, cum per valetudinem non poſſit, Operariorum.*

Itaque die VI. Junii anni ſupra milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimi ſexti Tyronibus adnumeratus, mores, quos nulla inquinatos macula attulit, multo facilius, ac jucundius ad caſtiſſimas leges noſtras accommodavit, tantaque alacritate de virtute in virtutem ivit, ut æmulos pietatis, pulcherrimis ſuis exemplis identidem inflammaret. Decurſo tyrocinio, juſſus repetere Calari manſuetiores muſas, adeo ſe in ſtudio eloquentiæ probavit, ut inſequenti anno Eccleſiis, in patrio ſolo, publice profiteri Rhetoricen potuerit. Curabat hoc in munere, ut ſalutari DEI timore

timore animos diſcipulorum impleat: in aliis conſervet morum integritatem, procuret in aliis. Quotdiebus Dominicis ad eos dicebat tanto cum fructu, ut, teſte Sacerdote noſtro viro graviſſimo, plerique, Tyronum noſtræ Societatis modeſtiam, pietatemque æmularentur. Calari diſciplinis Philoſophicis ac Theologicis excultus, Sacerdotio initiatur; eodemque in loco præcepta eloquentiæ rurſum tradidit, primum exteræ juventuti, dein noſtræ. Tertia probatione peracta, Magiſtro Tyronum Socius datur, ut videlicet in delicatis iſtis plantulis rigandis, fovendisque ſuam quoque operam commodaret. Quod ea cum ſatisfactione præſtitiſſe fertur, ut non modo ad ſolidæ virtutis leges fingeret eos, ſed & virtutum dulcedinem mira ſuavitate verborum eorum animis inderet. Dum ſtrenuus ea in palæſtra deſudat P. Serra, conſilio Medicorum e Calaritano ſolo in Collegium Algeritanum migrat, Ariſtotelem noſtris prælecturus. Verum aſſiduos inter Scholaſticos pulveres, fractas alioquin vires usque adeo attrivit, ut cœptum Philoſophiæ curſum interrumpere cogeretur.

Miſſus igitur in Collegium Saſſaritanum, Operarium, quantum per vires licuit, ibidem egit. Quot diebus Dominicis præcipua Fidei capita rudi plebeculæ explanavit; adjecto acriori ſermone, quo audientium animos ad deteſtanda vitia, virtutes amplectendas, mirum quantum incitavit. Galutæ in ſacra expeditione verba faciens de Chriſtiana manſuetudine, tanto verborum pondere oravit, ut capitali odio diſſidentes, ad Michaelis pedes prociderint, amicitiamque veterem redintegrarint. Cum parvulis doctrinam Chriſtianam publico in loco proponeret, prætervectos nobilioris conditionis Viros humaniſſime invitavit, ſua ut præſentia iſthoc miniſterium in ſpeciem vile decorarent. Paruere illico cum dicto: *Pater Sanctus ita præcipit, non eſt, cur ultra progrediamur.* Exterorum domus non niſi miniſterii cauſa adibat. Pauperum caſas, & carceres frequens inviſit, tanta vultus, totiusque corporis compoſitione, ut matronæ notæ virtutis ejus modeſtia captæ, viſuræ prætereuntem Sanctum Patrem, quemadmodum illæ ajebant, prodirent in publicum.

Copioſa, quam plena manu legebat, meſſe minime contentus, anhelabat P. Serra ſe abdere in remota Americæ deſerta, ubi ſolo cœlo conſcio, barbarorum commodo ſe totum daret. Ambivit Paraquariam, obtinuitque ab Adm. R. P. N. Paulo Oliva, præſente Chriſtophoro Altamirano Procuratore Paraquariæ. Admonuit Præſes provinciæ, Saſſaritani Collegii Rectorem, ut P. Serra quovis obtentu dimittat ad Collegium Algerienſe, ne Proceres Sardi ejus abitum e provincia, interpoſita authoritate morarentur. Res e voto ceſſit. Ex portu Algeritano in Hiſpaniam ſolventem, prætervectumque Lugdunenſem ſinum, in conſpectu Barcellonæ adeo ſubita & fœda tempeſtas invaſit, ut nautarum conatus, artesve vincendis fluctibus, & navi regendæ haud ſufficerent, ipſeque metu exanguis Navarchus, de ſalute deſperaret. Michael præſenti ani-

mo, pavorem atque formidinem ſingulis demere, excitare jacentes, certo vultu atque ſermone, propitios ventos DEI benignitate adfore pollicitus, qui navim ad portum propellant. Nec falſa prædixit. Namque ſecundo flatu in portum Barcellonæ provecti fuerunt. Patres Collegii, permoleſta agitatione maris fatigatum, recreandum putarunt; at ille bona Superiorum venia ergaſtula, ac publica valetudinaria adiit, ſolaturus ab omni fortuna deſertos; reliquum temporis confitentibus dedit.

Mantuæ Carpetanorum, ſeu Madriti, quo profectus erat, ſummum gratiæ locum ſua modeſtia occupavit apud P. Andream Rada Collegii Imperialis Rectorem, qui omnem meridionalem Americam rara prudentiæ laude Viſitator nuper obivit. Ut paululum diverteret ad videndum celeberrimum cœnobium, & vicinum *Eſcuriale*, magnificentiæ Philippi II. Hiſpaniarum Regis perenne monumentum, a P. Michaele impetrari non potuit. Madrito Hiſpalim proſecutus iter, quo Divinis commentationibus uberius vacare poſſet, in domum Tyronum Societatis noſtræ ſe abdidit. Verum cognita illius dicendi facundia, Præſes Bæticæ provinciæ egit apud Franciſcum Florentiam, Indiarum Generalem Procuratorem, ut Gades mitteretur, urbem advenarum frequentia nobilem. Præclaro cum emolumento urbem hanc excoluit. Ad numeroſam concionem frequens dicebat, pios ſermones cum omni hominum genere miſcebat; ſæpius inviſit ad Beatricem de Quevedo nobilem proſapia matronam, at Heroicis virtutibus longe nobiliorem. Hæc cum incredibi deſiderio teneretur publicas dictiones P. Michaelis audiendi, & per ægritudinem id minime liceret, creditur ſingulari Numinis beneficio didiciſſe, quidquid e ſuperiore loco ad frequentem auditorem dixiſſet; adeo omnia ex ordine minutatim recitavit a concione reverſis.

Adlaboravit præterea, ut puellæ pauperiores, quarum pudori inſidiabantur miniſtri libidinis, turpiſſimi lenones, tutiorem in locum reciperentur, corrogata in hunc finem pecunia. Correptus graviore morbo conditione ſervus, profeſſione Mahometanus, in ultimo diſcrimine verſabatur æternæ ſalutis. Accitus ab Hero apprime Chriſtiano Michael, Mahometi ſupra quam dici poteſt pertinaciter addictum, fruſtra excitat ad Chriſtianam Religionem. In Collegium redux coram Numine Euchariſtico in preces effunditur; orat, obſecrat pro Mahometano. Redit ad ægrum: & ecce! emollitum, pronioremque ad ſacra Chriſtiana reperit. Ergo jam volentem præcipuis Fidei capitibus inſtituit, ſalutari lympha expiat, & poſt paulo cum morte luctantem ad beatam, ut ſperare fas eſt, vitam transmittit. His, aliisque charitatis officiis diſtentus, annum unum Gadibus exegit. Rejectis modeſte munuſculis, quæ potentiores liberali manu obtulerant, navigaturum in Paraquariam cives non fictis lacrymis ſunt proſecuti.

In navigatione inter vectores & nautas bene merendi ſilvam nactus, nihil remiſit a conſuetis Societatis miniſteriis. Detulerat ſecum imaginem

nem eleganti penicillo elaboratam, referentem Virginem MATREM, & JESULUM ulnis maternis incubantem, ac D. Franciſcum Xaverium genibus innixum. Hos diuturnæ ac periculoſæ navigationis Patronos delegit, nauticamque turbam & vectores coram hac icone ad officia Chriſtiani hominis hortari conſuevit. Furioſa tempeſtate abrepta navis arenis adhæſit. Michael implorata ſuorum Patronorum ope, creditur ſaluti omnium fuiſſe; certè navis poſt aliquot dierum moram, ſalva & incolumis felicibus ventis portum Boni aeris MDCLXXIV. die X. Aprilis tenuit.

CAPUT SECUNDUM.

Quæ egerit, geſſeritque in Paraquaria? mittitur ad Chilenſem Societatis provinciam; ejus virtutes & mors.

POſt modicam quietem, qui provinciæ præerat Paraquaricæ, P. Chriſtophorus Gomezius, feſtinantem ad lucra animarum, in Gvaraniam proficiſci juſſit. Linguam ductu & magiſterio P. Simonis Bandini, idiomatis hujus peritiſſimi, brevi temporis intervallo feliciter combibit. Quinquennio formandis Neophytis inter ſexcentas ærumnas, evocatur Cordubam, in principe Collegio ut munere Præfecti Spiritus fungeretur, noſtramque juventutem Scholaſticam inſignium virtutum exemplis, & monitis, cœleſtium bonorum cupiditate ſuccendat, ad ſectanda Majorum veſtigia extimulet. Ad iſthoc officium ex inſtituto noſtro rite obeundum, natum, factumve fuiſſe P. Michaelem, conſtans ejus in hac palæſtra ſtudium, ac votum in Miſſionibus Gvaranicis manu exaratum hujus tenoris teſtatur: *Ob inſigne deſiderium perfectionis, a Divina manu mihi benigne conceſſum, nullumque a me impenſum conatum, obſtringo me voto coram auguſta cœlorum Regina, curiaque cœleſti univerſa, acturum apud ſingulos Provinciales, ſalva ac integra obedientia Religioſa, ut me eo, quo poſſint, modo, iterum in Societatem cooptent, inque Tyronum domum retruſum, primis Religioſæ vitæ rudimentis informari curent, majori tamen cum rigore, quam cæteros exercendum, probandumque. Voveo præterea, me petiturum viliſſima officia, ut in iis exercear, licet ægritudine aliqua vexarer. Denique votum facio, ſalva obedientia, me petiturum hoc vitæ genus, etſi centum annos numeravero. Menſe Septemb. anno MDCLXXVIII. Michael Angelus Serra. Indigniſſimus vel conditione Donati in Societate Jeſu, hujusque Candidatus ex animo.* Cordubæ Tucumaniæ perſtitit naviter in Apoſtolico munere. Pro concione tanto ardore dixit, ut auditores non dubitarent affirmare: peccantium numerum omnino imminutum iri, ſi præcones verbi Divini, ardorem P. Serra in dicendo æmularentur. Divi Ignatii ſacras commentationes pluribus obeundas perſuaſit. Secuta inde vitæ, morumque mutatio. Luculentum hujus rei exemplum videre licuit in filio Prætoris pro-

vin-

vinciæ, adoleſcente præfervidæ indolis, ac contumeliæ impatientis. Hic, neſcio a quo homuncione infimæ conditionis, aſperrimis verbis laceſſitus, nihil prorſus repoſuit, omnemque verborum tempeſtatem tacitus ſuſtinuit, memor JESU patientis, quem ſibi in ſacra ſolitudine imitandum propoſuit.

Cordubæ repetitis vicibus adverſa valetudine proſtratus P. Michael, ſuadentibus Medicis cœlum mutare cogitur. In Collegium S. Fidei a vera Cruce translatus, decennio illud incoluit; ſeptem primis annis Operarium egit, tribus poſtremis Rectorem, poſteaquam regimen Collegii Aſſumptionis permodeſte a ſe amoviſſet. In hoc Collegio Operarius, mirum! quantum inflammarit pietatem civium erga iconem cœlorum Reginæ prodigiis claram, quæ anno MDCXXXVI. ſudore perfuſa, noſtra etiamnum tempeſtate colitur in noſtro templo ingenti accurſu populi, maxime Sodalium Mariani cœtus. Nec pietas ſuo fructu caruit. Oculos illuſtris virginis adeo vitioſus humor occupaverat, ut eorundem uſum penitus amiſerit. Authore Michaele ſupplex facta Virgini Matri, biduo nondum evoluto præſentiſſimam opem ſenſit, viſumque de integro recuperavit. Don Franciſcus Isquierdo Prætoris provinciæ Vicarius, tantis colicæ doloribus urebatur, ut ad extrema deductus, P. Michaelem acciri juſſerit. Aderat iſte. Peracta confeſſione, petiit æger ſibi adferri goſſypium ſudore prodigioſæ iconis tinctum, illudque parti male affectæ cum veneratione applicuit. Mirum dictu! malum omne momento deſiit. Hanc tantam fiduciam in civium animis aluit Vir Apoſtolicus ſuis incenſis ſermonibus, effecitque, ut liberalitate civium elegantior aſſurgeret ara, quam ipſe non levis pretii muneribus ornavit.

Inſtituit præterea probante Præſule Illuſtriſſimo Antonio de Aſcona, Diœceſeos Epiſcopo, ſcholam Chriſti; diſcordiam, liteſque occaſione mercandi herbam, vulgo Paraquaricam, obortas, tam felici ſucceſſu compoſuit, ut ſi vellent ſignificare difficultatem ſedandæ litis, dicerent: *A ſolo Michaele componi poſſe.* Piis exercitationibus hic quoque multos perpolivit. Nonnulli primæ Nobilitatis Viri, Chriſtianæ charitatis pulchritudine capti, contempta rerum humanarum inconſtantia, ſeſe in Cœnobia recepere. Non prætermiſerim hoc loco memorabile factum Georgii Suarezii Tribuni militum apud Luſitanos. Hic a Principe ſuo Petro, ad gubernandam poteſtate Prætoria coloniam Sanctiſſimi Sacramenti miſſus, dum adverſus Hiſpanos fortiter pugnat ad flumen Argenteum, capitur, captivuſque in urbem Sanctæ Fidei abducitur. In ea commoratione, opera Michaelis in ſacram ſolitudinem ductus, ſinceram libertatem, videlicet filiorum DEI reperit. Quippe mundi illecebris generoſo animo ſpretis, ad Michaelis ductum, vitæque rationes ſemet applicuit, humili conditione rei domeſticæ Coadjutorum Societatis Jeſu contentus. Nihilo inferior Georgio erat virgo, nobilitate, divitiis, facile princeps ea in urbe. Ab opulentis, nobilibuſque viris in matrimonium petita, virgi-

virginalem pudicitiæ florem nuptiis præhabuit, parata comam tondere, ac cœleſti ſponſo ſe voto conſecrare, ſi Pater Michael, cujus a nutu tota pendebat, ratum haberet. Vixit ad extremam ſenectutem paterna in domo ſolitaria, precationibus, munificentiæ erga pauperes dedita, excellenti vitæ Sanctimonia ſuis popularibus nota.

Viſum eſt ſubinde Conſultoribus provinciæ, P. Michaelem in agro Paraquarico ſtrenue elaborantem ad annum usque milleſimum ſexcenteſimum nonageſimum primum, concedere Chilenſi provinciæ, quo non ita pridem abierat P. Thomas Donvidas Viſitator hujus provinciæ, ut nimirum ſatisfieret voluntati Admod. R. P. Noſtri Præpoſiti Generalis Thyrſi Gonzalez, vehementer optantis: mitterentur aliquot veterani operarii in Chilenum regnum, quoad ſupplementa venirent ex Europa. Afflicta quamvis valetudine, ſine mora ſe in viam dedit. Emenſus moleſtum æque, ac periculoſum iter, ad urbem S. Jacobi pervenit. Hic in Collegio noſtræ juventutis ſpiritum curare juſſus, vix circumacto anno ad domum primæ probationis translatus, novellos in ſchola virtutis milites e diſciplina Societatis inſtituendos ſuſcepit; ac anno MDCXCV. Rector domus illius datus, munere ſuo ita eſt functus, nihil ut omiſerit eorum, quæ Societas deſiderare poſſet. Non minus felix in privatis ad Tyrones ſermonibus, atque in publicis ad confertam multitudinem, eadem vi dicendi, modeſtiſſimo vultu adjuta, & multiplici virtutum exemplo, inprimis animi demiſſione, veluti fundamento cæterarum, cereas illas mentes in ſuos ſanctiſſimos mores flexit. Placet hic continenti ſerie illius virtutes ennarrare, iisque paululum immorari. Abjectum tegimen capitis, quod petebat ſibi dari Tyronum quidam, ut primum vidit P. Michael, illud uſui ſuo deſtinavit. Non raro audiebatur cum admiratione Tyronum dicere: *ſe etiam atque etiam metuere, ne Societate ejiceretur.* Addebat tamen: *ſperare ſe, ut patrocinio Magnæ Matris in eadem vitam claudat.* Studium humilitatis ſuis filiis commendans, his talibus verbis dictionem clauſit: *Chariſſimi! me non profeciſſe in via virtutum, cauſa eſt mea ſuperbia; & vel ideo apud animum meum conſtitui, me omni conatu incubiturum ad conſequendam humilitatem. Juſtum equidem fuerit, ut vel ſera hac ætate id præſtem, quod junior neglexi.* Tum altius attollens vocem ajebat: *Chariſſimi! humilitas! humilitas! humilitas! ſine hac nulla conſiſtit virtus, nec perſeverantia in Societate.* Viliora domi miniſteria cum voluptate animi exhauſit. In culina ollas, lances, & quæ ſunt hujusmodi, tanta accuratione a ſordibus repurgavit, veluti mercede conductus foret. Menſæ accubuit nunquam, niſi prius documentum humilitatis dediſſet. Ægrotus, inviſentes ad ſe juniores Patres identidem rogabat: docerent ſenem, qua ratione perferre poſſet ægritudinis moleſtias, non patienter modo, ſed etiam jucunde. Cum negarent, ſe poſſe emeritum in ſchola patientiæ exercitatum militem docere; non deſiſtebat, donec in ſpeciem quidpiam proferrent. Popularem auram, nominis ſui

exiſtimationem omni ſtudio vitare contendit. E domeſticis unum aliquem deligere ſolebat, qui attentis oculis, ipſius actiones quam acerrime contemplaretur, & notatos nævos ſimplici, apertoque animo detegeret. Id ſi quandoque rigidus cenſor præſtitit, vix optimus ſenex verba reperit, quibus gratum ſuum animum erga eum explicaret.

Submiſſo animo nihil arduum poterat eſſe in accurata paupertatis cuſtodia. Res uſui ejus deſtinatæ, ſola neceſſitatis lege definiebantur. Nondum Superior pro minimis, ut vocamus, ſpeciatim facultatem petiit ſemper. Munera neque accipere, neque donare novit; immo munuſcula Miſſioni ſervitura; quam libenter elargiebatur, tam ſtrenue agebat, ut apud Domus Superiorem aſſervarentur. Liberalis erga ſuos ſubditos, curabat diligenter, ne quid detrimenti acciperet res domeſtica, ſua, vel ſuorum negligentia. Pauperum neceſſitatibus occurrebat veſticulis, nummis, pharmacis; cum hæc deeſſent, verbis conſolabatur. Ajebat: *apud pauperes tanto felicius deponi opes, quanto minus ab iis ſperare licet in hac vita remunerationem.*

Illibatum virginitatis decus ſecum in tumulum intuliſſe, teſtimonio aſſeruere conſcientiæ arbitri. Ad hunc theſaurum omni auro, argentove pretioſiorem conſervandum, uſus eſt accurata ſenſuum cuſtodia, præcipue oculorum, ut adeo modeſtiæ Religioſæ in ſe, ac Tyronibus ſuis perpetuus amplificator, imitatione Jobi fœdus cum oculis ſuis pepigiſſe videri potuerit. Cuſtodiæ ſenſuum addidit continuas corporis afflictationes, ſtudium orationis. Reginam Virginum ſingulis diebus interpellabat oratione Venerab. Fratris Alphonſi Rodriguez pro tuenda caſtitate. Fama communi ferebatur in provinciis Paraquarica & Chilenſi, P. Michaelem in carne Angelum cum cœleſtibus geniis familiariter egiſſe. Obediendi ſtudium perinde cordi habuit, aureamque epiſtolam S. Parentis noſtri de obedientia, ſuis moribus expreſſit. Superioris imperia oraculi inſtar habuit, quin etiam nutum illius religioſiſſime obſervavit, minime inquirens, quis, quantæve authoritatis foret. Æger curatori Tyroni ſuo in omnibus paruit, non cibo, non pharmaco uſus, eo inſcio. Amorem hujus virtutis ut quam altiſſime ſubditorum animis inſculperet, ſollicite adlaboravit, ea etiam de cauſa, quod cenſeret ab iſta cæteras omnes ita pendere, ut ſine ea negaret aliquid præclari fieri poſſe ab hominibus Societatis.

Tantus in eo deſpiciendi ſui, & affligendi corporis ardor erat ut inhibendus potius, quam incitandus fuerit. Lacer ac tunica male ſarta in publicum prodire geſtiebat, libenter exhauſturus petulantium puerorum probra. Cum Superiores haud annuerent, non neglexit alias occaſiones. Optabat ex animo, contemni & inſipientibus adnumerari; quo perfectius veſtigiis inſiſteret Duci ſuo JESU. Afflictationum externarum avidus, etiam dum acutioribus morbis conflictaretur, auditus eſt queri, quod duriora non liceret ſibi perpeti illius amore, quem ſui cauſa vitam poſuiſſe non igno-

ignoraret. Hyemis tempore frigorum vi totus obrigeſcens, non niſi Superiorum imperio adactus focum acceſſit, aut candentes carbones ſuo cubiculo inferri eſt paſſus. Artes ſubjugandi corpus, animique affectiones, e vitis rigidiorum Patrum collectas, imitandas ſibi propoſuit. Fructus, mellita bellaria, ſibi perpetuo interdixit. E cibis quotidianis viliores ſibi apponi voluit, nec condimento ingratum ſaporem temperavit. Breviſſimum capiebat ſomnum in præduro lectulo. Hoc vitæ rigore penitus ſubegit corpuſculum; ipſe tamen perpetuus ſui accuſator repetebat: *juſto DEI judicio per aſſiduas ægritudines ſe caſtigari, quod corpus ſuum delicate haberet, & immemor viveret beneficiorum Divinorum.* Adeo bonarum eſt mentium attendere quid debeant, non quid reddant.

Quæ & quanta fecerit ad ſublevandam egenorum inopiam, nuper delibavimus; in Tyronum Domo Chilenſi id ſingulare præſtitit. Laboravit Domus ipſa, ſumma egeſtate principio regiminis, nihilominus P. Serra uſitatis novas addidit largitiones, familiare illud ſuum repetens: *Simus liberales erga DEUM, ut reddamur ſecuri nunquam defutura nobis neceſſaria.* Dicti veritatem eventus probavit. Quippe non alias feliciorem curſum habuit res œconomica, atque ſub ejus gubernio; ut adeo novam templi fabricam molitus, majori ex parte eam eduxerit. Æger lecto affixus, juſſit aliquando in cubile adduci mendicabula, ut exercitio charitatis dolores ſuos leniret. Sed ſubditorum ſuorum commoda, materna prorſus ſolicitudine procuravit. Ut tecti, ſalvi, incolumes eſſent, nulli labori, nullis opibus pepercit. Refovendis ægrotorum corporibus, animisque principem curam impendit. Ad eos quot diebus, ſemel, iterum, ac tertio inviſit. Solicitus circumſpexit, num medicamenta in tempore adeſſent, numquid præterea fomenti neceſſarium foret. Si morbo impediretur, nominabat quempiam, qui vices obiret. Hujusmodi charitatis officiis omnes ſine diſcrimine complexus fuit. Averſabatur in Superioribus affectatam gravitatem, arbitratus Societatis filios facilius ad optima quæque impelli poſſe vigilantia, ſpiritu ſuavitatis, quam rigoris condita. Iſthac ſuaviſſima gubernandi methodo id conſecutus eſt, ut exerrantes, ſola virgæ umbra ad officium Religioſi hominis reduceret.

De perpetua conjunctione cum DEO, quem & cogitabat frequenter, & libenter loquebatur, nihil attinet dicere. Actus Divini amoris intra diei ſpatium iterabat ſæpius, ut pene ter milleſimum numerum excederent. Orationi matutinæ duas horas adjecit, quo diutius rerum cœleſtium contemplatione perfrueretur. Nec dubium virum Divinis addictiſſimum, ſingularibus gratiis cumulatum fuiſſe, quas tamen, veluti ſecreti religione teneretur, tacite habuit. Calari in contemplatione Servatoris noſtri cruci affixi, toto vultu fulgorem ſpargere obſervatus erat, voxque clarior percepta, qua excitabatur ad dura perferenda. Alias in Chilenſi Domo probationis, circumfuſum inſolito lumine; e vulnere lateris Chriſti profluente, Præſes provinciæ, & P. Franciſcus Burges viderunt.

runt. Hiſce cœli deliciis innutritus tanta conſtantia DEO, Diviniſque inhæſit, ut etiam iter agens raro eorum meminiſſe poſſet, quæ in oculos incurrebant. Summum Eccleſiæ caput, Principes Reipub. Chriſtianæ, Divinæ majeſtati, ſuis precibus commendavit; atque etiam Ethnicos toto orbe terrarum ſparſos, potiſſimum Americanos, ut cœcæ iſtorum mentes luce veritatis Evangelicæ illuſtrentur. Ad Religioſos noſtros pro ratione officii ſui tanto fervore de dilectione DEI & proximi, de amore vocationis, de cultu B. Virginis, de regularum accurata cuſtodia, peroravit, ut ſibi ereptus in medium Sacelli procederet, non animadverſo, ubi locorum eſſet; æſtus nimirum ille, quo pectus flagrabat, ſemet in membra exanguis corpuſculi diffudit, vires addidit, verba ſuggeſſit. Quia vero quæ verbis ſuadebat, ipſis factis in omnium oculis jam olim expreſſerat, auditorum animos facilius in ſuam flectebat ſententiam. Teſtati ſunt iſti, nunquam ſe advertiſſe, P. Michaelem vel minimam legem domeſticam violaſſe, & quod mireris citra ullius moleſtiam; adeo noverat rigorem, ſua gratia & ſuavitate morum temperare. Ipſe in familiari ſermone candide eſt faſſus, ſe nec floſculum decerpſiſſe ſine Superiorum licentia. Epiſtolam ſibi redditam eo temporis, quo ex inſtituto Societatis noſtræ, cogitationes, ſermones, actiones diſcutiendæ ſunt, non reſeravit ante, quam præterlapſo tempore recreationi deſtinato, dicens: *prioris particulas temporis rebus aliis ex ordine legum deſtinatas fuiſſe.* Quot hebdomadis verrebat cubiculum, dum per ægritudinem licuit. Creberrime inculcabat Tyronibus ſuis: *minima maximi facerent, omneſque leges una ac eadem conſtantia ſequerentur.* Damno ſuo neglexere hoc ſaluberrimum monitum quaterni, non poſt multo, unde venerant, remiſſi. Idem accidit binis aliis, quorum ruinam animo præſagiens, quoties ipſos Angelorum pane refecerat, toties in ſuſpiria, & lacrymas abiit.

Penſum Sacerdotale conſtanter genibus nixus perſolvit. Icones Sanctorum & inprimis eorum exuvias peculiari cultu proſequebatur. Triginta e Cœlitibus delegit Patronos, quorum ſingulis ſingulos dies dicavit. D. Ignatii, SS. Angelorum opem implorare ſolebat, dum gravioris momenti negotium auſpicaretur. Illius novem dierum cultum intra annum repetiit. Sed principem locum ſibi vendicarunt Beatiſſima Virgo & auguſtum altaris Sacramentum. De hoc ſermones illi melliflui; huic feriam quintam per totius anni decurſum conſecravit, facto ſacrificio ac recitato Divino officio, quantum fas erat, de Venerabili Sacramento. Hujus fruitione totus a ſe abire viſus, migrans in amoris ſui pignus. Egreſſurus domo, aut rediturus chorum petiit adorandi cauſa; non alibi libentius, quam iſtic Euchariſtico DEO propior, in vota & preces ſemet effudit. Huc primo mane inter primos accurrere, ſenibus jam annis adrepere, interdiu ſæpius adire & adhærere jam inde a tyrocinnio inſuevit. Cum rem Divinam faceret, in DEO abſorberi, innocuis intus ardere ignibus eſt obſervatus. Ad eam ſeſe comparavit verberatione, votorum reno-

renovatione, confeſſione noxarum. Et quia occaſione Divini ſacrificii, pluribus beneficiis affectus erat, dignitatem Sacerdotum maximis verborum encomiis celebravit, monuitque: *viderent, qua accuratione famularentur DEO, quem familiari uſu manibus contrectarent: viderent etiam, atque etiam, ut iſthoc uberrimo gratiarum fonte provide uterentur.* In Virginem MARIAM ferebatur tenerrimo affectu; hujus cultui jam a puerili ætate ſe mancipavit; hac Duce & Patrona expeditum ad Societatem noſtram aditum habuit, hanc exquiſitis vocabulis ornavit. Diebus ſingulis ſepties hac mediatrice oravit conſtantiam in Societate permanendi. Ajebat: *nullo obſequio felicius nos prodere poſſe amorem noſtrum erga Virginem Matrem, quam exacta legum noſtrarum cuſtodia, quarum illa præcipua author fuiſſet.* Accidit forte, ut æger nocte concubia in Domo probationis preces parenti Virgini litaret; inſequenti die e Collegio ad eum inviſens Frater Alphonſus Lopez, eximius cultor ejusdem Virginis, in amicam aurem dixit: *Magni fecit noſtra Mater penſum, quod Reverentia veſtra hac nocte perſolvit;* id quod etiam invito Michaele Superioribus ennarravit.

Hæc, aliaque cum pietatis, tum charitatis officia, P. Michaeli famam Viri *Sancti, Apoſtolici* peperere. Apud cives urbis S. Jacobi, tantam Sanctimoniæ opinionem obtinuit, ut prætereunti parvulos ſuos admoverent ad bene precandum ipſis; rati eo beneficio proles ſuas adverſus præſtigias dæmonum optime præmunitas fore. Unus ipſe accuſator ſui perpetuus, ingratiſſimum, pluriumque erratorum reum ſe identidem nominabat, ut vel ex eo tæderet ipſum longioris vitæ. Annum quinquageſimum nonum egreſſus, cœpit moleſtius ſentire prorogationem ſui exilii, crebrius prorumpens in Apoſtoli ſuſpiria: *cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto;* & reapſe non poſt multo maturus jam cœlo votorum compos eſt factus. Feriam ſextam fere impaſtus exigens, veteres ſuos morbos irritavit. Biduo ante mortem, oravit ſibi adferri iconem Chriſti in cruce morientis, a qua nunquam oculos dimovit dictitans: *ſe in ea omnia cumulate reperire.* Accepto mortis nuntio nihil motus, Sacramentis morientium præmuniri voluit. Mœſtiſſimi ejus filii Tyrones, inter lacrymas optimum parentem rogarunt, poſtremam doctrinam, ceu hæreditatem paternam, ipſis ut traderet. Paucis eos admonuit: *conſtantem erga cœlorum Reginam foverent pietatem: præ cæteris cordi haberent animi ſubmiſſionem: ita perſeveraturos in arrepto vitæ propoſito.* Demum in comprecantium Patrum & filiorum ſuorum corona, ad triumphantem in cœlo Societatem abiit, die prima & viceſima menſis Febr. anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo; initæ Societatis quadrageſimo, nuncupatorum quatuor ſolennium votorum, viceſimo primo. Corpuſculum jejuniis, verberationibus, morbis exhauſtum, e Superiorum voluntate arculæ incluſum ſeparato ac digniore loco conditum fuit. Non diſtulit cœlum Sociorum mœrorem e funere tanti Viri acceptum abſtergere. Oranti Fratri Al-

phonſo Lopez, cujus nuper memini, pro ſalute P. Michaelis, quem adhuc inter vivos agere putabat, viſus eſt ornatu Sacerdotali inſignis, ac multo nitore coruſcans invehi in Beatorum ſedes; gratulantibus Sociis, gentem Americanam in P. Michaele Angelo Serra, novum Patronum inter Cœlites fuiſſe nactam.

P. ANTONIUS FIDELI
CALABER REGIENSIS.

PAtrem Antonium Fideli, præcipua Regienſi Nobilitate ortum, primum e ſuis Apoſtolis cœlo tranſcripſere, ut ſperamus, Miſſiones Chiquitorum. Primis pueritiæ annis Neapolim ad Collegium S. Franciſci Xaverii miſſus, ut in eo Nobilium Adoleſcentum contubernio bonas literas, virtutesque condiſceret, ſpem de ſe conceptam minime fefellit. In noſtram Societatem adlectus, Tyro novellus indolem ad omnem recti, honeſtique amorem pronam, ita Religioſis virtutibus perpolivit, ut multo cæteris antecelluiſſe viſus fuerit. Perdiſcendæ Philoſophiæ & Theologiæ admotus, non ſinebat ſe æſtu literarum abripi, ſed primas diei horas DEO, principio & fini conſecrans, ad ſcholaſticum penſum proceſſit. Virtutum, literarumque præſidio ſubnixus, expeditionem Indicam impetravit anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum nonageſimo ſexto, iis cum Sociis, quos P. Ignatius Frias in Paraquariam ducendos, Hiſpali operiebatur.

In Hiſpaniam feſtinatis itineribus profectus, toto biennio in Bætica ſubſiſtere debuit, dum naves inſtruerentur in Americam ſoluturæ. Interim morarum tædia levavit, partim peregrinarum linguarum notitiam comparando, partim pœnitentibus aures præbendo, tanta diligentia, ut pleriſque diebus ſeptem, octove horas ſanctiſſimo huic muneri indefeſſus daret. Hujusmodi charitatis officiis præluſit durioribus, & veluti animus præſagiret paucitatem annorum, *in brevi explere tempora multa* ſategit. Demum anno nonageſimo octavo cum Sociis, quos nobilior ardor ad animarum lucra e diverſis Europæ Academiis huc impulit, in tres onerarias diviſis e portu Gaditano ſolvit. Navibus e conſpectu mutuo furentium ventorum vi avulſis, quæ P. Antonium Fideli vehebat, multum, diuque alto mari jactata fuit, ac tandem ad Gineæ littora impulſa, non ſine ſingulari Divini Numinis beneficio, unam Heſperidum

inſulam a S. Jacobo appellatam tenuit. Religioſi Patres florentiſſimi Ordinis Seraphici, qui ea in inſula Cœnobium obtinent, Socios maritima jactatione feſſos, omni charitate excepere, ſuamque authoritatem apud Inſulanos interpoſuere, ne more ſuo Europæam navim, advenasque infeſtis telis invadant. Hic centum circiter vectores morbo contagioſo correpti vitæ curriculum confecerunt, quorum corpora juxta ac animos P. Antonius inſigni charitate curavit. Refectis viribus vela in altum data ſunt. Patres Seraphici eo prorſus animo, quo univerſam Societatem noſtram complectuntur, Socios paupere ſua penu inſtructos, ad ſcaphas usque deduxerunt, multum gratulati, quod graſſantibus licet morbis, uno plures navim conſcenderent; quippe Candidatus Societatis, quem noſtri in Paraquariam deportandum ſecum habebant, in amica illa ſtatione Religioſam veſtem acceperat.

Adverſis ventis rurſum jactati, Braſiliæ oram petere coacti ſunt. A Patribus Luſitanis ceu naufragi benigne habiti, poſt brevém moram navim ingreſſi, non ſolum cum ventis & mari, verum cum Sociis quoque navalibus luctati ſunt, navigationis non minus periculoſæ, ac diuturnæ tædio jam feſſis. Tandem poſt duos & viginti menſes, portum Boni aeris intrarunt. Pater Antonius e Collegio Boni aeris in Cordubenſe proficiſci juſſus, quatuor ſolennibus votis ſe Societati devinxit. Arctius hoc vinculum, quo ſe Matri ſuæ dulciſſimæ obſtrictum norat, ſummum incitamentum fuit Viro Apoſtolico ad agenda fortia, ac ardua perpetienda. Itaque majorem in modum obteſtatus Superiores, ut campum ſibi aperirent laborum & calamitatum feracem, ad oppidum Chiquitorum, nuper induſtria Patris Philippi Soarezii erectum, ac Divo Joſepho ſacrum, dimittitur. Summa rerum inopia hæc colonia, nondum annis adulta, premebatur. Antonius quidquid annonæ corradere potuit e vicino agro, in miſerrimos mortalium diſtribuit. Acceſſit alterum malum, familiare his terris, peſtilentia, qua uterque ſexus omnis ætatis laborabat. In iſtorum ſane laborioſo famulatu, tanta cum aſſiduitate, vigiliisque verſatus eſt optimus Paſtor, ut præ ſui corporis negligentia in gravem & periculoſum morbum inciderit. Morbo ipſo ſuperior, primis diebus nihil remiſit a priſtino ſtudio charitatis, quoad afflictis omnino viribus proſterneretur. Evigilarunt undique Sociorum curæ, ne tam ſedulo, tam præſtanti operario, in ipſo quaſi limine grandium operum, privarentur. Sed in ſterili, pauperrimoque ſolo, pharmacis atque omni fomento deſtituti (nam ſi excipias prædurum panem e radicibus Mandiocæ coctum, nihil omnino domi ſuppetebat ad refocillandas vires) ingenti ſuo dolore Virum longiore vita digniſſimum, præmaturo fato ſibi ereptum viderunt die I. Martii anno MDCCII.

Unum ſolabatur mœſtiſſimos Socios, quod heroa prorſus patientia, ac fortitudine acutiſſimos dolores pertulerit. Illud duntaxat queri auditus eſt: quod e cœpto curſu Apoſtolicorum laborum raperetur. Sed &

hunc

hunc animi æſtum ad leges Divinæ voluntatis compoſuit, ſeque, ſuosque committens DEI providentiæ, mortem in flore ætatis imperturbato animo oppetiit. Corpus elatum fuit inter pias Neophytorum lacrymas, deplorantium ſibi ereptum optimum Patrem, Doctorem, & Magiſtrum. Et vero paternam benevolentiam, Magiſtri & Doctoris officium, etiam poſt fata ſuis pupillis impendiſſe creditur. Cum enim aliqui Neophytorum, in oppido S. Joſephi a patriis epulis, & ebrietate abſtrahi, divellique nullo metu pœnarum, nulla induſtria Miſſionariorum ad eum diem poſſent, paucis a morte Antonii diebus, barbaros hos mores poſuerunt; quod luculentum beneficium precibus ſui Paſtoris jam in cœlos recepti, Neophyti ipſi attribuerunt.

Erat P. Antonius Fideli in ſuſcipiendis ad propagandam Religionem Chriſtianam laboribus pie temerarius, in perferendis ferreus, ut adeo creſcente etiam vi morbi, pedem non retulerit ex arena, quam ſemel ingreſſus erat. Sermone comis, plenus officii, laborum avidus, ſalutis alienæ ſtudioſiſſimus, agendi patiendique cupidus. Primus e Jesu Sociis, apud Chiquitos victima charitatis cecidit; primus florente ætate maturos laborum fructus tulit, primus denique agmen duxit familiæ, apud Chiquitos ſanguinem, vitam, & ſi quid his pretioſius cogitari poteſt, ſecuturis annis perlibenter daturæ.

P. JOANNES BAPT. NEUMAN
AUSTRIACUS VIENNENSIS.

Viennam Auſtriæ Auguſtam urbem, natale ſolum nactus eſt P. Joannes Bapt. Neuman. Elegantis ingenii, ac optimæ ſpei Juvenis, Pragæ Bohemiæ Metropoli Societati ejusdem provinciæ nomen dedit. Transacto Brunæ tyrocinio, literisque ſublimioribus rara ingenii commendatione exhauſtis, ut primum Sacerdotio inauguratus erat, toto pectore ſemet animarum ſaluti devovit; & ſi per eos, quorum ſub poteſtate vixit, liceret, Americanorum præprimis oras legere, ac luce Evangelica tenebras diſſipare in animum induxit. Haud diu dilata ſunt ambientis vota. Facta poteſtate in Americanum illum, tot Heroum ſudore & ſanguine irrigatum campum abeundi, feſtinatis terra, marique itineribus, in provinciam Paraquariæ feliciter pervenit. Mox operam ſuam locare juſſus apud Gvaranios, tanta prudentia, comitate, vigilantia partes optimi Paſtoris

apud

apud hanc nationem egit, ut Superiores viſis tot inſignibus animi ornamentis, eum præcipuis provinciæ muneribus in tempore admotum iri cenſerent. Interim qui Socios ſumma cum poteſtate Paraquarienſes moderabatur, ad annum milleſimum ſeptingenteſimum tertium eo porrexerat curas, ut per fluvium Paraquarium breviore via aditum aperiret ad Chiquitorum gentem. Huic rei perficiendæ ſenos præſtantis animi, atque in Gvaranio campo multum exercitatos pugiles, ac hos inter P. Joannem Bapt. Neumanium deligit, qui tanto animoſius hunc laborem ſubivit, quanto certior erat, non defuturam ſat amplam materiam & agendi, & patiendi.

Ergo die X. menſis Maji anni MDCCIII. in oppido Candelaria appellato, ſacer ille manipulus cymbas conſcendit, ac ſecundo Parana fluvio in Paraquarium devectus, urbem Aſſumptionis die ſecunda & viceſima Junii acceſſit. A Patribus Collegii & civibus amanter excepti omnes, vixdum recreatis viribus a permoleſta navigatione, die XXVI. Junii ſuas cymbas repetiere; cœptique operis tunc primum reapſe initium facturi, adverſo flumine Paraquario lentam navigationem proſecuti ſunt. Emenſis circiter quadraginta leucis, Payaguarum lintres ſecundo flumine deferri vident. A barbara, Hiſpanisque infeſta natione ne ſubito invaderentur, Superior expeditionis non abs re metuebat. In re ancipiti viſum eſt, ut benigno vultu, verborum blanditiis, munuſculis, videlicet vitreis globulis, æreis crepitaculis, aliisque id genus crepundiis, quibus mirum in modum capiuntur barbari, ad amicitiam primum, tum etiam ad ſtipendia Chriſti ſolicitarentur. P. Neumanius haud diu cunctatus, ſumpto in ſocietatem periculi Fratre Silveſtro Gonzalezio, non dubitavit barbaros propius accedere, amicitiamque Hiſpanorum pro viribus ſuadere. Sed oleum & operam perdidit apud ſuſpicioſos ac patriæ libertatis tenaciſſimos, quod non ignorarent, Hiſpanorum amicitiam, & commercium, plerumque in ſervitutem migrare; id quod ſuo malo, ut ajebant, didicere multi accolæ Paraquarii. Dimiſſo colloquio, munuſculis, quæ P. Neumanius partim in ripa fluminis depoſuit, partim arbori appendit, adeo barbarorum animi expugnati, captique erant, ut poſt paulo eum conſecuti, ſeſe advenis crederent, & iſtorum celoces inviſendi gratia conſcenderent. Nemo tamen, quod ſciam, amicitiam, vel Religionem Chriſtianam appetiit.

Pacatis utcunque Payaguis cœptæ navigationi inſtitere noſtri, inter quotidiana, eaque præſentiſſima vitæ pericula. Nam barbari ſæpe utramque ripam infeſtis armis inſederant, ac ſagittis, aliisque nocendi inſtrumentis infeſtarunt; ſæpe lintribus conſcenſis cymbulas noſtrorum aggreſſi, nautas, remiges, viæ ductores, quos in ſuo comitatu habebant, in orbem pugnare cogebant. Ab ipſis feris animantibus, terra & aquis imminentibus, dies & noctes nullæ omnino induciæ. Præter infinita culicum examina, noxia animalia quietem diurnam, nocturnamque turbarunt,

runt, plurimæque noctes metu tigrium medias inter aquas transactæ. Sed hæc pericula, & incommoda quoquo modo vitari, vel tolerari poterant; non item fames, quæ apud deſides & agriculturæ ignorantes barbaros alioquin domeſtica, Patres vexare cœpit. Quippe annona partim diuturna navigatione fere conſumpta erat, partim aqueo humore corrupta. Tot rerum incommoda P. Neumanius inprimis ſenſit, & accedente morbo diſſenteriæ ſuccubuit. Defluentibus in dies corporis viribus, tametſi in iis cibariorum anguſtiis ſolum triticum Turcicum, illudque nimio humore vitiatum ſupereſſet, tamen animo erectus, ac unice in ſalutem barbarorum intentus, nunquam de reditu verbum protulit, mortem oppetiturus potius in illa expeditione, quam ut ſui cauſa, cœpta navigatio dilatandæ rei Chriſtianæ perutilis interrumpatur. Ea animi fortitudine corroborati Socii, & ſpe impulſi breviorem ad Chiquitos aperiendi viam, navigationem aliquot diebus continuarunt. Verum cum ab infidis, & infeſtis nomini Hiſpano Paraquarii accolis, nihil certi de viarum compendiis extundi poſſet, fruſtrato conatu, omnique ſpe in præſens dimiſſa, verſis cymbulis ſecundo flumine iter relegerunt; illa cogitatione ſuum dolorem conſolantes: *infelicem dici haud poſſe laborem, quicunque ad ſalutem animarum, & majorem DEI gloriam extollendam ſuſcipitur; qui ſi nonnunquam ſucceſſu caret ſuo, præmio certe ſuo carere nunquam poteſt.*

Ærumnis navigationis creſcentibus, morbus quoque ægrotantis creſcebat; quo animadverſo Superior, celeriori navigio virum majoris DEI gloriæ altius extollendæ percupidum, ad urbem Aſſumptionis devehi juſſit. Sed morbo pertinaci attenuatum corpuſculum depaſcente, vix illatus in Collegium, poſt ſpatium unius horæ, morti perinde ac vitæ promptus, inque voluntate DEI penitus acquieſcens, vivere deſiit. Publicas exequias cives urbis Aſſumptionis frequenti numero cohoneſtarunt, ac morbum Fidei dilatandæ cauſa, ex inſolentia deterioris cibi contractum, mortemque inde ſine dubio ſecutam ſinceris laudibus extulerunt. Multi P. Joannem Bapt. Neumanium veluti Martyrii laureola inſignem in ea funebri pompa celebrarunt, quod in opere ad amplificandam rem Chriſtianam unice ſuſcepto, fatali morbo infeſtari cœperit, eoque conſumptus ſit. Illud certum: Virum Apoſtolocis artibus inſtructum, atque alienæ ſalutis ſitientiſſimum victimam obedientiæ fortiter cecidiſſe.

P. SI-

P. SIMON DE LEON

ANTEQUERENSIS HISPANUS.

DIvinæ gloriæ augendæ, animarum bono, & trium provinciarum decori natus eſt P. Simon de Leon die XXVIII. Octob. anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum trigeſimo, familia perinde Nobili, ac locuplete apud Hiſpanos. Hiſpali decurſo politiorum literarum ſtadio, pium ac ſalutare ad Societatem ſe aggregandi conſilium cepit. Morum elegantia, in literis felix ſolertia, non impeditum illi aditum patefecit ad S. Ludovici eadem in urbe tyrocinium. Illud peculiare habuit Simonis ingreſſus, quod ſecum duos adoleſcentes & genere & virtute & ingenio Nobiles, ſibique quam ſimillimos in eandem condiſcendæ Religioſæ vitæ palæſtram adduxerit, quorum alter Bæticam, alter Mexicanam provincias inſigni cum laude rexit. Abſoluto tyrocinio, & repetitis manſuetioribus Muſis, poſt ardentiſſimas preces tranſcriptus eſt provinciæ Paraquaricæ. In Americam aſpirante aura delatus, Cordubæ ſeveriores diſciplinas capaciſſimo ſuo ingenio exhauſit. Tertium probatus pro more inſtituti noſtri, commentatione cœleſtium rerum adeo exarſit, unam ut animarum ſalutem ſitire videretur. Ardebat reliquum vitæ tranſigere abjectus, in obſequio ultimarum nationum, quibus nullo unquam tempore rectus ad ſalutem æternam callis innotuit. At ejus ardentiſſima vota, obedientia ſancta morabatur, dum intra ſcholarum anguſtias, Philoſophicas, dein Sanctiores diſciplinas diſcipulis explanare juberetur. Et hæſiſſet in compedibus literarum annis pluribus, niſi ſiniſtra valetudo eas rupiſſet.

Igitur ad clavum admotus, domiciliis aliquot egregia prudentia gubernatis, Cordubenſes Socios regendos ſuſcepit, ſubinde omnes per Paraquariam ſparſos. Vix defunctus Magiſtratu, Viſitator Chilenſis provinciæ nominatur. Huic ſat arduis difficultatibus circumſepto muneri, cum ſe imparem cenſeret, ne Chilenſis provincia detrimentum caperet, ſi id muneris acceptaret; aut ſecus in leges obedientiæ peccaret, conſtituit alieno potius, quam ſuo judicio ſtare. Ergo Septem-Viris, ad quos majoris momenti negotia in provincia referebantur, ſuas rationes ſummo candore proponit. Iſti perpenſis omnibus, quæ in utramque partem facere poſſent, uno ore edixere: *e re Societatis Chilenſis fore, plurimumque acceſſurum gloriæ Divinæ, ſi decretam ſibi provinciam quam primum adiret.* Tum demum Vir priſcæ ſubmiſſionis plurium ceſſit ſententiæ, ac

ſine tergiverſatione ad Chilenſes profectus eſt Corduba, anno MDCXCIX. Poſteaquam negotioſum, ac inquietum Viſitatoris officium, omnium approbatione executus fuiſſet apud Chilenſes, perferuntur ab Urbe literæ anno tertio ſupra milleſimum ſeptingenteſimum, quibus jubebatur eidem provinciæ ſumma cum poteſtate præeſſe. Sed nimirum ea rurſus Viri modeſtia fuit, ut inducere animum non poſſet, quo ſeptuagenario jam major, laborioſo adeo muneri humeros ſupponeret, quin prius mentem exploraret provinciæ Conſultorum. Una omnium ſententia erat : *eum rectiſſime facturum, ſi voluntati Præpoſiti Generalis prompte acquieſceret.* Quo intellecto, victas dedit manus. Verum mors die XII. Junii anni inſequentis ſubſecuta, adminiſtrationem provinciæ interrupit.

Diuturno, eoque proſpero gubernandi exercitio P. Simonem de Leon eum jure dixeris, quem Superiores noſtræ Societatis documento ſibi ſumere poſſint, imitationeque exprimere. Suavitatem tam appoſite junxit vigilantiæ, nequid detrimenti diſciplina Religioſa caperet, ut plane Magni Parentis noſtri Ignatii artem regendi combibiſſe videretur. Si quos ab officii religione declinaſſe animadvertit, ut erat ſubditorum famæ perquam ſtudioſus, ſatis habuit eos in privatum alloquium accerſere, neglecti culpam officii, aut turpitudinem errati, verborum ſuavitate caſtigare; contumaces, ac impatientes diſciplinæ ſeverioribus pœnis coercuit, ac denique jugum proterve excutere molientes e Societate proturbavit, non ignarus ejusmodi homines ſanis cæteroquin membris peſtem afflare. Viros optimarum artium ſtudiis eruditos, igne Apoſtolico flagrantes, in animo, in oculis ferebat; miris extollebat laudibus, quos pro Societatis commendatione, bonoque animarum quidpiam egiſſe intellexit. Verbi Divini præcones identidem admonebat; *ut legatione ſibi credita ſtrenuiſſime fungerentur.* In regendis ſubditis mirabili artificio eſt uſus. Dabat inprimis operam, ut explorata eorum indole, id muneris aliis, atque aliis imponeret, in quod ſuapte natura ferebantur; haud neſcius, infauſtos plerumque exitus habiturum, quidquid reluctantibus, ac invitis animis tentatur. Singulorum vires, ætatem, geſta munia, ſibi in memoriam revocavit, ut officia recte, atque ex ordine partiretur. Deceſſorum authoritati conſulturus, magnopere adlaboravit, eorum ſtatutis ut fieret ſatis; ipſe in condendis novis admodum parcus; gnarus multitudinem legum in omnem Rempub. perturbationem invehere. Certe ut corporibus multitudo remediorum, ſic legum copia Religioſis domiciliis oneri eſt. Vim, pondusque obtineant potius antiquæ, ac bene conſtitutæ. Dum luſtraret poteſtate Viſitatoris Chilenſem provinciam, cavebat quam maxime, ne authoritatem Superiorum imminueret, quod ſapienter judicaret, eam ipſis perneceſſariam eſſe, quo liberius ſubditos officii commonefacere poſſent. Iſtorum petitionibus (modo integritas legum perſtaret) hilari vultu ſubſcripſit. Si quid negandum erat, ea moderatione negavit, ut ſubditi æquiſſimo animo ferrent, nemo ſine conſolatione abiret.

iret. Hac temperata agendi ratione, ſeu ſupremo jure provinciam, ſeu præcipua domicilia moderaretur, incredibile, quam omnium animos Pater optimus ſibi devinxerit.

Quam vero innocentem vitam vixerit, intellectum eſt ex Sacerdote noſtræ Societatis, Viro ſanctimonia & eruditione Paraquariæ noto, apud quem P. Simon ſuperioris vitæ nævos ſemel, atque iterum retexuit anno milleſimo ſeptingenteſimo ſecundo. Teſtabatur ille: Simonem integerrimam vitam, nulla graviore labe fœdatam in Societatem attuliſſe, eamque ad feram ætatem conſervaſſe. Erant, quibuscum plures annos in Collegiis traduxerat, qui ſancte affirmarunt: eum nunquam violatæ legis domeſticæ reum obſervatum fuiſſe. Illuſtre ſane teſtimonium, P. Simonem illibatam prorſus vitam duxiſſe. In animo nullis unquam vitiis corrupto, pronum erat naſci, ac creſcere pulcherrimas virtutes. Incenſum erga DEUM amorem ita fovit conſtanter, ut totus hoc igne ardere videretur. Mentem paſcebat aſſidua bonorum cœleſtium contemplatione, atque in hac feliciſſimus ille ignis adeo aliquando invaluit, ut pene impar Divinis ardoribus exclamare cogeretur: *Satis eſt Domine! ſatis eſt.*

Euchariſticum Numen ſubmiſſis genibus, quantum per occupationes licuit, crebrius adorabat, & non niſi invitus ab hoc gratiarum fonte avellebatur. Inde plenus Religione P. Simonis animus, nihil ardentius concupivit, quam ut fugatis errorum tenebris, barbari omnes DEUM unum & trinum probe cognoſcerent, eum colerent, amarent totis medullis; Chriſtiani, nominis ſui memores ad legem Evangelicam mores componerent. Ipſe devexa jam ætate, dominicis diebus cruce Servatoris armatus, in præcipuum urbis forum proceſſit, prima Fidei rudimenta puerili ætati explanaturus. Nonnunquam pro concione verba fecit, nervoſaque ac copioſa dicendi ratione, peccatores juris ſui tenaciſſimos ad meliorem frugem revocavit. Pro ſacro tribunali conſtans ſedit, ſummis tametſi muneribus occupatus. In itineribus, quæ certe longa ſuſcepit barbarorum cauſa, Apoſtoli partes ſedulus obivit. Miſſionarios, veluti præcipua inſtrumenta Religionis provehendæ, tenerrime complexus, pro viribus adjuvit.

Paupertatis cultor eximius, ſe ut pauperem haberi, tractarique in votis habuit. Veſte obſoleta, plicisque referta conſtanter utebatur. Spolia, quæ mortuus reliquit, præter inſtrumenta caſtigando corpori deſtinata, reperta ſunt nulla. Tam arcte cuſtodiebat oculos, ut eos nunquam in alterius ſexus defigeret vultus. Obedientiæ rigidus cuſtos, ad ſignum campanæ, ceu vivam Superioris vocem, *litera imperfecta relicta*, quo vocabatur, accurrit. Hæ tales, tantæque virtutes, innitebantur altiſſimæ ſubmiſſioni, quæ usque adeo familiaris fuit P. Simoni de Leon, ut de ſe & ſentiret, & loqueretur demiſſe; mirumque videretur Sociis, hominem cæteroquin perſpicaciſſimum, ſuas corporis, animique dotes ignorare, quibus a natura cumulate inſtructus erat. Delatus apud

altiores Superiores tacuit , tametſi innocens non leves moleſtias exhaurire debuerit. Rector Collegii ſeu Cordubæ, ſeu Boni aeris (nam utrumque lego) non ſuis coloribus Romana in Curia pictus, pro more ſuo repoſuit nihil. Cognita animi ab omni culpa vacui æquitate, præfectura Præſidis provinciæ ornatur.

Submiſſioni junxit invictam animi patientiam, ac affligendi ſui ſtudium. Quinque ſupra quinquaginta annis pertulit acutos corporis dolores, quin levamen quodpiam quæreret. Diuturni regiminis mole preſſus, nunquam ſuas partes alteri commiſit. Corpus cibi, ſomnique parſimonia exhauſtum, ingenioſis modis atterere perrexit, donec tandem in viſitatione provinciæ Chilenſis, defectus annis & viribus ad Collegium S. Jacobi deportatus, poſt brevem agonem animam egit anno MDCCIV. die XII. Junii. Regius Senatus, Clerus univerſus, totaque civitas, Viro de omnibus optime merito parentarunt. Apud ſuperſtites Socios ingens ſui deſiderium reliquit, obtinuitque ad hæc usque tempora *Angeli* nomen.

Finis Decadis Sextæ.

DECAS
SEPTIMA.

F. HENRICUS ADAMI ITALUS.
P. FRANCISCUS ROXAS HISP.
P. LUCAS CAVALLERO HISP.
P. HIERONYMUS DELFIN HISPANUS.
P. BARTHOLOMÆUS BLENDE BELGA.
P. JOSEPH. ARZE CANARIUS.
P. DIDACUS FRANC. ALTAMIRANO HISP.
P. BARTHOLOM. XIMENEZ HISP.
P. BLASIUS SILVA PARAQUAR.
P. JOSEPH. MASSO VALENTIN.

F. HENRICUS ADAMI
ITALUS.

E Romana provincia in Paraquaricam translatus Frater Henricus Adami, eadem prorſus induſtria & charitate officium Curatoris ægrorum, Cordubæ Tucumaniæ geſſit, qua olim Romæ in Domo Profeſſorum. Ut Patribus, qui barbaras inter nationes Evangelii dilatandi cauſa verſabantur, adjumento eſſe, & propiorem operam locare poſſet animarum lucro, homo ſimplex & apertus, repetitis ſine fine precibus poteſtatem obtinuit ad Chiquitos abeundi. Senſerunt illico Patres, præſente Henrico lacertis valido & impigro Fratre, decreſcere tædia laborum; nam & rem domeſticam curabat pervigil, & ægrotos, quoad liceret, adibat ſedulus, & neceſſaria ad vitam ſuſtentandam, in ſolo deformi, ſumma diligentia adminiſtrabat. Interea

terea provinciæ Paraquaricæ Præſes, veteres curas reſumpſit, detegendi commodiorem, ac breviorem viam ad Chiquitos; quod negotium biennio ante Gvaraniæ Apoſtoli, majoribus animis, quam ſucceſſu, ut nuper narravi, aggreſſi fuere. Placuit hanc provinciam non paucis periculis & difficultatibus obſeptam imponere P. Michaeli Yegros & F. Henrico, juſſis contendere ad flumen Paraquarium. Sarcinula in humeros elata, iter ſylvis & ſaltibus impeditum ingreſſi, recta eum locum petere cogitabant, ubi ſuperioribus annis P. Franciſcus Herbas crucem, noſtræ Religionis trophæum, ad oram Paraquarii defixiſſe dicitur. Verum tridui itinere confecto, ſeu errore viarum, ſeu ductorum fraude decepti, non ad ripam Paraquarii, ſed ad lacum peregrinis aquis tum temporis prætumidum, ſe perveniſſe advertunt. Inceſſit utrumque cupido explorandi loci, lacusque naturam, ea potiſſimum de cauſa, quod putarent vim illam aquarum non aliunde, quam a Paraquario flumine ſuum ortum habere.

Itaque octoginta leucas, humano præſidio nullo, nullo viatiatico inſtructi, per aſperrima loca emenſi, aperte vident, nominatum lacum Orientem & Auſtrum verſus perpetuis clauſum montibus, atque adeo ſuppetias nullas poſſe accipere a Paraquario. Tranſcenſis montium jugis, paludem repererunt leucis aliquot diffuſam. Hic rurſum nova ſpe impulſi ad Paraquarium pertingendi, ſedulo omnes margines, vicinaque loca explorant. Spe fruſtrati, in alteram multo vaſtiorem paludem offendunt, quæ perennes ſuas aquas duos inter montes Orientem verſus leni curſu evolvit. Hic enim vero læti conclamant: conatus ſuos præclare impenſos: Paraquarium haud procul diſſitum paluſtres has aquas perpetuo excipere. Retulerunt præterea accolæ: Mamalucos nuper per canalem illum ſuis navigiis in paludem penetraſſe, ac regionem hoſtilem in modum depopulatos fuiſſe; ex quo citra dubium confecere: paludis aquas in Paraquarium fluvium decurrere. At nec navigia aderant, nec celoces (canoas illic appellant) fabricari poterant circa paludem nudo ſolo, & materia maxime ſterili, ut ipſi explorare poſſent canalem. Ergo exhauſtis non plane incaſſum tot fatigiis, tot ærumnis, eadem, qua venerant via, ad oppidum S. Raphaelis poſt longam arduamque peregrinationem redierunt, attritis adeo viribus, ut Frater Henricus die vigeſima ſeptima Julii, anni MDCCV. ſupremum vixerit, Pater vero Michael Yegros valetudinem firmam nunquam recuperarit. Præterquam enim quod pedites in prærupta montium juga eniti, inſolito cibo famem, & aqua profluente, aliquando etiam paluſtri, ſitim levare cogerentur, eo anni tempore, quo reditum accelerarunt, torrentes & amnes vado ſuperare debebant. Tum multo imbre perfuſi, fame & algore confecti, aperto ſub cœlo, aut tecto agreſti recepti, inter media vitæ diſcrimina, nocturnam quietem egerunt. Hæc omnia Frater Henricus ſpartana patientia toleravit, viresque robuſtas in victimam obedientiæ magna animi voluptate obtulit.

P. FRAN-

P. FRANCISCUS ROXAS
HISPANUS MADRITENSIS.

PEculiari Numinis ductu in noſtram Societatem adlectus eſt Pater Franciſcus Roxas. Madriti in lucem editus die XIV. Maji anni ſupra milleſimum ſexcenteſimum trigeſimi quarti, & nondum nutricum ulnis exemptus, Patre ſat locuplete orbatur. Mater gente Belga, notæ pietatis matrona, morbo graviſſimo implicitum, nullumque vitæ indicium facientem, aræ Beatiſſimæ Virginis admovit, atque ejus honori & cultui devovit. Puerulus veluti e profundo ſopore ſibi redditus, frontem exporrigit, diſcuſſoque ſubito morbo, ubera cœpit repoſcere. Memor illa promiſſi, tenerum adhuc & cereæ mentis, materna prorſus cura ad Chriſtianæ vitæ virtutes fingendum, inſtituendumque ſumpſit. At Franciſcus nondum annum octavum ſupergreſſus, libertatem ſpirabat; literas, & domeſticum carcerem averſari cœpit. Cum paris ætatis literarum oſore dum crebrius, ac mater optabat, agit, in omnem petulantiam præceps ruit, nec rediit ad mentem infelici Socii exitu. Dum enim ille ferream fiſtulam huc, illuc puerilem in modum verſat, ac os fiſtulæ ori ſuo admovet, ea repente ſoluta, globulis plumbeis cum impetu erumpentibus, fœde dilaceratus, momento temporis funus fit triſtiſſimum.

Verum non ideo Franciſcus mores compoſuit, libertatis admodum amans, & matri ſuæ diſſimilis. Hæc multis in eo domando pertentatis, illud quoque adjecit, ut filium ad Archi-Præſulem Panormitanum mitteret, ſi forte procul a patria, ut corpus, ſic animus nova hominum conſuetudine mutaretur. Navim conſcenſurum monebat mater, conſcientiam ut expiaret, non ignara quam ancipitem & periculoſam in aleam ſe darent navigaturi Siculum mare, eo temporis a piratis inſeſſum. Salutaria dantem monita non reſpuebat modo, ſed ut ægrius eidem faceret, neſcio quem ludum comicum ad levanda navigationis tædia adornabat. Vix vela ventis dederant, cum continuo piratæ e Galliis oriundi, infeſti navim invadunt, commiſſoque tumultuario certamine expugnant. Franciſcus, quemadmodum nobilior cultus veſtium prodidit, bene numma-

tus, exorta inter piratas ob prædam rixa, diſtrahebatur infelix. Digladiantibus implicitus, non uno vulnere cecidiſſet, ni ſingulari DEIPARÆ favore, ut ipſe poſtea narrare ſolebat, ſervatus fuiſſet. Auro, omnique nobiliore ſupellectili exutus, pene nudus littori Lugdunenſi exponitur, ubi corrogata oſtiatim ſtipe, vitam miſerrimam vixit; tum in famulatu non multo lautiore fuit; tandem meliore fortuna Genuam appulſus, Panormum trajecit.

In aula Archi-Præſulis inter præcipuos clientes locum nactus, nondum completo duodeviceſimo anno, & ſanctioribus diſciplinis delibatis potius, quam exhauſtis, ſacris initiatur, atque in Collegium Canonicorum illius Eccleſiæ cooptatus, pertractandis *Cruciatæ*, & *Inquiſitionis Fidei* negotiis adhibetur, ut ipſo uſu ſacrarum legum notitiam combiberet. Occaſione iſtorum tribunalium ſemel atque iterum vitæ periculum adiit. Ergo partim metu perculſus, partim levitate animi actus, renunciata, quam favore magis, atque ſuis meritis indeptus eſt, dignitate, Hiſpaniam repetit, indeque inquies Romam ſe confert, novos honores quæſiturus, aut certe veteres, uti ſibi blandiebatur, jure obtenturus. In Urbe dimoratus, a Viro pietate & doctrina præſtante, poſt multam tergiverſationem permovetur, ut Sacerdoti e noſtra Societate animi ſui latebras, & ſuperioris vitæ noxas patefaciat. Peragit iſtud, ſumma tranquillitate conſcientiæ ſecuta, & ſe, ſuaque omnia eidem permittit. Interea in vaſta illa, disjectaque Urbe, incidit in popularem ſuum Michaelem Molinos, qui duobus & viginti annis fuco virtutis, & novitate doctrinæ, Romæ (quod mireris) omnino multis illuſerat. Franciſcus ne caperetur ſtultis opinionibus Molinoſii, ſolidam & fraudis expertem vetuſtatis doctrinam prudens reſpexit, averſatusque fraudulentum hominem, & ſpecioſos errores, moderatori ſuæ conſcientiæ conſtanter adhæſit.

Jam cœleſtia animo volventem, in Sacello Virginis DEIPARÆ, Sacerdos neſcio quis, amica voce alloquitur: *Noveris*, inquit, *mihi per quietem cœleſtem ſpeciem oblatam, qua vidi raptari te a malo dæmone ad cruciatus æternos, ſed cœli terræque Reginæ velo raptorem fugatum, teque poſtea alio habitu exteriore & loco conſtitutum.* Eam ſpeciem veluti præſentem ipſe ſuis oculis ſpectaret Roxas, terrore concuſſus, iterum, atque iterum quæſivit: quonam loco, quove cultu corporis vidiſſet? id præciſe repoſuit Sacerdos: *Bono cum DEO, quam ingredi cœpiſſet virtutum viam, conſtans inſiſteret, conficeretque; nec plura rogaret.* Exinde prorſus in alium hominem mutatus, abjecta ſpe honorum, & locuplete beneficio Eccleſiaſtico ſibi oblato, ſtatuit in Societate noſtra, animæ ſuæ ſalutem curare. Sed enim arbiter conſcientiæ, quocum animi ſui ſenſa conferre in more habuit, inconſtantiam ſui clientis, literis alioquin leviter tincti, veritus, præter opinionem obſtitit, edixitque ſine ambagibus: ne deinceps verbulum de ineunda Societate proferret. Hac repulſa minime fractus, congeſtis magno ſtudio ſacrorum codicum, ac SS. Patrum

trum ſententiis, cauſam ſuam provehere multo ſane tempore perrexit, nec videbatur inſtandi, rogandique finem facturus. Tum demum Candidati conſtantia everberatus, Aſſiſtentem Hiſpaniarum adit, ejusque vota expromit; at Paulus Oliva univerſi Ordinis Præpoſitus Generalis, re intellecta, a longa peregrinatione & tempeſtate, eidem Romani tyrocinii portum ad S. Andream aperit.

Cum nondum finem impoſuiſſet tyrocinio, in Romanum Seminarium Nobilis juventutis mittitur, Miniſtrum acturus; ſubinde in Collegium S. Franciſci Xaverii Neapolitanum (ubi Hiſpani Adoleſcentes pietate & ſtudiis inſtituuntur) eandem præfecturam geſturus. Mutato officio, Neapolim & adſita loca Miſſionarius percurſavit ingenti animarum fructu. Amplioribus intentus ſpoliis, ultra Europæ limites, ſtudium alienæ ſalutis proferre exoptavit. Miſſionem Indicam enixe petiit; cumque Superiores noſſent hominis indolem, Paraquaricam conceſſere, cæteris provinciis laborioſiorem & minus ſplendidam. Hiſpali & Gadibus, ubi dimorandum ei fuerat, tanto concurſu populi e ſuperiore loco verba fecit, ut qui ſecuturis annis dictiones Thyrſi Gonzalezii, poſtea Præpoſiti Generalis univerſæ Societatis, audiverunt, has cum Franciſci dictionibus componere ſolerent. In navigatione non jam ſcenico ludo, ut nuper, ſed omni charitatis officio, plenis prudentiæ, plenis ſalutis æternæ monitis, nautarum gregem ſibi demereri ſtuduit. E portu Boni aeris, poſt breve otium ad Gvaranicas Miſſiones profectus, decem circiter annos ſedulam navavit operam rudi, agreſtique populo. Præter impenſam rei Chriſtianæ per uſitata Ordinis noſtri miniſteria induſtriam, ad ſplendorem Divini cultus, ſacrarumque religionum multum contulit modulis muſicis, quam artem apud Gvaranios primus invexit, & inſtituta ſchola propagavit olim P. Joannes Vaſæus, at jacentem, neglectamque P. Franciſcus Roxas priſtino flori reſtituit. Elementa Fidei parvulis, natu grandioribus ſacros ſermones e ſcripto recitavit, quo tarditatem ingenii ſui, ac lentam memoriam Sociis palamfaceret; quod tamen ſui deprimendi cauſa factitare cum domeſtici, tum exteri probe noverant vel inde, quod in familiari ſermone, Gvaranica lingua expedite ac perbene loqueretur, nec a propoſita ſibi ſententia aberraret.

Volupe ei erat dies, noctesque traducere inter truces barbaros, nondum jugo Chriſti aſſuetos; horum ille agreſtes & ruſticos mores non ſolum patienti, ſed jucunda etiam mente ferebat; Neophytos tanquam filios ſuos in Chriſto genitos amore complexus, omni, qua poterat, ope adjuvit. Illi mutuo ſuum Paſtorem, a quo plus quam paterne ſe diligi ſentiebant, veluti parentem, & rerum ſuarum amantiſſimum curatorem venerabantur. Sed Franciſcus ad Chaquenſes barbaros ab omni Chriſtiano paſtore, ac nuncio ſalutis æternæ deſtitutos, expeditionem meditabatur. Verum ea provincia P. Joanni Antonio Solinas, cujus memini in ſexta Decade, decreta erat, Franciſco apud Gvaranios ſuos juſ-

ſo ſubſiſtere; quod imperium pacato animo accepit, auditaque nece Patris Solinas odio Chriſtianæ legis a barbaris illata, illud præciſe addidit: *Æquiſſimo DEI judicio factum, ut Vir ille Apoſtolicus Martyrii palmam conſequeretur in præmium demiſſionis animi; ſibi negatam, in pœnam ſuæ arrogantiæ.*

Quoad vixit in Gvarania, veſte utebatur ex iisdem filis goſſypii, e quibus Neophytorum veſtitus confici ſolet, ut adeo ipſius habitus vulgaris eſſet, nihilque a privato Neophytorum abhorreret. Mirus corporis domitor, ſeveras afflictationes ſibi impoſuit, ut errantibus inter cæcæ ſuperſtitionis noctem barbaris, propitium redderet DEUM ad lucem Evangelicam impertiendam. Legum noſtrarum integritatem, usque adeo cordi habuit, ut neque caſas Sociorum ingrederetur, niſi obtenta prius a Superiore poteſtate, aut inſtante graviore neceſſitate. Oppido Præfectum tanquam ſuum Superiorem omni humanitate colebat. Gratulabatur plurimum, quod nulli affixus coloniæ, pro arbitratu ſeu Sociorum, ſeu Superioris jam huc, jam illuc pro ratione rei Chriſtianæ dimitteretur, campumque hora omni apertum ſibi videret, obedientiam exercendi ac DEI gloriam dilatandi. Nempe inſtrumenta DEI ſunt homines Apoſtolici, tanto utiliora, quanto motori ſuo per obedientiam junctiora. Hoc promptiſſimum obediendi ſtudium auxit acutus dolor capitis, quo affectus erat, dum Superiori ſuadenti magis, quam imperanti, ut Gvaranios ad bellum profecturos Sacramento pœnitentiæ expiaret, tardiorem ſe præbuit, religioni ſibi ducens interrumpere Miſſionem, quam bono cum fructu inchoaverat.

Libros idiomate Gvaranico ſua manu deſcripſit, ut Socii ex Europa advecti, primis ſtatim diebus rudimenta Fidei, aliaque ſive ad Religionem propagandam, ornandamque, ſive ad mores Gvaraniorum pertinentia, ex his fontibus poſſent haurire; quos ille libros Miſſionariis, agrum Gvaranicum ingredientibus dono dedit. Alias e cerata tela conficiebat certum tegumenti genus, quo Apoſtoli illius regionis uterentur, ad arcendas pluvias aquas; item latiores pileos adverſus ſolis ardores. Sic ille otii oſor acerrimus & oviculis, & paſtoribus per omnem vitam prodeſſe contendit. Fatiſcente ætate ſortem ſuam deploravit, quod virium defectu veterem illam arenam, ea, qua vellet, alacritate non poſſet terere. Ultimis vitæ annis, ſiccitate in rebus Divinis animo tractandis erat vexatus, perſtitit nihilominus in quotidiana rerum cœleſtium contemplatione. Pietatem erga Beatiſſimam Virginem ſuis Neophytis impenſe commendare conſuevit, tantoque cultu eam ipſe venerabatur, ut facile filium agnoſceres. Etiam dum liberiorem ſectaretur vitam, nullo non die ſolitas preces ei perſolvit. Iconem illius æri incidi curavit, ac liberali prorſus manu in vulgus ſparſit. P. Balthaſar de Loyola, Mauritaniæ Regis filius, crebriores ſermones cum P. Franciſco habuit, quod ſentiret ſe ejus alloquio ad amorem Marianum inflammari. In extremo morbo cum circum-

cumſtantes audiret colloqui de laudibus DEIPARÆ, & ipſe aridis jam faucibus vocem nullam proferre poſſet, cultellum ſuo corpori admovit indicare volens: ſe libenter vitam cum ſanguine profuſurum pro illius honore. Obiit anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexto, menſe Auguſto, ſpiritualium Coadjutorum gradum adeptus.

P. LUCAS CAVELLERO
HISPANUS VILLAMEARIENSIS.

Caput Primum.

In Paraquaria munus Apoſtolicum apud varias nationes exercet.

Pater Lucas Cavellero, quod inviſam, ingratamque barbaris doctrinam prædicaret, cruenta morte ſublatus, ad Beatorum domicilium evocatus eſt. Sed antequam evocaretur, trito illo, ac vulgari Viris Apoſtolicis calle ductus, *multum ſudavit & alſit* in vaſtiſſimo illo Paraquariæ campo, quo jam mihi ſeducendus Lector, ut res ab eo geſtas penitus perſpectas habeat. Cordubæ Tucumanorum decurſis diſciplinis tum Philoſophicis, tum Theologicis, factus Sacerdos, mox in circumjectos agros procurrit, ac Hiſpanos & Indos Chriſtianos, uſitatis Sacramentorum & concionum præſidiis ſedulus confirmavit. Adjecit præterea animum, vagos, ac cum ſuis familiis errantes, unum in oppidum cogendi; at majori conatu, quam fructu. Ergo pulvere pedum excuſſo, ad Chiriguanos ſe confert. Bienno toto cum hac pervicaci gente colluctatus, apud coloniam Auguſtæ Matri DEI, a Guapay dictæ, conſecratam, ſtationem fixit; demum nullo operæ pretio facto, a Primoribus gentis cogitur ſolum vertere, quod more ſuo confingerent: Miſſionarios non aliud agere, quam ut miſeros Indos in oppida pellectos, crudeliſſimis Mamalucis, aut Europæis non multo mitioribus Heris, in ſervitutem tradant, venalesque proponant. Eſt hæc natio admodum numeroſa, orginem trahens a Gvaraniis, ſuperſtitionibus patriis adeo pertinaciter dedita, ut multorum operam perſæpe jam luſerit, nec ullis calamitatibus irato cœlo immiſſis frangatur. Igitur ad Chiquitos, qui poſita feritate pedetentim

Evangelio acceſſerunt, iter capeſſit. Ad demerendas eorum voluntates, multum valuit charitas P. Cavelleri, quam in oppido Divi Xaverii, graſſante longe, lateque peſtilenti lue, languentibus impendit. Nullam ille quidem prætermiſit induſtriæ partem, qua prodeſſe miſeris poſſet. Diu, noctuque obibat Neophytorum tecta, omnibus remedia corporis, animæque circumferebat, nulla laboris intermiſſione, ut adeo morbum ipſe contraxerit. Quo proſpere depulſo, & mitigata jam peſtilentia, Chiquitos per ingentes ſylvas temere ſparſos luſtravit, ac ad civilem vivendi normam, nunc ſuavi oratione, nunc munuſculis, quibus rudes oculi capi poſſunt, cum inſigni acceſſione rei Chriſtianæ traduxit. Duravit Viro patientia inter quotidianas hominum, ferarumque inſidias, tametſi a Superiore objurgaretur, quod ſe ultro in tam aperta diſcrimina conjiciat.

Ad annum milleſimum ſeptingenteſimum quartum, uberior meſſis obvenit apud Puraxes. Populus iſte in vaſta nemora ſemet receperat metu ſervitutis, quam quidam Europæorum turpi avaritia ſtimulati machinabantur. Equidem Patres ad cuſtodiam ſui gregis in Americanis partibus vigiles excubabant; vim apertam arcere, inſidias detegere, fortunas & libertatem a raptoribus tueri, nervis omnibus contendebant: nihilominus accidit interdum, ut vis, & doli, præſertim indulgentia, vel auhtoritate Præfectorum ſuffulta, prævalerent atque miſeros tanquam mancipia vindicarent ſibi, cum eorum uxoribus; ac a ſuis pagis abductos facere opus nulla mercede cogerent, & (quæ eſt indoles avaritiæ ſemper avida, ſemper egens) nonnunquam pretio venderent. Hæc vetus materia, & litium ferax, noſtræ Societati non ſemel ingens odium conflavit, turpesque Mangones eo impulit, ut apud utramque Aulam, Miſſionarios incuſarent de immenſis opibus ærario Principum ſubtractis, deque Regia prope poteſtate dominandi in Neophytos. Crambem iſtam noſtra quoque tempeſtate recoctam ſcimus. Sed quidquid ſit de hoc: Puraxes communi injuria *ſervitii perſonalis* exulcerati, libertatem in ſilvarum abditis quæſivere. Ad hos inveſtigandos progreſſus P. Cavellero, in ipſo itinere Mangonem reperit cum globo armatorum, novis ſpoliis inhiantem. Hic pro imperio ſuo, jubet Patrem iter relegere, ni vinculis conſtringi vellet. At Miſſionarius quaſi comiter ſalutatus, ſalutem reddit, viæque difficillimæ inſiſtit; indignum videlicet ratus eo Chriſti militem nolle pervadere, animarum liberandarum cauſa, quo prædones, quo mancipiorum Mangones, ad abripienda in ſervitutem corpora, ſpretis difficultatibus perrumpere nituntur.

Repertos in intimis ſilvis Puraxes ſuavi oratione demulcet: ſe non ad imponendam ſervitutem, ſed ad ipſos in libertatem filiorum DEI aſſerendos veniſſe: imo id agere ut vincula, quibus alligati Dominis impotentibus tenebantur, ſemel abrupta, nunquam inpoſterum induant. Quo ſermone delinitos, ſibi obſequentes habuit. Multos, qui jam olim Chri-

Chriſtiana ſacra amplexi erant, in iisdem confirmat, multos, cum adultos, tum infantes Fidei Sacramento donat. Unum angebat miſeros, quod annum præter modum aridum & æſtuoſum ſentirent, nec haberent ſpem meſſis, niſi pluviæ agrum areſcentem irrigarent. Orarunt proinde ſupplices ſuum Paſtorem: impetraret pluviam. Ardoris & fiduciæ plenus demittit ſe in genua cum Neophytis; vix cœperant orare, cum nubes largiſſimum imbrem effudere. Lætis vocibus ſilva omnis perſonuit; lætitiam reſtituta præter ſpem uberior meſſis auxit, & novellos Chriſtianos in ſuſcepta Religione firmavit. Felicibus his cœptis interceſſit memoratus Mango, qui ad Puraxes delatus, ſolitis artibus Neophytos, ſuos in caſſes pellicere, ac Patrem in odioſam ſuſpicionem Hiſpanæ ſervitutis, apud ſimpliciores vocare moliebatur. Cum parum procederent doli, in minas erupit: *effecturum ſe, ut catenis oneratus ad Prætorem S. Crucis a Monte, quam primum deportetur.* Cui Pater: *Ecquid bone dicturos putas cives S. Crucis, ſi viderint Religioſum ſua per compita raptari vinculis conſtrictum, eo duntaxat nomine damnatum, quod infidelibus Chriſtum annunciaverit? ſciret interim non deeſſe Regi Catholico Miniſtros in Paraquaria, qui DEI, & Eccleſiæ injurias celeri & juſto ſupplicio vindicare poſſint, ac velint.* Nec ultra minas proceſſum. Abacto Mangone, ſtrenuus animarum cultor ſuos Puraxes adverſus præſtigias ariolorum, quorum inter barbaros ingens numerus, præmunivit. Sub idem tempus adduxere Puraxes adoleſcentem e natione Manacicarum, qui ruptis concubia nocte vinculis, Mangonis avaritiam deluſerat, ſeque trepidus ad ſtationem eorum receperat. Mirus amor Religionis Chriſtianæ in adoleſcente. Probe inſtitutum ſacro latice tingit Pater, & Didacum appellat, perpetuumque viæ comitem deinceps habuit. Tam flexa, tam prona indoles in ſacra Chriſtiana, ſpes ingentes excitavit in Patre Cavellero, omnem gentem Manacicarum ad ſalutis callem non multo labore perducendi.

Nec diu moratus, iter apparat, quo tantæ ſpes alliciebant. Oravit Zuriquius, Puraxium Princeps, abiturientem, adiret Arupores in agro vicino poſitos, eosque ad pacem & Religionem amplectendam invitaret: ſe cum delectis aliquot ſuorum ducem itineris, corporisque cuſtodem fore; id ſi abnuat, Puraxes in ultimas terras migraturos, quo Europæorum tyrannidem effugiant. Perſuaſit Caſiquius. Statim in principio octoginta parvulis gratiam baptismi contulit; adulti etſi idem beneficium efflictim peterent, tamen ob innatam barbaris inconſtantiam, in longius tempus dilati ſunt, quoad uno oppido cum Puraxibus concluderentur. Inde digreſſus, ſparſas hinc illinc per ea deſerta, barbarorum familias adiit. Continuatus labor adeo laſſavit pium operarium, ut incommoda valetudine febris emerſerit; qua dies aliquot acerbe vexatus, omnique humana ope deſtitutus, in medio campo ſub opaca arbore jacebat. Ad extrema pene deductus, conceptis verbis votum edit: iturum ſe ad Manacicas Evangelii promulgandi cauſa, ſi febris decedat. Atque, ecce

tibi!

tibi! continuo & febris remittere, & dolores omnes elangueſcere cœperunt. Quo cognito: adfuit gentis Caſiquius Pou, cum carnibus gallinæ, more barbaro coctis, ac ſuo, ſuorumque nomine valetudinem redditam multum gratulatus eſt. At ſimul amice monuit: ne Manacicarum gentem Chriſtiano nomini infeſtam adiret; eſſe ipſorum agrum præacutis obſeptum ſentibus, Hiſpanos non una ſuorum clade repulſos, nunc ira ſimul ac recenti dolore ſtimulatos (nempe Hiſpani interceptos aliquot Manacicas lenta morte interfecerant) bellum meditari. *Et qua demum arte*, ajebat Caſiquius, *ſubjugabis mi Pater armatorum manum?* Tum iſte: *hac*, inquit, *armatus cruce, armatos debellabo: hoc ſcuto protectus, tela hoſtium non metuo. Cœli, terræque Conditor ad Manacicas me proficiſci jubet; ſtat fixum, DEI imperium ſine mora exequi. Vobis ſi deſint animi mecum proficiſcendi, per me licet in veſtris mapalibus otioſa fronte conſidete; ſi lubet ſequi præeuntem, capitis mei periculo omnem cladem a vobis avertam.*

His animati Caſiquii, promiſerunt ſe duces itineris & pacis componendæ cum hoſtibus arbitros & fidejuſſores fore. Antequam in viam ſe committerent, Caſiquius Pou ſuos per nemora ſparſos in unum collegit, quo minori fatigio Miſſionarii, legem Evangelii perciperent. Infantes illico Sacramentum Fidei accepere; adultis delectu habito perpaucis hoc beneficium conceſſum eſt, quod inſtabiles, & ſententiam, uti domicilium, mutare ſolerent. Sublatis impietatis monumentis, ac idolis afflictis, puro & aperto loco crucis vexillum P. Lucas gratulabundus conſtituit. Neophyti in genua provoluti, trophæum Chriſtianæ Religionis inſigni pietate venerati ſunt; ad impetrandam pluviam, æſtuoſo & ſicco cœlo, agris perneceſſariam quot diebus preces fuderunt. Innubis aer nondum auditas preces ſignificabat. Ea occaſione uſus P. Lucas, ſevera oratione expoſuit: iratum ipſis cœlum obſurduiſſe, propter injurias Tapacuris & Manacicis ſuperioribus annis illatas, nec imbres largiturum, niſi poſita inimicitia, pacis ſtudia, fœdera, & jura gentium in poſterum amplecti, ſerio apud animum ſuum conſtituant. Vicit orator; ſecuto mox largiſſimo imbre.

Cœleſti beneficio recreati, Caſiquii cum lecto armatorum manipulo abeuntem ad Manacicas comitantur. Iter plurium dierum erat aſperrimum, per denſa nemora. Ubi perventum fuit ad fluvium Arubay, aliis Zuquiberiqui appellatum, Puraxes non exigui timoris ſigna dederunt, viſo omnem viam, qua penetrandum erat ad Manacicas, novo munimenti genere, ſpinis videlicet ac ſentibus ex induſtria conſitis, eſſe impeditam, authoresque erant Miſſionario, ut de reditu cogitaret. Verum Caſiquius Pou firmioris animi, ſuos cohortatus haud ſine magna vexatione viam primus aperuit, atque ad ultimum ſepimentum pervaſit; quo ſuperato, vident interiora loci cadaveribus ſtrata, caſas recenti incendio deletas. Lucas obfirmato in omne periculum animo, duobus duntaxat Sociis,

ciis, Didaco, de quo nuper memini, & Caſiquio Pou ſtipatus, Manacicas haud procul inde conſidentes accedit. Barbari conſpectis advenis, muliebrem turbam cum parvulis in interiora ſylvarum recedere jubent, ipſi torvo vultu occurrunt, clavasque & arcus expediunt. Didacus populares ſuos admonet: non bellum parari, ſed pacem quæri, adeſſe Sacerdotem novæ Religionis, ut ſaluti æternæ Manacicarum conſulat. Pauca ſubjecit Sacerdos de uno, ſupremoque Numine, de diſciplina Chriſtiana, de moribus, & humanitate, ad quam ipſa nos natura finxit. Audivere barbari dicentem, & ſermonis veritate, dicentisque confidentia permoti, ab omni injuria abſtinuerunt. Nutantes demum perpulit Puraxium Caſiquius, qui elata Chriſti Servatoris icone, veteres hoſtes amiciſſimis verbis ad legem Chriſtianam invitabat. Uno veluti momento fracti barbari, ſe, ſuosque in diſciplinam tradunt Miſſionario. Placuit inprimis fœdus ſancire Puraxes inter & Manacicas; tum præaltam crucem in colle eminenti erigere, ſacellum excitare, ubi incruenta hoſtia litaret, avidosque novæ Religionis doceret. Didito adventu peregrini Sacerdotis ea in loca, continuo advolarunt eatenus ignotæ gentes, Curucarecæ, Zoucæ, Soſiacæ, Iritucæ, & Zaacæ. Omnes iſtæ, mutuo data, acceptaque pace, de Chriſtianis legibus amplectendis, una mente & voce conſenſere.

Sed jam dies imbribus fœdi, iis regionibus imminebant. Idcirco ne aquarum inundatio iter intercluderet, Puraxes reditum maturarunt. Manacicæ inter pias lacrymas, atque ſuſpiria abeuntem Miſſionarium proſecuti fuerunt, orantes ut anno inſequenti filios ſuos in Chriſto partos reviſat. Paucis poſt diebus agrum Manacicarum, infeſtis armis petierunt Zibacæ, Hiſpano juxta ac Chriſtiano nomini perquam infenſi. Conſpiraverant iſti Duce Mapono, qui præſtigiatorem potius, quam ſacrificulum apud cœcum hunc populum agebat, in necem Miſſionarii, ejusque ſociorum. Cum deſperarent occupari eos poſſe in via, mutato conſilio in Manacicas arma ſtringunt. Verum Chabi Manacicarum facile princeps, ſuos pariter in aciem educit, feſtinatisque nuntiis ad vicinos populos, quibuscum nuper pacem ſanxerat, ut ſuppetias venirent, Maponum oſtentato ſolo armorum terrore, citra prælium in fugam avertit, tanta celeritate, ut ne quidem ligneam crucem, quod meditabatur, deturbare potuerit. Pœna facinoris meditati non tardo pede ſecuta eſt: namque Maponum, & non contemnendum numerum Zibacarum peſtifera lues abſumpſit. Cadavera adultorum atro colore, veluti flammis uſtulata, infecta apparuerunt; cum contra parvulorum, nihil nativi candoris in morte amiſerint.

Ad coloniam D. Xaverii redux, novo ardore perditos barbarorum mores evellere aggreſſus eſt. Ebrietati, libidini, & magicis artibus aſſuetos, partim ſuavi, eaque quotidiana cohortatione, partim terrore pœnarum, a patriis vitiis avocavit. Oppidanos in planitiem, ſoli amœ-

nitate & feracitate, humanæ vitæ uſibus percommodam tranſtulit, eo ſucceſſu, ut nonnulli barbarorum loci opportunitate pellecti, numerum incolarum auxerint. Plures procedente tempore deſertis ferarum ſpelæis, in ſocietatem vitæ civilis coiverant, ſed non niſi ingenti fatigio Miſſionarii. Adeo barbaris qualibet alia commoditate dulcior erat vagandi licentia, & nullis legibus adſtricta vita, cui a primis annis inſueverant. Menſe demum Decembri decreſcentibus aquis, remotiora loca cum fida Neophytorum manu luſtranda ſuſcepit. Longum foret ærumnas, quibus identidem in itinere conflictabatur, enarrare. Siti aliquando prope enectus in ſolo ſicco & ſterili, reperit in trunco deſectæ arboris tantum humoris, quantum ſatis erat ad ſuam, ſociorumque ſitim relevandam. Ex inſolentia cibi, potusque, tam gravi præterea morbo infeſtari cœpit, ut aliena ope equum inſcendere cogeretur. Forti nihilominus animo iter urgebat, ſpe non dubia, uberem animarum meſſem ſe facturum inter barbaras nationes. Nec ſecus evenit, ac ſperaverat. Ad Zibacas delatus, quos non ita pridem peſte caſtigatos docuimus, (eam cladem ab irato dæmone eſſe immiſſam, ſibi omnino perſuaſerant, quod minori apparatu litaſſent, ac alias ſoliti erant) Caſiquium gentis, Patozium nominatum, pronum in Chriſtianam Religionem invenit. Hujus potiſſimum opera Maponi nuper peſte ſublati filius, cum ſuis popularibus legem Evangelicam accepit. Mox omnes proſtrati coram icone JESU Chriſti alta voce ingeminarunt: *Domine JESU, tu es Pater noſter! Sanctiſſima MARIA, tu es Mater noſtra!* Addidit Lucas, inſatiabili gaudio perfuſus, repetitis vicibus: *Domine fac, ut te cognoſcant omnes.* Ex his non pauci a Puyzocis ferociſſimis barbarorum trucidati, Fidem quam profeſſi erant, ſuo ſanguine confirmarunt.

Rebus compoſitis, ad Quiriquicas, populum cultui dæmonum præ cæteris addictum, proficiſcitur. Placuit Patozio locorum gnaro, Patrem comitari cum aliquot armatis præſidii cauſa. Hos etiam, atque etiam admonuit: *telis ne uterentur, ſi barbari e vallium latibulis prorumpentes vim inferre vellent, ſe libenter imbrem ſagittarum excepturum pro Chriſti nomine.* Plurium dierum iter emenſi per ſolum ſterile, famem ſentire cœperant. Neophyti, Patris potius, quam ſui cauſa ſoliciti, nullis fatigiis pepercerunt, quo aliquid ferarum, aut radicum conquirerent ad eum recreandum. In agrum Quiriquicarum eluctati, exiſtimarunt nonnulli, ſilentio noctis ad eorum mapalia accedendum eſſe, ne videlicet dies, hoſpitum adventum barbaris prodat, arma haud dubie oppoſituris. Non probavit conſilium Patozius propterea, quod ipſe ante ſuſcepta Chriſtiana ſacra, familiariter uſus dæmone, multa ex eo didicerit, quæ ſcire collibuiſſet, de Hiſpanorum in Paraquaria dilatato dominatu, & aliis id genus rebus, quæ in diſſitis etiam terrarum partibus gererentur; de amicorum negotiis & inimicorum, illis ut faveret, his ut noceret; ſe minime ambigere, tartareos ſatellites jam patefeciſſe adventum

Sacer-

Sacerdotis Chriſtiani, atque ſolitas artes exprompſiſſe, antiquam ut retinerent poſſeſſionem. Et reapſe dæmon *Carozius* appellatus, qui in fano Deorum præ cæteris ab rudi plebecula colebatur, ſuam, ſociorumque ſortem multis antea diebus deflevit, ac opem adverſus Sacerdotem advenam a ſuis cultoribus poſtulavit. Miratus triſtes nænias Quiriquicarum Caſiquius repoſuit: *Si Dii eſſent, uterentur, quam toties jactabant, potentia, atque miſerum homuncionem parva armatorum manu ſuccinctum, pro ſua poteſtate finibus Quiriquicarum prohiberent.* Sed hanc melioris mentis ſcintillam cœcus ſuperſtitionis amor in Caſiquio ſuffocavit. Ad arma concitato populo, Miſſionarium cum Patozio & duobus Neophytis advenientem, illico circumdat, & intento ferociter arcu necem minatur, ſi porro pergeret. Reliquam multitudinem jubet cingere Patris Socios tardiore gradu procedentes. In hoc præſentiſſimo mortis diſcrimine, unus Neophytorum iconem B. Virginis affabre elaboratam, hoſtibus ſpectandam objicit. Res mira! barbari, ceu vires & artem ſagittas emittendi perdidiſſent, ingenti terrore perfuſi, præcipitem fugam arripuere in interiora ſylvarum.

In pagum ab incolis deſertum progreſſus, altero die delubrum petiit. Viſebantur hic aliquot cacodæmonum ſtatuæ, vultu, totoque exteriore habitu magis etiam, quam apud Europæos pinguntur, fœdo & horribili. Has illico evertit, atque comminuit; neve ſuperſtitionis veſtigium ſupereſſet, cum omnibus ornamentis in medio pagi vindicibus flammis abſumpſit. Poſt triduum, fugitivorum Caſiquius Patrem convenit eo ipſo tempore, quo Sacerdotale penſum perſolvit. Homo ſimplex & ſtolide ferox, librum ſacrarum precum e manibus extorquet, arbitratus ſe nuper in fugam conjectum magicis carminibus, ex eodem libro depromptis. Egit Pater pro viribus, ut hunc errorem ei eximeret; ſimul aperit, ſe idcirco ex Europa immenſo terrarum tractu veniſſe, ut cœleſtem doctrinam annunciet, ſempiternæ ipſorum ſaluti conſulat. Pauca ſubjecit de uno, & ſupremo Numine, deque cultu inannium Deorum, quos Quiriquicæ *Tinimacas* communi vocabulo nominare ſolebant. Nihil motus barbarus, arrepto faſce uno ſagittarum, ſe in nota latibula conjecit. Neophyti, Lucæ comites, velut certamen præ foribus eſſet, arcubus contentis ad pugnam accincti ſtabant. Metum omnem diſcuſſit Sonema, unus e Quiriquicis, qui in pago perſtitit, ac partim blanditiis, partim munuſculis captus, ſe in diſciplinam Miſſionarii tradidit. Hujus Sonemæ opera uti placuit in expugnanda feroci natione. Mittitur ad ſuos populares cum munuſculis, videlicet annulis, cultellis, gemmis vitreis, quæ chara barbaris, ac pretioſa; narrat, quam benevole a Sacerdote, ac liberaliter habeatur: ejus placidos mores, humanitatem, & facilitatem multis commemorat. Læti, & inemptis muneribus ditati, aures dicenti accommodarunt. Nempe & apud fera pectora manſuetudo Chriſtiana ſuum pretium obtinet, miraſque ad conciliandos animos illecebras habet. Mox ca-

capita conferunt: placet omnibus, lares deſertos repetere, atque novo Sacerdoti morem gerere. Agmen redeuntium clauſit Caſiquius cum ſua familia. Hic proſtratus, illacrymans veniam erroris petiit; palam profeſſus, ſe eatenus erraſſe, ac ducem errantium fuiſſe; ſpopondit ſe legem Chriſtianam ſincero animo amplecti, ſuaque induſtria effecturum, ut eadem ad Cozocas, Quimiticas, aliasque nationes perferatur. Coalita pace, myſteria Religionis noſtræ explanare aggreſſus eſt P. Lucas. Parvulis ſtatim baptismum impertivit; adultis ob mentis inconſtantiam, ſpem duntaxat hujus beneficii dedit; præaltam crucem in ſignum triumphatæ ſuperſtitionis in medio pagi ſuſtulit. His cum ingenti rei Chriſtianæ acceſſione feliciter actis, ad Manacicas iter flexit.

CAPUT SECUNDUM.

Alios, atque alios populos adit; Coloniam Conceptionis B. V. condit; occiditur; ejus natales.

DIe itaque quarta Auguſti, anni ſeptimi ſupra milleſimum ſeptingenteſimum, ad novam meſſem feſtinavit, adhibitis aliquot Neophytis, qui non ſolum commonſtrarent viam inter vaſta inculti & ignoti ſoli ſpatia, nemoribus aſpera, montibus abrupta, fluminibus interciſa, verum etiam qui prægreſſi ad caſas barbarorum (ut plerumque facilius convenit inter ejusdem gentis homines) emollirent aditum Miſſionario, & mentes eorum præpararent. Die feſto in cœlum aſſumptæ Virgineæ Parentis, ad ripam fluvii Zununaca reperit Zibacas cum ipſorum Caſiquio. Hic piſces ſole induratos ſat liberali animo Patri obtulit, ac repurgata celeriter via, inter ſigna lætitiæ, triumphanti ſimilem in pagum deduxit. Egit inprimis Vir Apoſtolicus, ut pax confieret cum Ziritucis, quos Zibacæ diu, multumque armis infeſtarunt. Explanavit dein ſinceræ Religionis diſciplinam, Tinimacarum hoc eſt: dæmonum fraudes, odia adverſus genus humanum, veris coloribus expinxit; utque omnia facilius memoria retinerent, præcipua Fidei rudimenta, leges, ſalutaria monita, in verſus redegit, deſignatis melioris indolis Neophytis, qui eos ſtatis diebus in Sacello multitudini præcinerent. Hac arte Religionis arcana, illectis cantus voluptate auribus, animisque, feliciter inſtillavit. Multo proniores in ſacra Chriſtiana reddidit ſuos populares ejusdem loci incola, qui diuturno morbo fractus, ac pene præſepultus, ut ne citra baptismum decederet, vehementer ſolicitus opem DEIPARÆ imploravit. Viſendam ſe obtulit Virgo Sanctiſſima, ac morbo depulſo anxium ſolata eſt: *brevi adfuturum veræ Religionis Sacerdotem, a quo vitali reſperſus aqua cœlo naſceretur.* Cum valetudo momento recuperata, tum baptismus a P. Luca impertitus, narrationem hominis mire confirmarunt, plurimumque valuerunt ad perſuadendam, & illu-

illuſtrandam Religionem. Auxit venerationem majorem in modum ſalus corporum pluribus reſtituta. Zibacæ ingenti fiducia ſuos ægros Patri perſanandos commendarunt; ne quid iſtorum fiduciæ adimeret, impoſita ægrorum capitibus manu, ac recitato Evangelio S. Lucæ, additis verbis Servatoris noſtri Matth. cap. viii. v. xiii. *ſicut credidiſti, fiat tibi*, ſanos & incolumes dimiſit. Adivit poſtea Jurucares, Quiriquicas, Cozocas, Subarecas, Aruporecas, Tapacuras, Manacicas, Paunacas, barbaras nationes. Ab omnibus comiter acceptus eſt, quod probe intelligerent, paratum ſibi eſſe in ejus charitate perfugium adverſus iniquam Mangonum vexationem.

Præcipitante jam autumno, cum diutius dimorari non liceret apud Paunacas, iter ad Tapacuras relegit, ac trajecto prætumido fluvio Zieſitio, & aliquot paludibus vado ſuperatis, itinere trium hebdomadum Bohocas acceſſit, quorum in mapalibus vires incredibili fatigio exhauſtas, neceſſaria quiete refecit. Viderat non ſine admiratione apud hanc gentem cereos globulos præacutis ſpinis undique armatos e vimine pendentes. Rogatus Caſiquius, ecquid ſibi vellet id genus inſtrumenti? repoſuit: *noveris Pater, nos levi de cauſa Borillis vicinæ genti internecinam cladem intuliſſe, trucidataque omni virili ſtirpe, ſolas mulieres libidinis cauſa abduxiſſe. Hanc tantam injuriam nec lente, nec molliter vindicavit cælum. Magna pars populi peſtilenti morbo ſuccubuit. Superſtites rea conſcientia ad propitiandum Numen ſtimulavit. Ergo mutuato a Chriſtianis exemplo, voluntarias corporis afflictationes ſuſcepimus, atque iſtis, quos conſpicis, globis terga noſtra concidimus. Depulſum eſt continuo vulgatæ luis venenum.* Hæc Caſiquius. Non neglexit Miſſionarius hanc opportunitatem. Pacis commoda, Chriſtianæ Religionis inſtitutum ſuavi ſermone aperuit, ac perſuaſit. Multos a ſcortis, atque nefario pellicatu divulſit. Parvulos ſacro latice abluit, adultis ſpem baptismi dedit; id quod etiam apud alias nationes facere conſuevit. Tandem confecto impeditiſſimo itinere oppidum S. Xaverii anno MDCCVIII. die VIII. Januarii ingreſſus eſt.

Sed animarum cupiditate flagrantiſſimus, non ferebat diuturnam quietem. Monente Joanne Bapt. Cea Viſitatore earum Miſſionum, locum deligit ad oppidum condendum, cui videlicet includerentur nationes tanto ſudore luſtratæ. Placuit vallis inter agrum Tapacurarum & Paunacarum ſatis protenſa. In valle lacus viſitur, cujus ripas accolunt Punapæ, Unapes, Carababæ, ignobiles prorſus populi, ac armorum ignari: nuda corpora putidis coloribus inungunt, dæmones adorant, uti Manacicæ. Terræ ſolerter ſubactæ ſemen committunt more Europæorum. Carnes nunqnam deguſtant, ſolis leguminibus contenti. Potu utuntur e toſtis granis Turcici tritici confecto, ſed adeo tenui, ut tametſi intemperantius ſemet ingurgitent, nec incaleſcant, nec mentem mergant. Hunc cucurbitis immiſſum, opus rure facturi ſecum deferunt, eoque epoto, feſtinato itinere domum revertuntur. Pagos ſuos, ut pleræ-

quæ gentes Paraquariæ, circumferre haud ſolent; quem locum ſemel occupant, conſtantes incolunt; nec a ſuis mapalibus abſcedunt longius, quam agrorum cultura depoſcat. Hos miræ ſimplicitatis populos facile ſibi devinxit Lucas, ut quoties colluberet de myſteriis rectæ Religionis verba facere, toties pronis omnino auribus audiretur. Unum enixe orarunt: daret poteſtatem utendi in poſterum etiam potu patrio; quod ubi conceſſit, Patri regendos ſe tradidere. Verum dæmonum cultus altiores fixit radices in animis rudium, quam ut brevi tempore evelleretur. Sed & iſte penitus evulſus eſt infelici caſu ſacrificuli, populum clam avertentis a ſana doctrina. Res ita accidit. Funeralia cujusdam fœminæ ſolenniori pompa Punapæ, more patrio celebrarunt. Lucas a fidis Neophytis admonitus, occulte ſe multitudini miſcet; videt non ſine horrore, tartareum prædonem ore fœdo, atque terribili binis ligneis fulcris juxta ſe poſitis inſidentem, Punapas autem venerabundos procumbere. Jamque ardore vindicandi unius veri DEI gloriam incitatus, in medium fanum (nam ibi res agebatur) prorumpere tentabat, cum teterrimus dæmon abrepto ſacrificulorum præcipuo, ſe in fugam conjecit, atque una cum præda ante omnium oculos evanuit. Tum enim vero Vir Apoſtolicus, acri oratione oppidanorum ſtultitiam perſtrinxit, dæmonum fraudes præſenti interitu ſacrificuli commonſtravit, & rei veritate convictos a cultu usque adeo peſtifero abſtraxit. Oppidi ſubinde formam deſcripſit ea in valle, de qua mentio eſt facta, & ſacellum poſuit. Oppidum, cui nomen a Virgine MARIA ſine labe concepta, Manacicæ, cæteræque nationes, quas ſuperioribus annis ſalutari jugo Chriſti ſubdidit, frequentiſſimum reddidere. Verum paucis poſt menſibus cum morbi vulgarentur, & greges culicum atque ſerpentum omnia infeſta facerent, novi incolæ commodiorem in locum translati ſunt. Quos oppidum non cepit, P. Franciſcus Herbas coloniæ S. Xaverii aggregavit.

E Manacicis intellexerat P. Cavellero, haud procul a finibus ipſorum, conſediſſe populum numero juxta, atque armis potentem; domos præter morem barbarorum, pulchro ordine ædificaſſe, veſtitos incedere ad normam Europæorum, pictis avium plumis ſua ſcuta ornare, vicinis gentibus graviſſimas clades identidem inferre; idque impune ob armorum peritiam. Spes uberrimæ meſſis ſtrenuum animarum cultorem ad relegenda veſtigia continuo impulit. Barbari, ubi primum Miſſionarium cum paucis Neophytis propius ſuccedentem conſpexere, conclamant, ac nimbum ſagittarum in eum, comitesque emittunt. Intrepidus Sacerdos, ac deliberata morte fortis, paucis ſignificat, quis ſit, unde, quorſum, cujusve rei cauſa veniat? Mirati ſuas ſagittas vim nullam habuiſſe, ore non truci advenas in pagum deducunt, ac pomis ſilveſtribus recreant. Eodem die funebres cerimonias, quas ea gens ex Majorum inſtituto obit, ſpectare licuit Neophytis. Cadaver domo efertur per Sacrificulos. Iſtud ſanguine juncti cum turba amicorum mœſti comitantur. Ante fanum, poſtea-

poſteaquam familiares cadaver inter ſigna doloris, arctis amplexibus ſtrinxerunt, iidem corpus pyræ imponunt, ac certatim ardentes faces in lignorum ſtruem injiciunt. Cineres in unum collecti, venerationis ergo, domum referuntur. Pompæ diurnæ ſucceſſit nox, barbarorum ululatu, ac concurſationibus inquieta, horrorem augente intercalari ſilentio. Neophyti nocturnum eum tumultum non aliud ſpectare arbitrati ſunt, quam Patris, ſuamque funeſtiſſimam necem. Crudeles ut evaderent manus, beneficio noctis in tutum ſemet recepere cum P. Luca, qui, cum fugæ conſilium metu perculſis adimere non poſſet, invitus rediit, melioribus auſpiciis anno inſequenti ſacram expeditionem adornaturus. Verum non poſt multo hanc gentem armis inclytam, Mangones Europæi cum armata militum manu, imparatam ex improviſo invaſerunt, ac cæſis adultioribus, pueros puellasque captivas abducunt, parum mitioribus Heris, contra repetita Catholici Regis edicta mancipandas.

Poſt longam deliberationem, adiretne Coſiricas, an Puyzocas? cœleſti colluſtratus luce, hos adeundos ſtatuit. Cum ſex & triginta Neophytis e colonia Conceptionis delectis, Puyzocarum pagum ingreditur, populum & Caſiquium adeo benevolos, adeo quietos nactus eſt, ut a principiis tam felicibus omnia ſibi ſecundiſſima polliceretur. In pago altero, multo majora benevolentiæ ac humanitatis officia, a gentis Caſiquio, homine e dolis & fraudibus compacto, ut eventus docuit, accepit. Neophytos vaferrimus parricida ita diviſerat in mapalia, mutuam ut ſibi opem non facile præſtare poſſent; mox largiorem cænam adferri jubet; Patrem plurima rogitans de nova doctrina tenet. Dum Neophyti hilares, veluti inter amicos cænant, uno temporis momento proditores conſurgunt, armati inermes, ſuique ſecuros obruunt, & nullo negotio trucidant. Pauci per media tela cum triſti nuntio ad Patrem ſuum evadunt, ac, ſeu viribus fractum, ſeu fugere recuſantem, humeris ſuis ſublatum imminenti cædi eripere nituntur. Onuſtos pia ſarcina, facile conſequuntur parricidæ, & Lucam ſecundum humeros lethali vulnere ſauciant. Ille multo cruore perfuſus, collecto utcunque ſpiritu: *Ite, inquit, bajuli, tempeſtati ſanguineæ vosmet ſubducite, neque mei, qui jam vixi, cura vos angat.* Humi poſitus flectit genua, ac vim impiam JESU & MARIÆ nomina ingeminans excipit. Macana (genus eſt clavæ e duro ſtipite confectæ, atque ferreis cuſpidibus armatæ) contuſum & comminutum eſt caput. Hunc in modum P. Lucas Cavellero debitam Fidei propagatæ coronam, poſt infinita ſuſcepta itinera invenit die duodevigeſimo Septembris, anno undecimo ſupra milleſimum ſeptingenteſimum. E Neophytis ceciderunt ſex & viginti; cæteri poſt multos errores inedia confecti, ad oppidum B. Virginis ſine labe conceptæ pervenerunt.

Parricidæ vindictam metuentes, exploratores omnem in partem ſedulo miſerunt. Iſti in paucos Neophytos illati, cæde & populatione, prope oppidum nominatum, omnia compleverunt. Tanta audacia Puyzo-

carum

carum perterriti oppidani, fugam circumſpexere. Joannes Benavente noſtræ Societatis Sacerdos, qui ejus coloniæ curam gerebat, opem Prætoris S. Crucis a monte imploravit. Miſſi centum armati, cadaver P. Lucæ pluribus diebus temere abjectum, gravioris odoris expers, ad oppidum Conceptionis deportarunt. Barbari pœnas ab irato Hiſpano haud dubie infligendas, celeri fuga ad tempus diſtulerunt; nam poſt dies non multos Caſiquius, præcipuus machinator cædis, violenta nece interiit, cæteri peſte deleti.

Ortus erat Cavellero in Caſtella veteri. Primos pueritiæ annos ſub cura Avunculi, optimi Sacerdotis, tranſegit; cujus pietate, probiſſimisque moribus plurimum profecit. Valliſoletum literarum cauſa profectus, decurſo eloquentiæ campo, Religioſam Societatis Jeſu familiam delegit, ſpe adeundi ultimas nationes, ad quas læti ſalutis nuntii, nullo unquam tempore allati ſunt. Villagarciæ tyrocinium ingreſſus, vixdum circumacto biennio, quod unum in votis habebat, poteſtatem obtinuit in Americam navigandi. Gadibus auxit illuſtre agmen ſexaginta Sociorum, quos Patres Chriſtophorus Grijalva, & Thomas Donvidas in Paraquariæ ſubſidium collegerant. Extinctis octonis Sociis in maritima jactatione, e portu Boni aeris Cordubam Tucumaniæ petiit. Philoſophorum placita capaci, vegetoque ingenio feliciter aſſecutus, minores in ſtadio Theologico progreſſus fecit; quod nimius æſtimator ſui ingenii, ut ipſe fatebatur, literarum ſtudia tractaſſet, rarius implorato cœleſti lumine. Adeo res periculi plena eſt, dona Divinioris Spiritus viribus ſuis attribuere. Ab umbra ſcholarum in ſolem & campum procurrens, ea egit in Paraquaria, quæ plurimum & augerent & illuſtrarent Religionem Chriſtianam, quemadmodum jam narravimus. Et aderant illi egregia corporis, animique adjumenta, ad munus Apoſtolicum rite obeundum. Sitis, famis, omniumque aeris injuriarum patiens, pericula vitæ intrepidus adivit. Immenſam terrarum vaſtitatem cura, ſtudioque complexus, liberum Evangelicæ veritati iter aperuit. De ſe demiſſe loquebatur, & ſentiebat; inutile mancipium ſe nominans, etſi jure iis adnumerari potuerit, *qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri JESU Chriſti.* Puritatem Angelicam inter nudos, ac in omnem libidinem effuſos barbaros, inedia, productis precibus, aliisque præſidiis tuebatur. Nihil eo pauperius, nihil Majorum juſſis obtemperantius fingi poterat. Adultos, niſi extrema urgerent fata, non ante ſacro latice abluit, quam communem, familiaremque vitam amplecterentur, tametſi precibus, lacrymis iſthoc beneficium barbari flagitarent. Nempe Majorum imperia apud cuſtodem exactæ obedientiæ plus ponderis obtinent, quam preces & lachrimæ imperium enervantes.

P. HIE-

P. HIERONYMUS DELFIN
HISPANUS VALLISOLETANUS.

Quam virtutis palæſtram Patri Cavellero Paraquaria aperuit, hanc patefecit Hieronymo Delfino eadem regio, ubi per annos ſeptem & quadraginta Chriſtianam Religionem propagavit; integra valetudine, ad devexam usque ætatem in ſumma rerum inopia, uſus, & demum placida morte defunctus inter ſuos Neophytos. Crediderim Virum Apoſtolicum DEI benignitate vitam multis barbaris utilem produxiſſe, ut nimirum artem ſancte vivendi, ac moriendi plurimis traderet. Primam lucem aſpexit Valliſoleti ad annum MDCXXXV. die XXX. Septembris. Parentem habuit Ludovicum Delfinum claro genere, nomineque virum, ſed ut res humanæ ſunt, primum in Imperio, dein in Hiſpaniis exulem, qui ducta in thori conſortem Nobili Hiſpana, conſtantem Viduæ Imperatricis Mariæ, Infantis Hiſpaniarum, gratiam pluribus annis obtinuit. His talibus parentibus natus Hieronymus, in copioſa domo amæniores literas, & mores politiſſimos mira facilitate combibit. Nondum undeviceſimum ætatis annum ſupergreſſus, parentum voluntate Romam iter apparat, ſive ut ſacrorum apparatus ea in Urbe ſpectaret, ſive ut cognatos officii cauſa conveniret. Jamque Murciam delatus, cum a conſiliis vitæ ſeverioris ſuapte natura abhorreret, & ab iisdem æqualium adoleſcentum exemplo, & ſermone longius abduceretur, forte accidit, ut in noſtrum Patrem Simonem de Ojeda Procuratorem provinciæ Paraquaricæ incideret, qui obtutu in Hieronymum defixo, verba Regii Vatis enunciavit: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Hanc brevem ſententiam tanta colluſtratio mentis conſecuta eſt in Hieronymo, ut ſubito abjectis rerum caducarum ampliſſimis ſpebus, de amplectendo Religioſæ vitæ inſtituto cogitarit. Expetiit Societatem; conceſſa eſt. Recta Madritum contendit, virtutum, quæ ad miniſterium Evangelici verbi ſpargendi in agro Paraquarico ſunt opus, fundamenta jacturus.

Tyronibus adſcriptus, de eo ante omnia ſibi laborandum putavit, ut teneriorem affectum, quem adverſus parentes & ſanguine junctos natura homini velut inſevit, poneret. Sed, quæ fuit in eo vis Divinæ gratiæ, nullo fere negotio conſecutus eſt, ut parentum, ac cæterorum, maximo licet propinquitatis jure conjunctorum, vix in mentem illi veniret, niſi dum pro iis ſtatas precationes pronunciaret. In tabulariis domeſticis

legere licet, Hieronymum paucorum dierum tyronem, ſuis oculis ſpectaſſe Divos Ignatium, ac Franciſcum Xaverium; hunc inviſentem Sociorum cubicula; illum vero dulciſſimum tyroni complexum tuliſſe. Cœleſtis hæc ſpecies præmium alacritatis fuerit, qua mundi libertatem, illecebras honorum, divitias, uno veluti momento æternum abjecit. Vix poſito tyrocinio, adeundæ Paraquariæ facultatem exoravit. Cum Sociis ſubſidiariis, nulla tempeſtate jactatus, raro exemplo diuturnæ navigationis, portum Boni aeris ſubivit. Cordubam Tucumanorum ſtudiorum cauſa dimiſſus, cum morbi ex ordine ſuccedentes identidem eum infeſtarent, abrupto Theologiæ curſu, jam Sacerdos totum ſe procurandæ barbarorum ſaluti dicavit. Res mira! morbi toties infeſti, veluti inducias pacti, amiſſo aculeo ceſſarunt. Paucis duntaxat diebus ante ſupremum diem ſævire cœperunt.

Quo firmiorem valetudinem expertus fuit Hieronymus, eo promptius, ac conſtantius vires corporis, animique impendit barbarorum commodis. Primis Apoſtolicæ vitæ annis, nulli certæ ſtationi affixus, in Gvarania (ſive Gvairania ut ſcribunt alii) ſemen Evangelicum ſparſit. In hac provincia, quæ ampla eſt portio Paraquariæ, utilem operam ad dilatandam, ornandamque Religionem Chriſtianam ante complures annos poſuerant Patres Joſephus Cataldinus, Simon Mazeta, aliique vitæ prodigi; nondum tamen gens omnis avitam ſuperſtitionem exuit; imo, quos amor veritatis Evangelicæ a patriis moribus avocaverat, ii rurſum, deſtituti Magiſtris, ad priſtinam vivendi libertatem pedetentim rediere. Nempe barbaras mentes ſimillimas eſſe dixeris terræ, nondum plene ſubactæ; hanc herbæ inutiles, ſpinæ occupant, ſi manum removes; illas vitia, patriæ conſuetudines, niſi perpetuo excubes. Huc progreſſus Corduba Hieronymus, navigaverat adverſo Parana fluvio in interiora regionis. Reperit indigenarum frequentes familias, oram fluminis ſparſim accolentes, quas ille elementis Fidei ſolerti ſtudio imbuit, aut imbutas in ſuſcepta Religione graviſſimis verbis firmavit. Tum circumſitos campos, ac ſilvas petiit. Hic enim vero materiam nactus ardori Apoſtolico opportunam, in comitatu paucorum Neophytorum, immenſa terrarum ſpatia peragravit, ac ubicunque locorum ſe rima pandebat, ſalutis ſempiternæ viam *ſedentibus in tenebris* oſtendit. Tantæ induſtriæ par fructus reſpondit. Ingens numerus Gvaraniorum, qui ad fluvium Monday conſederant, in unam Rempub. conſpiravit. Vixdum circumſcribit viculos, areasque partitur oppidi, alii, atque alii barbari, ſuorum popularium exemplo ſtimulati, nomina certatim dederunt. Placuit oppido nomen JESU indere, quam appellationem noſtra etiam tempeſtate retinet.

Collectis in unum barbaris, ut amorem Chriſtianæ, & civilis vitæ inderet, dies noctesque elaboravit Hieronymus. Tarda & ferocia ingenia vix culturam patiebantur. Sed tempus, & ferrea patientia Viri Apoſtolici, & tarditatem & ferociam amovit. Multo moleſtior cura alendi,

veſtien-

veſtendique oppidanos, torquebat pervigilem Paſtorem. Gens otio dedita, nec publicis moribus, nec legibus deſidiam caſtigavit unquam. Hinc non agros, non hortos colere, non cibaria & fruges conſervare norat; parum ſolicita, quo alimento famem depulſura, ſi greges pecorum lues abſumat, aut fructus citra humanam induſtriam enatos ſi tempeſtas decoquat. Hieronymus nota Miſſionariis dexteritate effecit, ut ne agros incuria ſquallere paterentur Neophyti, ſemina concrederent ſat felici telluri, ac fruges in hyemem adſervarent; vel certe ipſe e finitimis locis annonam multitudini ſuffecturam in tempore convehi curavit. Sic ille ſuorum corporibus, animiſque incredibili ſolertia conſuluit, & ad civilem traductos cultum, in eo oppido pluribus annis paterna ſolicitudine gubernavit.

Verum non potuit hac una ſtatione circumſcribi ardor indefeſſi Operarii; porrectis in loca etiam diſſita curis, dum res domi pacatæ, excurrit iterum, ac ſæpiſſime, & alios quidem ſecum in oppidum reduxit, alios jamjam morituros ritu Chriſtiano abluit, alios ad ſpem beatæ immortalitatis accendit. Animarum lucro ineſcatus, arduas rupes, uliginoſas paludes adiit inter ſexcentas hominum, ferarumque inſidias. Viperarum in Gvarania numerus major, & vis, quam alibi, acrior. Præterquam enim quod inter arbuſta latitantes veſtigiis viatorum inſidientur, præaltas quoque arbores petunt, ac in prætereuntes ſagittarum inſtar ſummo impetu ſemet demittunt. Tygrides quoque inſigni feritate, itinera infeſta reddunt, quæ in media nonnunquam agmina impetum faciunt. Augent pericula infames magi, dæmonum cultui ad inſaniam addicti. Amicis favent, inimicis nocent pro ſua libidine. Sed hæc præſentiſſima vitæ pericula, in flore etiam ætatis tam læta fronte contempſit, ut admiratione ipſos barbaros defigeret. Hoſtes alios, alia pericula pertimeſcebat, nempe barbarorum vitia, & nefarias libidines; in quas homines agreſtes, nondum ſubacti Evangelicæ legi, pecudum ritu ſemet effundebant. Adverſus hæc monſtra, hos animorum hoſtes, cæteris omnibus multo metuendos magis, ſeſe munire ſtuduit cœleſtium rerum commentatione, jejunio, voluntariiſque ærumnis. Quanquam perſæpe, in longis præſertim itineribus, neceſſariam famem, & ſitim perferre alioquin cogeretur. Sæpe herbarum faſciculus, & paluſtris aqua cænam finiebant inter denſos muſcarum, culicumque greges. Hos hoſpites, hos convivas fidiſſimos habuit. Somnum Indorum in reti penſili capiebat. Non illi tunica, non calceamenta, quæ permutare poſſet, dum aqua pluvia, aut paluſtri madidus ſe domum referret. Hujuſcemodi præſidiis fultus caſtiſſime vixit ſeptem & quadraginta annos in Gvarania. Clauſit Apoſtolicam vitam die ſecunda Januarii, anni MDCCXIV. in oppido Divi Ignatii ad Paranam fluvium.

P. BARTHOLOMÆUS BLENDE
BELGA BRUGENSIS.

BArtholomæus Blende anno MDCLXXV. die XXIV. Auguſti Brugis in Belgio generoſis ortus Majoribus, ingenium quod a natura ſortitus eſt elegans, Philoſophorum placitis excultum, ad Jus civile tranſtulit. Cui dum operam navat, in Societatem ſeſe vocari perſenſit, atque ut vocanti DEO morem gereret, ardenter eam expetiit. Voti damnatus, tanta contentione virtutis ſtudium arripuit, nemini ut æqualium concederet. Sed non diu licuit provinciæ Flandro-Belgicæ tanta frui virtute; quippe exactis in ea quinque ſupra decem annis, ad Miſſiones Indicas magno ſui deſiderio relicto, profectus eſt. Cum Madritum perveniſſet, iſthic paululum commoratus, tam rara virtutum ſpecimina edidit, ut omnium oculos in admirationem ſui converterit. Non ita multo poſt Gades curſum direxit, ubi P. Franciſcus Burges provinciæ Procurator cum delecta Sociorum manu, quorum alii in Chilenſem, in Paraquaricam alii provinciam, tanquam nova quædam ſupplementa deſignabantur, opportunam navigandi occaſionem captabat. Cum his Bartholomæus anno decimo ſupra milleſimum ſeptingenteſimum, die ſecunda Martii onerariam conſcendit, in Paraquaria ſtipendia meriturus. Verum altiori Numinis conſilio anceps admodum, & periculi plenus interceſſit caſus, qui omnem pene ſuſcepti itineris, & laboris rationem ipſo in conatu, ſin minus evertit, certe multum retardavit. Nam poſteaquam ſecundo uſi vento & mari, longius iter emenſi fuiſſent, in Hollandicas tres, omni bellico commeatu inſtructas naves incidere, quæ, quod faventibus tectæ nebulis ultro citroque impune volitarent, omnem providendi, aut evadendi occaſionem intercluſerunt. Quid agerent Hiſpanorum onerariæ? quæ mercibus onuſtæ, ægre cum undis marinis colluctari poterant, nedum vim experiri. Hoſti potius ſe dedere, quam vitæ fortunarumque certam facere jacturam communi conſilio decreverunt. Neque tamen idcirco clementiores, ut ſperabant, habuere Hollandos, qui redactos in poteſtatem, bonis primum omnibus exuerunt, tum etiam omnes quidem, ſed vel maxime Socios, graviſſimis injuriis divexarunt. Fame ſitique enectis id unum ſuppeditabant, quod non tam ad levandam calamitatem, quam protrahendam mortem ſufficere videbatur. Illud, quod ſaluti eſſe debebat, fraudi pene, & exitio ipſis vertit. Nempe cum captivorum

ſinus

ſinus auri inveniendi ſpe inducti diligentius exquirerent, & ſcrutarentur, complures eorum veſte indutos cilicina deprehenderunt; quo viſo majorem in modum indignati ſunt, quod ſua ſe ſpe ita deluſos viderent, illorumque virtutem, ſuum vitium interpretati fuerunt, quod non pro merito in eos animadverterent.

Has inter calamitates magno, & ſolatio & præſidio afflictis erat Bartholomæus, qui pro ea, qua in familiari congreſſu pollebat, agendi dexteritate, navium bellicarum Ducem in tantum ſibi devinxit, atque inflexit, ut multum a conſueto rigore remitteret. Sextus agebatur Aprilis dies, cum feliciter portum Ulyſſiponenſem attigerunt, quem ut primum ingreſſi ſunt, illico incredibilem erga ſe Patrum Luſitanorum curam, & benevolentiam perſenſerunt. Hi etenim, nuncia fama de captivis edocti, confeſtim celoces expediverunt, quibus perſoluto pretio in libertatem aſſerti adveherentur. Facilius eſt conjicere, quam enarrare, quanta charitatis & lætitiæ ſignificatione accepti ſint a numeroſo Sociorum agmine, quorum alii ex Collegio S. Antonii, ex Tyronum domo confluxere alii. Certe triumphantium more ſingulos ad ſuas ſtationes deduxerunt, ubi toto illo tempore, quo commorati ſunt, nullum officii genus prætermiſerunt, quod non lubenti animo hoſpitibus impenderent. Uni Bartholomæo, cujus potiſſimum precibus reliquis copia abeundi facta eſt, libero eſſe non licuit, propterea quod Illuſtriſſimus Præſul Petrus Levanto graviſſimis abs eo contenderit precibus, ſecum ut ſolatii & auxilii cauſa perſiſteret. Erat hic Præſul ad capeſſendas Archi-Epiſcopatus Limani infulas deſignatus; ſed cum Sociis interceptus, cum iiſdem in libertatem ſe vindicare, ut vellet maxime, minime potuit; donec Amſtelodami, agente potiſſimum Patre Bartholomæo, qui ſe comitem viæ & fortunæ præſtitit, libertati & patriæ reſtitutus eſt.

Præſul ob navatam apud Principes Fœderati Belgii operam, Bartholomæum Hiſpalim ſecum revexit, quo facilius memorem beneficiorum animum conteſtari poſſet. Sed eatenus fefellit animum Præſulis. Nihil enim pretioſorum, quæ identidem obtulit, munerum, admittere ſuſtinuit; id dictitans: *Sola ſe Præſulis benevolentia locupletem fore.* Poſtquam anno MDCCXII die XV. Auguſti ſolennium quatuor votorum profeſſione arctius ſe DEO obſtrinxiſſet, viæ ſe rurſus commiſit, atque alteram Gadibus profectionem die XXVII. Decembris adornavit. In hac Patri Bartholomæo, Tyronum ad leges noſtras formandorum cura fuit concredita, quos ita inſtituit, ut complures eorum in barbaris nationibus ad verum Numinis cultum traducendis, ſingulari ratione enituerint. Dum proſpero curſu in Americam feruntur, par pene priori diſcrimen ſubeunt. Angli enim, qui mare infeſtum reddiderunt, ex inſidiis Hiſpanas adorti naves, hoſtilem vim intendebant; ſed viſa Annæ Reginæ teſſera, ſecuras abire juſſerunt omnes; unam ſi demas, quæ hu-

jus cautelæ neglectum non parvo ære redimere debuit. Exhauſtis, quæ in diuturna navigatione raro abeſſe ſolent, variis difficultatibus, tandem VIII. Aprilis anni MDCCXII. ſalvi & incolumes portum Boni Aeris tenuerunt.

Hic enimvero gaudio triumphare cœpit P. Bartholomæus, apertum ſibi eſſe campum, in quo Apoſtolicos ſuos conatus latius exporrigere poſſet. Primam ſtationem in Miſſionibus Gvaranicis obtinuit, ubi non multo tempore Evangelicam ſementem ſpargens, complura indefeſſi laboris monumenta reliquit. Superiorum conſilio decedere ea ſtatione juſſus, Patri Joſepho Arce, ſive Arze, adjunctus eſt, ut interclusam ad Chiquitos viam, jam ſemel, iterumque irrito conatu tentatam, per fluvium Paraquarium aperire rurſum aggrederentur. Conſtitutis in urbe Aſſumptionis, quæ caput eſt provinciæ Paraquariæ, ad iter rebus, a Prætore & Clero, tota pene civitate in comitatum effuſa, ad littus deducuntur. Conſcenſo, Januario menſe anno MDCCXV. navigio, Septentrionem verſus mediis in diſcriminibus adverſum flumen ſecabant. Neque enim ad alterutram fluminis partem ſalvis rebus deflectere poterunt. Quippe illam, quæ Orientem reſpicit, Payaguarum barbara & crudelis natio obſidebat, in id unum intenta, ut, ſi ſors ferret, comprehenſa Patrum navigia igni conſumeret. Eam vero, quæ Occidenti adjacet, Gvaycuræi ſuis barbaris factis adeo infamem fecerunt, ut, qui in eorum manus incidiſſet, ſummo beneficii loco duceret, ſi vita ei condonaretur. Eluſis tamen feliciter horum, atque illorum conatibus, ſeptem menſium ſpatio evoluto, eo, quo tetenderunt, ad paludem Xarai, pervenere.

P. Joſephus Arze adlectis in ſocietatem itineris duodecim Gvaraniis, ad Chiquitos inveſtigandos proceſſit, reliquorum cura, dum reverteretur, Patri Bartholomæo demandata, qui, quantas hac in ſtatione moleſtias, atque ærumnas exhaurire debuerit cum Sociis, longum foret ſingillatim recenſere. Dies, noctesque injuriis cœli, ac muſcarum, culicumque morſibus expoſiti, quietem nullam capere potuerunt. Auxerunt malum barbari, qui a lacu Xarai, ubi conſiſtendum erat, non longe remoti, crebris inſectationibus Patrem, ejusque comites fatigarunt. Ad hæc acceſſit fames, qua impulſi Gvaranii, nequidquam reluctante Patre Bartholomæo, ante reditum Patris Arze viam relegerunt. Cum ſecundo flumine defluerent, Quati Payaguarum Caſiquius cum non modica ſuorum turba iisdem ſe adjunxit, eo conſilio, ut in Miſſionibus Gvaranicis Chriſtianam Religionem amplecteretur. Id quod ſumma Patrem Bartholomæum affecit lætitia, qui nova hac acceſſione abunde compenſatos eos, quos in ſuſcepta profectione fructu nullo exhauſerunt, labores reputabat. Sed neque hæc diuturna fuit lætitia. Cum enim poſtero die ſole jam occiduo ad præaltam fluminis ripam, quam vulgus Fare vocitat, perventum fuiſſet, perfidus Caſiquius diſſimulato, quod fovebat, veneno, accedit Patrem, unaque ſupplex rogat, ſuos ut perinde ſecum devehere vellet.

vellet. Qui cum alienum ex ſuo metiretur animum, nihil fraudis ſubeſſe ratus, facile in animum ſuum induxit, ut votis ejus ſubſcriberet, imbellemque turbam navigio ſuo imponeret, adjectis etiam monitis, quibus conceptos Religionis igniculos animaret.

Interea nautæ propitia navigandi tempeſtate uſi, remis alacres incumbunt, cœptumque iter tam ſtrenue proſequuntur, ut Caſiquius tridui ſpatio ægre eos conſequi poſſet. Qua re perculſus barbarus, videbat maturato opus eſſe; ne, ſi conſequentibus diebus pari celeritate uterentur, omnem meditati facinoris exequendi opportunitatem amitteret. Statuit itaque primo quovis tempore ad ſuum abuti ſcelus. Quod quemadmodum animo præcepit, ita etiam opere naviter explevit. Nam quarto die navigium, quo Pater Bartholomæus vehebatur, aſſecutus, per ſpeciem annonæ petendæ, illud cum ſuis ingreditur; ubi dato ſigno Patrem adorti, primum immani crudelitate conficiunt, prægrandi clava capiti impacta; tum Hiſpano Navarcho arrepta ſecuri caput reſecant, cæteris Chriſtianis, vel pari ſupplicio affectis, vel in captivitatem reſervatis. Peracto nefario facinore, navigia terræ applicant, excenſioneque facta triumphantium more cadavera luſtrant, & nequid immanitatis prætermittant, omni veſtitu ſpoliant. Tum rebus, quæ ad commeatum faciebant, in prædæ partem actis, celoces incendunt, abductisque captivis ad ſua revertuntur. Hic fuit exitus navigationis perinde, ac vitæ Patris Bartholomæi Blende, qui dum inter Socios vixit, omnium amor fuit, ab iis avulſus, ita vitam ſaluti barbararum gentium conſecravit, ut eam pro ipſis ponere non detractaverit. Suſpexit ejus virtutem Madritum, Amſtelodamum ſapientiam probavit, Hiſpalis mirata eſt integritatem, America omnis, Apoſtolicos labores miris laudibus celebravit. Poſtremum, quo Societas Belgica tanquam Filio, eodem Paraquarica tanquam Patre, quem etiamnum dolet amiſſum, gloriatur.

P. JOSEPHUS ARZE

CANARIUS PALMENSIS.

PArem exitum ſortitus eſt Joſephus Arze, in inſula Palma Canariarum, ſive Fortunatarum non ignobili, locuplete familia natus anno MDCLI. die IX. Novembris. Salmantica, celeberrimum apud Hiſpanos literarum emporium, eundem decurſo eloquentiæ campo Societati tranſcripſit. Ad quam cum capaciſſimam indolem attuliſſet, eam in ſchola virtutum ac

ac literarum, plurium annorum labore ita excoluit, ut nullum munus ex uſu foret in provincia Toletana, quod cum dignitate ſuſtinere non poſſet. Sed ardor magna pro DEO non ſolum faciendi, ſed etiam patiendi (quod nobilium animorum eſt) ætate, gratia Magiſtrorum, & ingenii laude florentem, e felici Theologiæ curſu in Paraquariam avocavit. Illum, quo æſtuabat, ſalutis alienæ ardorem, magis magisque accendit P. Chriſtophorus Altamirano e Paraquaria advectus, qui verbis, literis, nobiliſſimos quosque Juvenes noſtros, per Europæas Academias, ad vaſtiſſimum Paraquariæ campum percolendum, proſpero ſucceſſu incitavit. E Gaditano portu cum delecto agmine in Americam ſolvens, anno MDCLXXIV. urbem Boni aeris tenuit. Cordubæ interrupta ſtudia proſecutus, Sacerdotio initiatur. Tum enim vero majorem in modum oravit Superiores, campum uti ſibi aperirent apud barbaros. Aliud iis viſum. Jubetur eodem in loco latinas literas, & ſtudia humanitatis docere; ſubinde Ariſtotelem explanare. Scholarum carcerem evaſit occaſione morbi. Res ita evenit. Levi febricula tentato, cuſtos valetudinis medicamentum attulit, neſcio cui ægroto deſtinatum. Joſephus medicatam potionem haurit, & fere mortem. Cum a Medicis deſperata ſalus eſſet, neglectis humanis præſidiis, recurrere placuit ad Divina. Votum edit, ſi ſequeſtro & deprecatore D. Franciſco Xaverio valetudo redderetur, ſe omnem vitam in miniſteriis Evangelicis acturum. Simul ac vovit, a funere cœpit reverti, brevique tempore inter Sociorum lætitias mirabiliter convaluit.

Illuſtri hoc beneficio affectus, palæſtram tot votis expetitam, ingenti animo ingreditur. Multam meſſem promittebant barbari, Magellanici freti accolæ, ſed per immenſa illa terrarum ſpatia temere, qua libido fert, errantes. Hos, paucos ante annos P. Nicolaus Maſcardi Italus, Sacerdos provinciæ Chilenſis ad Fidem ſolicitavit, ab iisdem odio Evangelicæ legis interemptus. Paraquariæ Socii in partem laborum vocati, certatim ſua nomina dedere, inprimis Joſephus omnem moram alioquin exoſus. Verum Miniſtri Regii, arbitrati, eam Miſſionem parum utilem fore vectigalibus Regiis, iter differri voluere. Ergo Patres in aliam meſſem Evangelicam falcem immiſerunt. Et Joſephus quidem in agrum Chiriguanorum, qui Tarijam inter, & S. Crucis oppidum ſupra campos Chaquenſes montium latera incolunt, meditabatur. Gens hæc numero, oppidis, & armis potens, multas clades ab Hiſpanis accepit, ſed plures iſtis intulit; eoque magis formidanda, quo jam cautius conſilio & arte adhibita bellum tractat. Dum arma ſinunt, alendo pecori, colendis agris dant omnes operam. Fruges, quas felix præpinguibus glebis terra reddit, in loca etiam Hiſpani juris devehunt, ac permutant. Amicitiam colunt, quamdiu rebus ſuis utilem ſentiunt. Levibus impulſi cauſis arma corripiunt, bella, ſeditiones miſcent. Sæpe Magiſtros Chriſtianæ do-

ctrinæ

ctrinæ ultro expetitos, mutata ſubito voluntate aut finibus ſuis arcuerunt, aut turpiter ejecerunt.

Hujus gentis Caſiquius authoritate atque opibus inter cæteros florentiſſimus, ad flumen Pilcomay late dominabatur. Hic ad annum nonageſimum ſupra milleſimum ſexcenteſimum nuncios ſuos Tarijam, quo P. Joſephus Arze pervenerat, mittit, pacem & obſequium offert, Doctorem Divinæ legis & Sacerdotem poſtulat. Lætus nuncio inſparato Joſephus, accolis Rubei fluminis, quorum per fines tranſeundum erat, conciliatis, menſe Majo in viam ſe dedit cum manipulo Gvaraniorum. Ut pervenit ad flumen Pilcomay, vidit oppida incendio deformata, cadavera paſſim jacentia, aliaque recentis belli veſtigia, quod magna ſuorum clade gerebant bini Caſiquii Cambaripa, & Tatabery. Ille victus & gravi vulnere perfoſſus, apud Joſephum Hiſpanorum opem implorat, pollicitus ſeſe effecturum, ut gens tota Chriſtianis ſacris accedat, & perpetuum cum Hiſpanis fœdus ſanciat. Occaſione utendum ratus, ipſe Tarijam profectus militem Hiſpanum impetrat, & XXVI. Septemb. cum P. Joanne Bapt. Cea, ad ditionem Caſiquii Tatabery redux, pacis negotium tractare ſedulo cœpit. Uterque Caſiquius mutuam inter ſe pacti fidem, eandem Hiſpano dederunt. Inſuper Tatabery filiolum ſuum Joſepho tradidit, veluti pacis obſidem, Religione Chriſtiana imbuendum. Felix concordiæ rumor, feſſos accipiendis, inferendisque cladibus barbaros, ad ſpem otii, & audiendæ novæ doctrinæ erexit. Joſephus ut opportuno loco oppidum conderet, cum Joanne Cea late diffuſos Chiriguanos luſtravit. Caſiquii Manguta & Tayo ſupplices orarunt, apud ſe ut Patres ſedem locarent, ac Sacramentum baptismatis conferrent. Diſtulerunt inſtantes barbaros conſtantiæ periclitandæ cauſa. Quatuor duntaxat morti proximos, & baptismo maturos expiarunt. Interea ſoror Caſiquii Tambacuræ, trepida ad Patres advolat: queritur fratrem ſuum a Prætore S. Crucis in vincula datum: orat, libertatem uti ei obtineant. Prætor ſe facilem præbuit; Caſiquium, nulla irrogata pœna, liberum pronunciat, qui captus Patrum charitate, Chriſtianam Fidem ac diſciplinam amplectitur, ſuoque exemplo plurimum provexit rem Chriſtianam. Cum omnia fluerent Patribus e ſententia, trajecto fluvio Gvapay, temporario ſacello e frondibus excitato apud Chiriguanos, feſta die Præſentatæ Virginis cœleſtem hoſtiam immolant, & novæ coloniæ ſub tutela ejusdem Virginis initia ponunt. Magno numero confluentibus Chiriguanis ea vehementer increvit, Chriſtique regnum inſigniter amplificatum eſt. Anno inſequenti Pater Cea, ut ſuo loco narrabimus, ad Chiriguanos inviſit. Pari ſucceſſu Joſephi induſtria alterum oppidum a Divo Ignatio appellatum, ex accolis Tariqueæ eodem in loco (id poſtulantibus barbaris) aſſurrexit.

Dum Joſephus Chiriguanorum mores & Rempub. componit, Prætor S. Crucis hortabatur identidem P. Gregorium Oroſco provinciæ Præſidem

tunc Tarijæ commorantem, ut Socios in provinciam Chiquitorum dimittat; qui pertæſi armorum, cum Hiſpanis pacem jungere optabant, idoneosque Chriſtianæ legis Magiſtros petebant. Provincialis, DEI, Regisque Catholici cauſam minime negligendam ratus, P. Joſephum e finibus Chiriguanorum evocatum, ad Chiquitos proficiſci jubet. Regio iſtius nationis ab Occidente clauditur agro civitatis S. Crucis, & Miſſionibus Moxorum; ab Oriente attingit celeberrimam paludem Xaray, (vulgo mare dulce appellatam, quod maris inſtar, longe, lateque diffundatur) & fluvium Paraquarium, (unde Paraquariæ nomen) qui e nominata palude ortus, & trecentas fere leucas emenſus, accipit amnem Paranam. Uterque plurium fluviorum exuviis dives, ſumptoque nomine *Argentei*, leucarum quadraginta oſtio ad urbem Boni aeris in mare præcipitat adeo violentus, ut inde nautæ, dulces hauriant latices, priusquam tellurem ex alto proſpiciant. Ad meridiem reſpicit planitiem a *Manſo* dictam & immenſos campos Chaquenſes, provinciamque Chiriguanorum. A Septentrione cingitur præaltis montibus, quorum perpetuum jugum ad paludem Xaray excurrit. Gens ipſa Chiquitorum vivaci indole, aliisque naturæ dotibus inſtructa, Europæas artes præ cæteris barbaris facilius addiſcit; uſu & arte armorum nativam auxit ferociam, vicinis nationibus, & Hiſpanis formidandam. Ubi quies ab armis, feras conſectatur, aut agrorum cultui inſudat. Pars major populi Divinos honores cacodæmoni impertit. Longis precibus fatigatus, crebro ſe præſentem ſiſtit, ſpecie usque adeo fœda, ut ipſis cultoribus horrorem incutiat. Multos in ipſo æſtu venerationis e cacumine montium præcipites agit, alios aliis dolis enecat. Capti ſemel ea ſuperſtitione (ut ſunt propoſiti tenaciſſimi) ægre ad ſaniora revocari poſſunt. Arioli plurimum negotii faceſſunt, qui errantium duces, pervicaciſſime tuentur ea, quæ olim didicere pueri, & nunc ætate provecti alios docent; turpe nimirum exiſtimant inveteratos errores recantare, & e Magiſtris repente fieri diſcipulos. Iſtorum fraudibus & mendaciis rudior populus ſub jugum teterrimi dæmonis mittitur. Sunt rurſum complures familiæ, omnis ſuperſtitionis expertes. Solis Caſiquiis fas eſt plures uxores alere pro facultate opum. Connubia inter ſe ineunt; proles ſuas ſumma charitate enutriunt, at nullis legibus petulantiam puerilem coercent, omni libertate indulta, quidvis perpetrandi. Hinc immania vitiorum monſtra ſuccreſcunt, niſi fax rationis & felicior indoles turpitudini modum ponat. Vindictæ, humani ſanguinis, ſunt avidiſſimi, uti etiam potus e turcico tritico confecti, quo incaleſcentes, mutuas in cædes ruunt. Viri perinde ac fœminæ præter morem barbarorum decore ſe veſtiunt. Terra, præcipue ſi cultoris induſtria accedat, credita ſemina multiplici reddit fœnore. Goſſypio, oriza, Turcico tritico, pomis jucundi ſaporis, cera, ſaccaro abundat, tum paſcuis alendo gregi uberrimis; non item vitibus, quas DEUS peculiari pro-

providentia huic regioni negavit. Hyberni menſes plerumque imbribus fœdi decurrunt; æſtivi contra ſicci ac nimiis caloribus torridi.

Hanc regionem petere juſſus P. Joſephus Arze anno MDCXCI. cum P. Antonio Ribas ad iter ſe accingit. Cives oppidi S. Crucis, Præcones verbi Divini monent, & obſecrant, ne ſeſe tam ancipitem, ac periculoſam in aleam dent, neve certam Chiriguanorum meſſem incertæ poſtponant; Chiquitos eſſe infenſos Hiſpano nomini, juxta ac Chriſtianis ſacris; operam omnem, vitamque ipſam perdituros in ſterili ſolo. Plura addidere, quæ Viros fortes ac animoſos ab hoc tali itinere abſterrere poſſent. At Joſephus facile intellexit, quæ cura potiſſimum morderet cives. Ad ea tempora non mediocri lucro ſuum peculium auxerant iſti, e Chiquitorum natione, quorum agros occultis procurſionibus adorti, ſæpe cum ingenti præda pecorum atque hominum redierunt: hos veluti mancipia ſibi vendicarunt, quodve Chriſtiano nomine indignum, nonnunquam pretio vendiderunt. Hunc quæſtum interverſum iri metuebant cives, ſi Chiquiti Chriſtianam Religionem amplecterentur. Joſephus etſi prævideret, ſe invidiam atque offenſionem ſuſcepturum apud avariſſimos Mangones, turpiſſimum lucrum acri oratione perſtrinxit, & quod recta ratio, æquitasque ſuaſit, ſine ambagibus expoſuit. Mox mercede conductis, qui compendia viarum oſtenderent, nona Decembris iter ingreſſus, exeunte eodem menſe Chiquitorum regionem attigit. Pleroſque peſtifera lue afflatos reperit, atque adeo in ea calamitate multum cicuratos. Caſiquius gentis, quam nuper obtulerat, petieratque, pacem, confirmat, pollicitus, ſe ea de cauſa nuncios miſſurum ad Prætorem S. Crucis. Orat enixe Patrem, Chiquitorum gentem, graſſantibus tot morbis vehementer attritam, ſibi commendatam habeat, ac novam doctrinam, quam finitimæ gentes ſponte ſuſcepere, doceat. Illico cum Socio primas curas impendit adultioribus ægrotis, quos elementis Fidei rite informatos ſacro latice abluit, & poſt brevem temporis intercapedinem cœlo tranſcripſit. Parvulorum multo majorem numerum hujus felicitatis participem fecit.

Pluribus diebus in hac non minus periculoſa, quam laborum feraci palæſtra verſatus, cum animorum ſaluti, tum corporum incolumitati providit. Quidquid alimenti Chiquitorum ditiores ad Patrem attulerant, id totum in egentes, in ægrotos contulit. Qui malum peſtiferum evaſerunt, P. Joſephi potiſſimum charitati acceptum referebant, quod viverent. Qui deceſſerunt, iis nullum præſidium ad bene, beateque moriendum defuit. Qua inſigni benevolentia, & ſtudio de ſingulis optime promerendi (nam & barbari beneficiis capiuntur) omnem nationem ſibi conciliavit, & ad Evangelicam diſciplinam paulatim flexit. Ubi peſtis conquievit, & liberior facultas cum barbaris agendi aperta eſt, e diſperſis tuguriis in unum convenire jubet; pacis commoda curſim percenſet, & prima capita Chriſtianæ doctrinæ ſemel, atque iterum ſilentio defi-

defixis explanat. Mirabantur miſeri, ſe tamdiu in tenebris ſuperſtitionum ſepultos jacuiſſe, ſuorumque Majorum infelicem ſortem deflebant. Conſpiratis animis inſtant: oppido, templo, locum deſcribat, operam ſuam certatim ſpondent. Propoſuit continuo ille, ut eo prorſus in loco (limitibus Pinocarum adſitus erat) oppidum extrueretur, conjunctis deinceps ædibus habitandum; templi quoque aream, ac molem rudibus lineis expinxit. Statim prælta crux in eminenti colle erigitur: provincia omnis ſupremo Numini dicatur, ſub tutela Auguſtæ Cœlorum Reginæ. Candidati Chriſtianæ Religionis mira alacritate arbores cædunt, cæteramque materiam ædificiis ſervituram apparant, tantaque contentione operi manus admovent, ut paucos intra dies in deſignata area mapalia & templum ſteterit. Iſtud D. Franciſco Xaverio, Magno Indiarum Apoſtolo, una & oppidum conſecrari placuit. Totus dein cum Socio incubuit ad evellendam animis inveteratam ſuperſtitionem, ad firmandam optimis legibus novellam Rempublicam. Parvuli admoti ſalutari lavacro, adultorum deſiderium incenderunt, hoc ipſum beneficium ardentius flagitandi. Verum conſtantia in ſuſcepto vitæ genere exploranda erat. Per idem tempus barbari Penoquies dicti, fama Religionis & Sanctitate permoti, ad ſua tuguria P. Joſephum invitarunt; ſi per negotia id non liceret, orarunt, poteſtatem ut faceret Chiquitos accedendi. Fecit, acceſſerunt. Luſtrantes oculis, quæ auribus acceperant, mirum in modum probarunt ſocialem vitam, incenſique cupiditate ejusdem inſtituti, deſertis ſuis focis, in oppido Xaveriano hilares ſedem poſuere. Hujusmodi acceſſiones frequentius fiebant, ut adeo hæc colonia inter reliquas, quæ procedente tempore apud Chiquitos collocatæ erant, caput extulerit.

At enim tot laboribus impar Vir Apoſtolicus, graviter ægrotare cœpit, propeque de vita migravit in proſperrimo curſu Apoſtolici muneris. DEI benignitas vitam ſolertiſſimi Operarii ad ſalutem barbarorum nati prorogavit. Recepta valetudine, a novo Præſide provinciæ Lauro Nunnezio Tarijam evocatur, ut de ſtabilienda Chiquitorum Miſſione inter ſe conferrent. Non ſine mœrore dimiſſus, per fines Chiriguanorum officio Superioris Miſſionum ornatus, iter inſtituit. Hic oppidum a Virgine Matre in templo præſentata nuncupatum, Patri Joanni Bapt. Cea curandum commiſit, coloniam vero S. Ignatii Patri Philippo Suarezio, & Patri Tolu commendavit. Poſt longam deliberationem Tarijæ habitam, viſum eſt Præſidi provinciæ, munus Superioris Miſſionum transferre in Joannem Bapt. Cea; & Patri Joſepho oppidum Præſentationis B. Virginis regendum deferre, quo nihil cunctatus abiit. Dum omnia agit apud Chiriguanos, quæ e majore DEI gloria & animarum ſalute futura exiſtimabat, triſte nuncium adfertur: Mamalucos in Chiquitorum provinciam irrupiſſe, fœdam ſtragem tuguriorum feciſſe, multosque mortalium ſecum in ſervitutem rapuiſſe. Eſt hoc genus hominum ethnicis, perinde ac Neo-

Neophytis infeſtum. Præter greges pecorum, homines omnis ætatis ac ſexus, abigere ſolet. Horum opera utitur ad eruenda e viſceribus terræ metalla, ad opus domi, rurique faciendum citra mercedem. Reliquam multitudinem, qua non eget, pretio divendit. Ex his latrociniis immenſas opes, veluti e Peruanis auri venis, conficiunt Mamaluci. Sed quæ eſt indoles avaritiæ, ſemper avida, ſemper egens, Mamaluci non contenti divitiis diuturna populatione partis, novas identidem quærunt repentinis ſuis invaſionibus. Joſephus ſiniſtro hoc rumore perculſus, cum paucis Chiriguanis ad opem ferendam feſtinavit. At fruſtra: namque prædones paucis duntaxat ſtationibus evaſtatis, cum omni præda in ſua ſe latibula abdiderunt, priusquam Chiquiti, peſtifera lue nuper imminuti, convenire armati potuiſſent. Plurimum detrimenti acceperunt Tabiquæ, Tauſii, & Boji Chiquitorum nationes. Iſtarum reliquias collegit, ac oppido S. Raphaelis Archangeli, vallis & foſſa præmunito adverſus repentinas invaſiones, ſapienti prorſus conſilio incluſit.

In arma rurſum coorti Mamaluci, ſtragem Chiquitis, & oppidanis S. Crucis minitabantur. Explorato illorum conſilio atque itinere, advolat Joſephus ad Prætorem, aperit diſcrimen rei Chriſtianæ, ni audacia prædonum armis infringatur. Annuente Prætore centum & triginta Hiſpani, quibus cordi erat Religionis cauſa, ſumptis propere armis ad veteres, novasque injurias ulciſcendas ſe ſponte obtulerunt. His adjunxit Joſephus e Chiquitis tercentum prælongis lanceis inſtructos. Cum hac militari manu, feſtinatis itineribus profectus in agrum Penoquium, quos nuper Xaverianis Chiquitis acceſſiſſe retulimus, intelligit Mamalucorum Duces cum tumultuario exercitu impune prædabundos, & ſolum inermibus colonis metuendos, imminere oppidanis S. Crucis, eosque ad ictum deſtinaſſe. Ergo flexo pauliſper itinere, in hoſtes recta tendere viſum eſt, ac ſceleſtos homines ferro, & igne quam primum delere. Emenſi unius diei iter, ſub primis tenebris haud procul a caſtris Mamalucorum conſederunt, ſilentibus ſignis, nullo excitato igne, ne ſui indicium hoſtibus præberent. Noctem eam Hiſpani in emaculanda conſcientia, in piis precationibus exegerunt. Chiquiti truces adhuc, & implacati ob recentem cladem, ſignum invadendi hoſtes generis humani cupide expectarunt, vixque cohiberi poterant ab invaſione caſtrorum. Aperiente ſe die, ut ad teli jactum pervenere Hiſpani & Chiquiti, ſublato pariter clamore imparatos invadunt, & primo impetu utrumque Ducem ſternunt. Conſternatis ſubita irruptione, & ſiniſtro ſuorum Ducum caſu Mamalucis, dum ſinguli ſibi, ſuisque ſpoliis conſulere nituntur, ingenti ſtrage funduntur. Multi in campo ab iratis Chiquitis intercepti, prædandi & vivendi finem fecere indeprecabile ſupplicium promeriti; multi in flumen Penoquium compulſi, partim pugna & curſu feſſi, partim natandi rudes, vorticibus aquarum hauriebantur; multo plures in avios ſaltus & nemora fugientes, veluti indagine capti a victore, in vincula conjecti fuerunt.

runt. Captivorum non contemnendus numerus in libertatem aſſertus, lætitiam nobilis victoriæ auxit. Fractis tam proſpero certamine Mamalucorum animis, tranquilla pace frui licebat Chiquitis, & civibus Sanctæ Crucis.

Redux ad Chiriguanos, Superiorum voluntate in Gvarania munus Apoſtolicum exercere jubetur. Circa annum MDCCII. cum binis Patribus Cea & Herbas e Paraquario flumine aditum quæſivit ad Chiquitos, ſed incaſſum. Meliori ſucceſſu idem opus aggreſſus eſt cum P. Bartholomæo Blende, poſteaquam tribus & decem annis Chiquitorum præcipue gentem inſtituiſſet. Ut jam demonſtratum eſt in vita Patris Blende: menſe Januario anni MDCCXV. conſcenſis navigiis ad urbem Aſcenſionis, ſeptem menſium difficili navigatione ad famoſam paludem Xarai venerunt Patres, & Gvaranii, qui ad pericula propulſanda delecti erant, fidiſſimi cuſtodes corporum. Hic ſubſiſtere juſſo Bartholomæo Blende, Joſephus Arze cum duodecim Gvaraniis ad inveſtiganda viarum compendia in Chiquitorum provinciam, diſceſſit. Diu per avia ſilvarum & montium erravit, inter ſexcenta pericula. Præter tigrides, viperasque ferocientes, comites itineris plerumque habuit famem & ſitim. Sæpe arborum foliis, vulſisque radicibus famem fefellit verius, quam explevit. Sitim olidæ paludes & lacunæ reſtinxerunt. Exhauſtas quotidianis viarum incommodis vires morbus gravior penitus afflixit. In eo virium defectu, rerumque omnium inopia, admonuit ſuos Gvaranios, ut ſe relicto ad ripam cujusdam fluvii, iter relegerent ad paludem. Geſtiebat nimirum Vir Apoſtolicus omni humano ſubſidio nudatus mortem non diſſimilem Xaverianæ oppetere. Hæc tanta Patris Joſephi, in ſupremo, ut apparebat, morbo, ſuorum cura, acuebat Gvaraniorum induſtriam ad fovendum conſervandumque optimum parentem. In omnem partem diſcurrentes, cervum jaculis conficiunt, minutos piſciculos e vicino fluvio adferunt, tum teſtudines miræ magnitudinis, & ſaluberrimas herbas, quarum ingens copia iis in regionibus. Sic natura medentium ruditatem ſupplet. Ex his cibos ſumma ſedulitate conficiunt, languenti præbent, & veluti Joſephi vita omnes viverent, unius vitam in oculis, in animis omnes ferunt. Charitatem veterum Chriſtianorum parem reſpexit DEUS. Vires recepit, convaluit, cœptumque iter erecto, præſentique animo proſecutus eſt pedes, etſi Gvaranii rete penſile, paratum haberent, deportaturi eum, quo vellet. Tandem auſpice DEO e vaſta ſolitudine emergentes, viam tot calidis ſuſpiriis, tot ſudoribus antea quæſitam reperere. Hymno Ambroſiano magna pietate recitato, poſt infinita tædia oppidum Chiquitorum S. Raphaeli dicatum acceſſere. Inſtauratis neceſſaria quiete viribus, relecto itinere ad paludem Xarai feſtinarunt, ſed jam Bartholomæus Blende ſecundo Paraquario defluxerat.

Deſtitutus omni navigio Joſephus, ex arboris prægrandi cortice lintres fabricari juſſit. His impoſitus cum Gvaraniis, celeri remorum pulſu

defe-

deferebatur ad urbem Aſſumptionis. Ut ventum erat ad oram Payaguarum, Gvaraniis repentino metu perterritis animi ceciderunt. Excitabat illos identidem Joſephus, & ſiquidem Religionis cauſa occumbendum foret, exciperent alacres hanc felicitatem, cujus gratia tot Europæi ſe vaſto oceano committerent. Dicentis oratione animati, remis more ſuo incumbunt. Payaguæ ſpoliis illecti, quæ non ita pridem e navigio cæſi Bartholomæi Blende tulerant, duce Cotago ex inſidiis erumpunt, ac Patris Joſephi lintrem invadunt, nulloque Gvaraniorum repugnante, ſtatim occupant. Joſephum in ripam ejectum, repetitis clavæ ictibus dirum in modum mactant; cadaver ſive in epulas, ſive ludibrium, Gvaycuræis relinquunt. Itineris ſocios pari de cauſa, videlicet odio Chriſtianæ legis e vita proturbant. Fama eſt P. Joſephum Arze ſe ſpectabilem præbuiſſe in urbe Aſſumptionis Commendatori, ut vocant, de mercede redemptionis captivorum, ſuo olim diſcipulo in paucis charo, ea ipſa hora, qua laureola Martyrii inſignis occubuit, ab eoque preces petiiſſe, ad obeundam forti animo mortem in teſtimonium Fidei. Ingens ſui deſiderium reliquit P. Joſephus Arze non apud ſuos modo ſed etiam exteros, & præcipue Neophytos, quorum cauſa nullas ærumnas ſubterfugit. Numeravit annos ætatis quinque ſupra ſeptuaginta; initæ Religionis XLVI. ſolennis profeſſionis quatuor votorum XXIX. Mortem glorioſus Chriſti pugil excepit anno MDCCXV. menſe Decembri, dies non innotuit.

P. DIDACUS FRANCISCUS ALTAMIRANO

HISPANUS MADRITENSIS.

Pater Didacus Franciſcus Altamirano Hiſpanus, numerari jure poteſt inter clariſſima Societatis Paraquaricæ lumina. Patrem habuit Didacum Altamirano, Virum Nobilem, & Jurium peritiſſimum; Matrem Eleonoram Mariam Altamirano fama ſanctitatis per Hiſpaniæ urbes inclytam. Hæc a fatis mariti rigidiorem vivendi normam amplexa, piisque veſtigiis Mariæ de Eſcobar inſiſtens, famam ſanctitatis auxit, & filiis, quos decem rara felicitate ſuſcepit, cum frequentibus monitis, tum multo magis exemplo pietatem inſpiravit. Didacus dum Alcalæ leges civiles condiſcit, in Societatem receptus a Franciſco Aguado provinciæ Toletanæ Præſide,

Indias

Indias votis omnibus concupivit. Diſciplinis Philoſophicis excultus, ad annum milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimum ſeptimum, in Paraquariam ſolvit, ubi Theologiæ curſum diſcipulus emenſus, ſubinde Magiſter eandem per annos quindecim magna nominis celebritate docuit. E ſcholaſtica palæſtra evocatus, Socium Provincialis, dein Procuratorem & Miniſtrum Collegii Cordubenſis, ac denique totius provinciæ Paraquaricæ Præſidem egit. Evoluto negotioſo, ac inquieto hoc triennio, Cordubam rediit, & quietiorem ad clavum ſedem nanciſcitur.

Non diuturna hæc quies erat. Namque in comitiis provincialibus Procurator ad Urbem delectus, in Europam renavigavit. In fluvio Argenteo adeo ſæva tempeſtate jactatus fuit, ut prope naufragium fecerit. In portum Januarii fluminis compulſus, Luſitano navigio conſcenſo, ſecunda navigatione Ulyſſiponem tenuit. Inde Madritum digreſſus, Procuratoris Generalis provinciarum Indicarum munus, morte deceſſoris vacuum, ſumma prudentia & dexteritate obivit, quoad anno MDC. LXXXVII. iter capeſſeret Romam ad comitia univerſæ Societatis. In iis renunciatus Præpoſitus Generalis Thyrſus Gonzalez, jubet Didacum Viſitatoris munus, poteſtatemque exercere in provincia Novi regni, addito mandato, uti eandem duas in provincias dividat, quarum alteri Quitenſe Collegium præcipua ſedes eſſet, alteri S. Fidei Archi-Epiſcopalis urbis Collegium. Antequam vela faceret in Americam, pro ſua poteſtate Hiſpali Indicarum provinciarum Hoſpitium ab adminiſtratione Rectoris Collegii S. Hermenegildi avulſit. Præterea ſexaginta Socios ad provehendam in Paraquaria rem Chriſtianam collegit, & ab Aula Madritenſi diploma obtinuit, quo potiſſimum jura Gvaraniis olim data, adverſus quorundam crudelem avaritiam ſtabilita ſunt, ac novi favores liberaliter conceſſi Chriſtianæ militiæ candidatis.

Hæc poſteaquam inſigni prudentiæ laude perfeciſſet, in Novum regnum velis converſis, octo & quadraginta dierum intervallo portum novæ Carthaginis intravit. Reperit, neſcio quid offenſionis ac ſimultatis obortum inter Præſulem urbis, & ſacrum Inquiſitionis tribunal. Offenſionem alere, ac oleum affundere ſerpenti incendio, vulgi ſermone dicebatur Sacerdos noſtræ Religionis, in eodem tribunali officium *Qualificatoris* gerens. Id credidit Præſul, acerbeque expoſtulans cum Viſitatore, flagitavit, ut hominem in ordinem redigat, ac pro merito cauſæ plectat. Reus in examen vocatus, odioſam ſuſpicionem nullis rationibus nixam, nullis indiciis probatam, ſed e trivio hauſtam, facile abſterſit apud Didacum; non ideo tamen placavit Præſulem, qui rejecto etiam duodecim virorum ea in urbe principum teſtimonio de innocentia Sacerdotis, caſtigandum urgebat. Nempe ſuſpiciones interdum aliquas nulla ſatis diluit innocentia. Cum in dies tardior fieret Didacus ad plectendum hominem, ſacro præſertim Tribunali partes accuſati acriter tuente, in ſe concivit Præſulis iram: negat inprimis poteſtatem, quam Didacus enixe petie-

petierat, publicandi ſacram Miſſionem in templo principe; ſed non propterea piæ exercitationes, e quibus hujusmodi Miſſiones conſtant, intermiſſæ ſunt. In noſtris ædibus omnia ex ordine peragebantur ingenti accurſu, fructuque civium. Exulceratus majorem in modum Antiſtes, quo certiore telo Didacum feriret, Viſitatoris munus occupat. Dimittit e ſua familia quemdam, ampla cum poteſtate luſtrandi ſtationes Miſſionariorum, per diœceſim ſparſas. Ad opus maturandum ſtimulos addidit Præſes Senatus Regii, noſtris inimicus & infeſtus, quod jura Neophytorum tuerentur acrius, ac avaritia Mangonum, ſuum peculium per omne nefas augere cupientium patiebatur. Didacus etſi Jura Societatis ea viſitatione convelli ſentiret, nihilominus ne animum Præſulis gravius exulceraret, monuit Miſſionarios: omiſſa intempeſtiva jurium defenſione, Viſitatorem authoritate Diœceſani propediem adfuturum, omni humanitate ac religioſa modeſtia exciperent. Paruerunt omnes.

Viſitator, quemadmodum juſſus erat, minutatim inquirit: qua integritate morum agant Miſſionarii inter Neophytos? quam ſtrenue curent Divina myſteria? qua charitate ægrotis, ac morientibus conſulant? quanta induſtria explanent verbum Dei, & ſpeciatim inſtituant parvulos? quorum a cultura Religio vires & ornamentum trahit. Tum illud ſolerti cura, ſtudioque rimatur: quod genus tributi dependant Neophyti? quantam vim auri & argenti Miſſionarii collectam habeant? quantam in Europam ſuperioribus annis trajecerint? Hæc atque alia capita poſteaquam per ſe, per alios, clam, palam, omni rigore diſcuſſiſſet, multa cum laude Sociorum Carthaginem reverſus, ſiniſtra invidorum admurmuratione accipitur, veluti multa per incuriam, aut clementiam prætermiſiſſet. Continuo alter, rigidior, ut putabatur, Ariſtarchus eadem loca jubetur luſtrare. Sed & iſte confectis legitimis inſtrumentis, innocentiæ teſtis rediit. Laudavit Patrum pietatem, ſolicitudinem, patientiam ferream in conquirendis, erudiendisque hominibus ingenio barbaris, & ex conſuetudine ſolutioris vitæ adverſus omnia legum vincula contumacibus. Retulit præterea, alios ſumma rerum omnium laborare inopia, alios pluribus annis pane triticeo, vino, & ſale penitus caruiſſe, neque carnem guſtaſſe, niſi e venatione allatam, eamque male decoctam. Quotidianum victum eſſe pierisque herbam, radices, legumina & ſilvarum fructus. Veſtes longo uſu detritas, aſſutisque diverſi generis laciniis refertas, e corpore ſenſim defluere. Divitias non reperiri alias apud eos, quam lucra animarum. Quanto quis plures ad communem familiaremque vitam traducit barbaros, tanto ſe ditiorem reputare. Hæc talia, cum nulla adactus neceſſitate adulandi, quotidie prædicaret, ſiniſtram opinionem multis ademit de immodicis opibus a Miſſionariis in America corraſis. Porro Præſul literaria inſtrumenta utriusque Viſitatoris flammis tradidit, quibus multum inclaruit Sociorum fama.

Nondum ſopitis hiſce litibus, altera emerſit. Antonium Riera noſtræ Societatis Sacerdotem, diſciplinæ domeſticæ impatientem, ac contumacem, P. Didacus in Collegio claudi juſſerat. Ille injuriam ſibi factam queritur, Senatusque Regii Carthaginenſis opem implorat. Didacum incuſat veluti omnia per vim & tyrannidem ageret, nullum conſilio, æquitati, legibus locum relinqueret. Regius Senatus nihil veritus aliena jura invadere, partes Antonii non modo tueri cœpit, ſed eundem quoque poteſtati Viſitatoris eripere tentavit. Communi conſilio, unum e ſuo gremio Senatorem addunt ſocium Vicario Generali Diœceſeos, qui Antonium etiam contra voluntatem Viſitatoris in priſtinam libertatem aſſerat, ejusque integrum negotium mitiori Judici committat. Per vim e cuſtodia eductum Patrem Antonium, Didacus pro ſua poteſtate e Societate dimiſſum palam pronunciat, negatque eum jam habere locum inter ſubditos Carthaginenſis Collegii, ducerent proinde illum, quo ampliſſimus Senatus juberet. Perturbatus inexpectata ſententia Regius Senator pauliſper hæſit; tum addidit: ſe ab Senatu Regio in mandatis accepiſſe, ut P. Antonium Riera Societatis Jeſu Religioſum ſecum abduceret, ſequeſtro in loco deponendum. Repoſuit Viſitator: ſe quidem poteſtatem habuiſſe Patrem Antonium e Societate dimittendi, non item in eandem recipiendi. Probatum erat Viſitatoris factum Romana in Curia. Advenit poſtea anno MDCXCIII. die XXI. Junii, ex aula Madritenſi diploma Regium, quo ſevere monebantur Regii Senatores, ne inpoſterum quidpiam moliantur adverſus jura Societatis, Tridentini ſtatuta, & Eccleſiaſticos canones.

Multo pacatius princeps diviſionis negotium aggreſſus eſt Didacus, proſperoque ſucceſſu perfecit. Collegia, & domus reliquas cum fundis ex æquo partitus, duas Vice-Provincias conſtituit, alteram *Sanctæ Fidei*, quæ appellationem Novi Regni etiamnum retinet, alteram *Quitenſem.* Singulis ſuos Præſides dedit, & ſubinde utramque ſine circumſcriptione provinciam dixit. Annos facile octo huic laborioſo negotio impendit, & compoſitis, quæ in hujusmodi locorum partitione enaſci ſolent, controverſiis, utramque pacatam, ac ſtabilitam reliquit. Mox Peruanam provinciam Viſitator obivit, cum poteſtate Rectores Collegiorum nominandi. Sex annos hoc in munere, ſenilem prudentiam, dexteritatem, vim conſilii, conſtantiam animi, cætera, quæ magnos, & rebus maximis dignos efficiunt, ſic omnibus probavit, ut apud exteros juxta & domeſticos perenne ſui deſiderium reliquerit. Proregem tamen Indiæ ſibi minus affectum ſenſit. Statim in principio initi Magiſtratus moleſtiam faceſſivit: quærit ex Didaco: utrum Miſſionarii ex Europa advecti, omnes Indorum procuratione occuparentur, an aliis muniis diſtinerentur? mandatque ſingulorum nomina ut porrigat, adpoſitis minutatim muneribus, quibus, quanto tempore, qua ratione unusquisque fungeretur? Verum graviſſimæ literæ Madrito allatæ, quo Didacus odioſum poſtulatum diſcu-

ſcutiendum miſerat, ſilentium impoſuere Proregi anno tertio ſupra milleſimum ſeptingenteſimum die XVII. Junii. Pari felicitate evertit machinam ejusdem Proregis, ad labefactandam Præpoſiti Generalis authoritatem, inſtructam. Volebat ille, multisque perſuadere nitebatur aulæ Madritenſi, ut nominatio Superiorum pro Collegiis Americanis a Præpoſito Generali facta, robur nullum obtineat ante, quam Senatus Regius pro Indiis Madriti conſtitutus, eandem ſua authoritate probaret, fulciretque. At Rex Catholicus a Didaco plene informatus, pro ſuo in Societatem ſtudio, ac æquitate, nihil immutandum cenſuit, jusque integrum legendi Superiores Præpoſito Generali reliquit. Denique idem Prorex multum adlaboravit, uti Adoleſcentes Limani Seminarii S. Martini, noſtræ curæ concrediti, prætermiſſis aliis literis, ſcientiam duntaxat legum Civilium ac patriarum condiſcerent; jamque decretum hac ſuper re edidit, parum ſolicitus de operariis Evangelicis, qui Indiæ agrum errorum monſtris refertum perpurgarent, & ſementem ſanæ doctrinæ facerent. Evicit Didacus, ut præciſe ii Alumni, qui ſtipendiis Regiis aluntur, navarent operam Juri, ea tamen lege, ut quatuor ex iſtis, nunquam interrupta ſerie, diſciplinas ſacratiores, morum & legum conſcientiæ quæſtiones, pertractent, ſeque aptos reddant ad procurationem barbarorum.

Evoluto negotioſo & inquieto ſexennio, quietiorem ad clavum ſedere juſſus, Limanum Collegium S. Pauli magna facilitate & felicitate gubernavit annis quatuor. Poſteaquam optimum ſenem octoginta annos natum, vires deficere viderentur ad alios regendos neceſſariæ, ad ſupremum iter ſemet comparavit. Octo annis poſtea vixit valetudine commoda, ſenſibus integris, memoria ſat fideli. Obſervatum eſt, Patrem Didacum, diuturnitate vitæ ſuos Germanos (quos novem omnino numeravit, omnes hæredes maternæ pietatis) multum ſuperaſſe; ut vel inde mortales vitæ longioris cupidi diſcere poſſint: vitam fore tutiſſimam, ſi ea ad nutum voluntatis Divinæ fingatur. Reliquum vitæ ut ne otioſus ageret, ad conſcribendam provinciæ Peruanæ hiſtoriam animum adjecit. Præclaro operi intentum mors occupavit. Levi febricula correptus menſem unum æger decubuit; die tandem XXII. Decembr. anni milleſimi ſeptingenteſimi decimi quinti, Sacramentis morientium munitus, ſibique præſentiſſimus, ſenſit abrumpi exile vinculum, quo in corporis cuſtodia tenebatur, cupiensque *diſſolvi & eſſe cum Chriſto* ad eum placidiſſime evolavit, cujus ſub labaro in Societate ſtipendia fecit annis quatuor & ſeptuaginta; inter Profeſſos quatuor votorum, quinquaginta quatuor annis. Juſta funebria ſolvit, accurrente undique Limana Nobilitate, Præſes provinciæ Religioſorum D. Auguſtini, qui maturatis precibus ſupremum hoc officium exoravit prius, quam Metropolitani Collegii Canonici, & Præſul Truxillenſium intellexiſſent Patrem Didacum deceſſiſſe, idem officium præſtare geſtientes. Truxillenſis, quod unum licebat, inſequenti die, auguſtiore ritu in templo noſtro piaculare ſacrum fecit.

Viget etiamnum, & vigebit inpoſterum apud Socios Peruanos, Quitenſes, Novi Regni, & Paraquarienſes, memoria Patris Didaci Franciſci Altamirano ob egregias dotes gubernandi, & Religioſas virtutes, quas hic, velut flores tumulo curſim inſpergam. Temperatam agendi rationem conſtanter amplexus, incredibile, quam omnium animos ſibi devinctos habuerit, dum in præcipuis illis Societatis noſtræ muneribus, omnes ſingulari humanitate acciperet, augeret honoribus, atque penitus & omnino ſuos faceret. Suavitatem longo uſu magiſtro, quam optime novit quadam ſeveritate temperare; illamque regulam Superiorum perpetuo reſpexit: *In delictis caſtigandis ita ſeveritatem cum lenitate admiſcendam, nemo ut ſpe lenitatis impune ſe peccaturum confidat, nemo ſeveritatis metu veniam, emendationemque deſperet.* Hinc illud exiſtit, quod merito debent, quicunque aliis præſunt, optare, ut ab omnibus amentur æque ac timeantur. Errata vigorem diſciplinæ laxantia minime diſſimulavit. Contumaces, diſciplinæque Religioſæ impatientes, nulla habita ratione natalium, ſtudiorum, veluti membra peſte correpta, ubi oleum & fomenta non valuerunt, ferro purgare aggreſſus, author erat, ut a corpore Societatis abſcinderentur. In deligendis Superioribus multum deliberans, ſi deluſum ſe vidit, errorem continuo correxit. Summa moderatione, Præſidis, Viſitatoris provinciarum munus ſuſtinuit, Inſtituti a S. Parente conditi rationes ubique ſecutus, quas ita perſpectas habuit, nullum ut eſſet jus ſeu privatum, ſeu publicum, quod capaciſſima mente non poſſideret. Hinc non vulgaris illa præſentiſſimi vis conſilii, annis & uſu regiminis matura prudentia, mira celeritas & felix ſucceſſus in rebus graviſſimis, dubiis, multisque obſeptis difficultatibus, expediendis. Pervigil excubabat, ne exteri Societatis jura impune invaderent, neve ejus adminiſtrationem attingerent, probe intelligens plurimum obeſſe & Religioſæ diſciplinæ & ipſis Religioſis, dum prodeſſe volunt. In Hiſpania commoratus, Regem Catholicum, Regios Miniſtros Madriti frequens adiit, magnamque ab iſtis gratiam inivit, explicandis rebus Americanis, quarum erat apprime gnarus. Nunquam, niſi rogatus, de civili Indiarum adminiſtratione, de Præſulum regimine ſermonem miſcuit, hacque moderatione animi narrationibus ſuis fidem, authoritatem conciliavit. Certe Rex plerumque ea rata habuit, quæ Didacus ad propagandam Religionem, ad Neophytorum jura conſervanda deinceps poſtulavit.

In comitiis univerſi Ordinis egit cum Europæis Provincialibus, ut ſtrenuos, ac viritim lectos ſacrarum expeditionum candidatos in partem laboris Evangelici ſubmitterent; prudenter quippe cenſebat: *ſucceſſum hujusmodi expeditionum virtute Sociorum, non multitudine contineri.* Hac adhibita cautione phalangem lectiſſimam in campum Paraquariæ immiſit, cujus felices pugnas, & victorias de ſuperſtitione reportatas, ſuismet oculis lætus ſpectavit. Præſes Paraquariæ provinciæ ſtationes Miſſionariorum, qui apud Moxos, præferocem populum, rem Chriſtianam curabant,

bant, annos quatuor & ſeptuaginta natus luſtravit, nihil deterritus viarum difficultate, & inſidiis barbarorum. In hoc, aliisque itineribus (viginti ſeptem leucarum millia emenſus fuit) id ſibi curæ, cordique perpetuo habuit vir graviſſimus, ut liber a domeſticis negotiis, Indorum puerulos doceret elementa Fidei; adeo nihil leve viſum eſt Viro Apoſtolico, annis, laboribusque fracto, quod pertinet ad ſalutem animarum.

Præclaris gubernandi artibus conjunctas habuit egregias virtutes. Eminebat inter cæteras paupertatis amor. In America, & Europa præcipuis Magiſtratibus functus, præter lipſana Sanctorum, non admodum pretioſæ incluſa thecæ, nihil apud ſe habere ſolitus erat. Horologio minoris molis ut in itineribus uteretur, nunquam ab eo potuit impetrari. Dona Principum ad relevandam Neophytorum egeſtatem, vel reſtituendum templorum nitorem derivavit. Puriſſimum Angelicæ virtutis florem tumulo intuliſſe creditur. Hunc omni arte fovere in ſe, aliisque contendit. Narrant eum, opera Æthiopis viribus prævalidi uſum fuiſſe in perdomando corpore; frequenter lapillos injeciſſe calceis, quo moleſtius greſſum moliretur. Cum vero caſtimoniam non alia magis comite gaudere intelligeret, quam animi demiſſione, hanc in deliciis numeravit. Nullum verbum ſibi elabi patiebatur, quod quidem ad ſui laudem, & famam nominis pertineret; quin imo familiæ ſuæ Nobilitatem miro tegebat ſilentio. Semel duntaxat hoc qualecunque oppoſuit ſcutum ad propulſandam injuriam, & jura Societatis tuenda. Angelorum panem reluctante ſtomacho ſumptum, cum ægrotus quiſpiam vomitu egereret, Pater Didacus victor abhorrentis naturæ reſorbuit; quo heroico facto luculenter patefecit ſuam erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum venerationem.

P. BARTHOLOMÆUS XIMENEZ

HISPANUS OSUMENSIS.

Biennio poſt Patrem Altamirano ſecutus eſt P. Bartholomæus Ximenez perinde Paraquariæ & Europæ notus, ac ille, mortemque haud diſſimilem Altamiraneæ nactus. Avitis opibus, honoribus contemptis Adoleſcens annorum quinque & decem, Hiſpali ad S. Ludovicum tyrocinium Societatis adiit anno MDCLXXII. Primis ſtatim menſibus cœpit cupiditate flagrare adjuvandi Americanos, quorum regiones inopia operario-

rum laborare e literis Romanis intellexerat. Voti compos felicibus Euris in portum Boni aeris invectus, Cordubæ Tucumaniæ ſingulari commendatione ingenii, omnium ſeveriorum diſciplinarum arcana exhauſit. Sacerdotio auctus ad annum octogeſimum tertium ſupra milleſimum ſexcenteſimum, in Gvaranicum agrum, tot Apoſtolicorum Virorum ſudore, & ſanguine rigatum provolat. Iſthic ſub veteranis & multo uſu Evangelici muneris exercitatis Magiſtris, ut fieri ſolet, rudimenta Apoſtolicæ vitæ novus miles poſuit. Linguam barbarorum addiſcere, Neophytos in ſacras ædes cogere, cibaria viritim diſtribuere, evigilare ſedulo, ne quis Mangonum oviculas carpat, aut ipſæ priſtina libertatis paſcua clam repetant, primas ſui muneris partes eſſe exiſtimavit. Poſteaquam notitiam idiomatis combibit, huc illuc expatiabatur animarum cauſa. Induſtria, dexteritasque agendi Patris Ximenezii advertit Superiores; dum ei provinciam impoſuere perveſtigandi cum aliquot Sociis aditum e flumine Paraquario ad Chiquitorum gentem. Quæ pericula, quas ærumnas cum ſuis Sociis in permoleſta navigatione ſubierit, paucis enarravi in vita Patris Joannis Bapt. Neuman; reliqua in *libro vitæ* accuratius exarata legere licebit, quando a cœleſti Patrefamilias vocabuntur operarii labore perfuncti, accepturi pleniſſimam mercedem.

Hac mercede incitatus Ximenezius in Gvaraniam redux, nihil omiſit eorum, quæ ad ſalutem animarum, ad extollendam Divini Numinis gloriam facere videbantur. Multus erat in excolendis accolis fluvii Monday, quibus nuper Hieronymus Delfinus amorem civilis vitæ indidit, ac oppidum inhabitandum attribuit, cui nomen a JESU factum. Fundamenta Chriſtianæ vitæ Mondayenſes a P. Delfino accepere; at cæteram ſtructuram, ornatum, & ultimam manum cœpto ædificio P. Ximenezius impoſuit. Dum quotidianis ſpoliis orco detractis rem Chriſtianam auget, omniaque tuta arbitratur, in ejus caput aliquot barbari furioſi, atque præcipites e ſilvis recens pellecti conjurant, & patratum fuerat ſcelus, ni accepto aliunde indicio, ducem meditati facinoris gravi oratione fregiſſet. Duce ſubacto, reliqui non modo ab omni injuria abſtinuerunt, verum etiam æquiores ſe oſtenderunt ſacris Chriſtianis, capti temperata illa agendi ratione (quippe nullam pœnam irrogaverat) Patris Ximenezii. Sed poſtea pluribus periculis objectus erat in eadem Gvarania. Neophytorum ad Uruguay flumen conſidentium agros, Jaroſii ethnici ſingulis annis populabundi percurſare ſolebant; omnem, quæ extra oppidorum ſepta reperiri potuit, hominum, pecudumque prædam abigentes. Sæpe maturas fruges, jamque a Neophytis demeſſas, repentinis irruptionibus ſui juris fecere, ac una populatione longam famem miſeris crearunt. Alebant Jaroſiorum audaciam quidam Chriſtiani (quod mireris) e colonia S. Gabrielis, qui captos ære redimebant, ac pro more ſuo mancipiorum inſtar habebant. Metus inceſſerat Societatis Superiores, ne Neophyti frequentia injuriarum feſſi, relictis oppidis fugam capeſ-

capeſſant, atque adeo plurium annorum labores cum ingenti detrimento rei Chriſtianæ, & ærarii Regii evertant. Placuit ergo ad tutelam agrorum Neophytis arma dare, & armorum terrore rapacitatem prædonum cohibere. Ximenezius etſi peritior tractandi Evangelium, quam arma, Superiorum juſſu domeſticum hunc militem regendum ſuſcepit, potiſſimum æſtivo tempore, quo Jaroſii vaſtitatem agris inferre ſolebant. Sed cum clade aliquoties rejecti, ad ſua defendenda potius, quam aliena invadenda animum appulerunt. Sex & viginti annis, verbis & præcipue factis, Gvaranios erudiit; ſua modeſtia, comitate, orationis ſtudio, iisdem morum integritatem, caſtimoniam, temperantiam & juſtitiam colendam perſuaſit. Nempe & exempla vim vocis obtinent, quam omnis uſu rationis præditus intelligit, & tandem ſequitur.

Subinde Miſſionum earum Superior dictus, a priſtina conſuetudine Neophytos procurandi nihil omiſit, quin imo pro ampliore ſua poteſtate, eorum non modo neceſſitatibus, ſed commodo etiam ubique gentium ſerviebat. Rector Septemfluentini Collegii, in comitiis provincialibus, Paraquariæ Procurator Romanus eligitur. E portu Boni aeris die XIII. Decemb. anni MDCCXIV. profectus, Europam, quam ante unum & quadraginta annos in flore ætatis reliquit, caput, barbamque canus, præter ſpem ſuam incolumis reviſit. Madriti inſigni fortitudine modeſtiæ juncta, Miſſionarios Paraquariæ defendit adverſus quorundam calumnias non minus avide arreptas, quam temere ſparſas. Ad hæc Hiſpanos Proceres præcipui nominis, ſuæ cauſæ patronos nactus, explicatis primum Neophytorum ærumnis, tum feritate & avaritia aliquot Europæorum, ſeveriora edicta adverſus Mangones a Rege obtinuit. Momenti plurimum addidit Pater Tauventon conſcientiæ Regis moderator e noſtra Societate, Vir præſenti ingenio, expeditoque, ac mirus gloriæ humanæ contemptor, qui in corona XIV. Procerum, de ſtatu Paraquariæ, cujus erat apprime gnarus, diſſeruit, confecitque poſtremum: *Neophytos Paraquariæ, referre veteris illius ac naſcentis Eccleſiæ imaginem, eſſeque fidiſſimos Majeſtati Catholicæ.* Hujus Viri opera in aula potentis, multa impetravit Ximenezius ad refrænandam Mangonum avaritiam.

Romæ non minore felicitate negotia ſuæ provinciæ tranſegit. Lacrimas excuſſit Adm. R. P. N. Præpoſito Generali, dum in genua projectus coram Patribus congregatis, ſenili, ſuſpiriisque animata eloquentia, Sociorum ſupplementa in Paraquariam mitti oravit. Ad oſculum pedum Clementis XI. ſummi Pontificis perbenigne admiſſus, paſtoralem illius curam, plenumque benevolentiæ animum in Paraquaricam Eccleſiam, in Socios Miſſionarios, e familiari ſermone de rebus Paraquariæ inſtituto agnovit, fauſtaque precatione donatus, ſacros favores pro ſuis oviculis lætus abſtulit. Addidit Dux Florentiæ in reditu, donum rari pretii, levandæ Neophytorum paupertati opportunum. Cumularunt proſperos ſucceſſus duo & ſexaginta Socii, quos hæreditarius ardor alienæ ſalu-

ſalutis e diverſis Europæ domiciliis in Americam evocavit. Has ſubſidiarias copias ſuo ductu, ſuis auſpiciis in portum Boni aeris invexit anno MDCCXVII. die XIII. Julii eo ipſo tempore, quo Gvaranii Neophyti ſecundo fluvio Uruguay defluxerant ad urbem Boni aeris. Quibus viſis, incredibili perfuſus lætitia, illud S. Simeonis accinuit: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine.* Præſagiiſſe videri potuit ſuum fatum candidus cygnus. Namque Collegium ingreſſus affecta valetudine, octavo poſt reditum die in præſentia Gvaraniorum ſupremum vixit, ad ultimum momentum ſibi præſentiſſimus.

Eluxit in P. Bartholomæo Ximenezio fortitudo animi quibusvis periculis par, conſtans in DEUM fiducia, ſingularis animi demiſſio, qua dona naturæ & gratiæ, quibus abundabat, tegere in more habuit. Certe dum Procurator ad Urbem deſignatus foret, vehementer mirabatur, tot præſtantiſſimis Viris præteritis, ſe, nec conſilio, nec prudentia valentem, ad ardua pertractanda negotia delectum. Conſectabatur, quidquid abjectum & vile, vaniſſimi homines in deliciis numerant. Inter Neophytos eodem cibo, eodem lecto utebatur, quo illi. Veſtem goſſypinam, veprium, ac dumetorum aculeis fœde mutilatam non ante poſuit, quam modeſtia imperavit. In curiis, in aulis Principum, veluti in ſua Paraquaria ageret, non vultum, non animum mutavit. Quam in ſe rigidus, tam mitis in ſubditos. Horum errata, tanquam ulcera diſciplinæ Religioſæ, non ferro, ſed oleo fomentisque purganda ajebat, niſi pervicaciæ malum accederet.

P. BLASIUS SILVA
PARAQUARIUS.

INter præſtantiſſimos Viros, quos Societati dedit America, jure non poſtremum ſibi locum vendicat Pater Blaſius Silva. Primam lucem aſpexit in urbe Aſſumptionis, anno MDCXLVI. die III. Febr. præcipuos urbis illius cives nactus parentes. Puer probiſſimæ indolis, e denſis illis ignorantiæ & errorum tenebris in Cordubenſem Academiam ſtudiorum cauſa transfertur; ubi morum integritate, literarumque laude eximius, adeo ſe P. Viſitatori Andreæ Rada commendavit, ut ab eodem in Societatem noſtram cooptari meruerit die XXX. Julii, anni MDCLXIV. Jactis ſub P. Auguſtino de Aragon, magno illo Magnorum Virorum cum in literis, tum in ſpiritu Magiſtro, firmiſſimis virtutum fundamentis, Philoſophicis,

&

& ſacratioribus diſciplinis operam navare jubetur; quibus felix alioquin a natura ingenium, ea induſtria excoluit, ut non multo poſt Miniſter Cordubenſi Collegio, una & Procurator datus, arctiore quatuor votorum vinculo Societati ſe obſtringere ſit promeritus. Muneribus iſtis cum laude functus, in Collegio Boni aeris rem familiarem Paraquaricis Miſſionibus deſervituram, aliquo tempore procuravit. Procedente tempore, complura noſtrorum Collegia ſumma omnium approbatione rexit, & Operarii partes cum inſigni acceſſione rei Chriſtianæ obivit. Socius deinde provinciæ Præſidem quadriennio comitatus, toti demum provinciæ ſapientiſſime præfuit, quam multo amplius illuſtravit, dum dimiſſa Præſidis dignitate, ad ſacras expeditiones Paraquaricas, a quibus nuper avulſus erat, animum rurſus adjecit; nec apud P. Viſitatorem Antonium Garriga precibus agere deſtitit prius, quam voti compos, ad eas redeundi copiam impetraſſet. Redditus Neophytis ſuis ſtrenuus animarum curator, nullam eos juvandi opportunitatem ſibi elabi ſuſtinuit. Nihil arduum illi, nihil vile, nihil erat abjectum; immo quæ laborioſa magis & contemptui proxima, ſtudioſe expetebat; atque ſic omnes ſolertiſſimi Miſſionarii partes omnino explevit.

Iſthæc inſignis animi ſubmiſſio, ardensque Divinæ gloriæ & animarum *zelus, quam pretioſus fuerit in conſpectu Domini*, ſatis patuit, dum glorioſa morte a Payaguis barbaris ex odio haud dubie Chriſtiani nominis die IX. Septemb. anni ſupra milleſimum ſeptingenteſimum decimi ſeptimi illata, præclaras ejus virtutes coronavit. Evocaverat P. Sylvam Præſes provinciæ ad conventum provincialem, Cordubæ Tucumanorum celebrandum, cui ille, fractis licet viribus eſſet, prompte obſecutus, Cordubam properavit. Ut vero ſtato tempore adeſſet, navi ſe credidit, & beneficio fluminis, cui Parana nomen, defluere cœpit. Jamque ad vicina Itati, quod oppidum curæ Religioſorum S. Franciſci Seraphici commiſſum eſt, feliciter appulſus erat, ubi ad aram facturus, non multo tempore ſubſtitit. Sed en! cum *portatilem*, ut vulgo appellant, arulam ſuam explicat, ſex celocibus ſubito advolantes Payaguæ, ex inſidiis P. Blaſium, nautis alio diſtractis, ad aram opprimunt, ac direpta celerrime navi, captivum cum tribus Gvaraniis (cæteri in fuga ſalutem repererunt) in adſitam inſulam ovantes abripiunt. Tum veſtibus ſpoliatum, fune conſtrictum terræ furioſe allidunt, calumniis & verberibus liberaliter onerant, victoriam de inermi ſene, barbara crudelitate reportatam, inconditis ululatibus concelebrant. Ad hæc Caſiquius Payaguarum, homo projectæ audaciæ, magnique apud ſuos nominis Ariolus, Sacerdotalem veſtem indutus, cerimonias Chriſtianæ Religionis ludibrio habere, ſacroque calice ad compotationes per ſummum ſcelus abuti cœpit. Excanduit ad hanc impietatem Sacerdos DEI, & audacter in ſacrilegum mimum invectus, temeritatis gravi oratione coarguit, pœnas quoque Divinæ ultionis comminatus, ni cœpto deſiſtat. Caſiquius impotens ſui, quem manu tene-

bat calicem, ea violentia in os ſalubria monentis contorſit, ut uno impetu plures dentes eidem eliſerit. Nihil commotior tam inſigni injuria, fractis vocibus præferocem hominis animum emollire, & a ſacrilega ſacrorum profanatione revocare conatur. Sed irritatus majorem in modum barbarus, in proſtratum ſenem irruit, tamque valido ictu oculum ferit, ut illico diſruptum cruenta plaga extuderit. Superatus eximia Viri patientia, totum corpus pugno barbarum in modum pulſat. Pulſando feſſus, ſeminecem loro cædi jubet, donec ſua ipſorum crudelitate fatigati carnifices, verberibus abſtinere ſunt coacti. Ne ſpiranti etiamnum vitam facerent reliquam, immerſa pectori lancea, meritis gravem animam e corporis cuſtodia exemerunt; atque ut omni ex parte ſe barbaros probarent, repetitis gravioris clavæ ictibus, in occiſi caput ſævientes, defluo in terram cruore ſagittas conſperſerunt.

Nondum his exſaturata fuit parricidarum crudelitas. Trucidatis pari immanitate tribus memoratis Neophytis, ſpolia partiti, in venerandas Divorum icones furere perrexerunt. Hæc omnia Septemfluentinus civis, Payaguarum id temporis captivus, ſuiſmet oculis ſpectavit, ac recuperata libertate coram Prætore Paraquariæ jurejurando affirmavit. Præterlapſo a morte Patris Silvæ quatriduo, alter e Societate noſtra Sacerdos ad eandem congregationem provinciæ pariter iturus, fato quodam altiore ad iſtam inſulam devectus, temere abjectum Patris corpus reperit; quod cum honore compoſitum, navi ſua Itatum deportavit, ibique cum ſeptem aliis Sociis, majoris ſecuritatis ergo illic commorantibus, tumulo intulit, annuenteque liberaliter Religioſo ex Ordine D. Franciſci Curatore oppidi, qua potuit, ſumma pietate eidem parentavit.

Eminebat in P. Blaſio Silva cæteras inter virtutes peculiaris modeſtia, & demiſſio animi, quam diuturno uſu adeo familiarem ſibi reddiderat, ut viliſſimis, abjectiſſimisque delectari ſolitus, ea munera, quibus ſplendoris quidpiam ineſſe poterat, precibus etiam deprecari ſæpius ſit auditus. Imo ad præfecturas, quæ fulgoris quidpiam in vulgus habent, vitandas, longum non raro erratorum ſuorum catalogum coram Superioribus in medium depromebat. Quia tamen obedientiam matris ſuæ Societatis pupillam eſſe noverat, ſtudioſe cavit & illud, ne ſua pertinacia in eam peccaret. Ceſſit proinde Superiorum voluntati, & munia ſibi delata ita ſuſcepit, ut non tam honores, aut commoda eorum, quam onera humeris ſuis impoſita perſenſerit. Quippe Superior nominatus, communem vivendi normam conſtanter tenuit; ſæpe etiam ſuorum ſubditorum, quos morbus lecto affixit, vices in adminiſtrandis officiis magna animi alacritate obire ſatagebat, veluti unus de numero eorum foret. Suavis ad hæc, & temperata agendi ratio ei erat; errantes emendare conſueverat incuſſo, poſt erratum demonſtratum, pudore potius, quam irrogata publice pœna, niſi Inſtituti noſtri ſanctitas ſeveritatem poſtularet. In monendo, aut reprehendendo, nullam vocem ſibi excidere patiebatur aſperio-

riorem, aut qua reum facere minoris, & aſpernari videretur. Paternam gravitatem materna temperabat indulgentia; nullo cujusquam lapſu ita commovebatur, ut immutatum erga delinquentem animum, aut imminutam de ipſo exiſtimationem præſetulerit, multo autem minus emendationis deſperationem patefecerit; ſatis gnarus ſpem regreſſus, ac pudorem eſſe optimum officii magiſtrum, nec certius deſperare ullos, quam qui deſperare de ſe vident. Inventi ſunt nihilominus quidam turbulenti ingenii, qui vanis ſuſpicionibus agitati, eum præcipitis judicii condemnarunt, quaſi ab illo acerbioribus, quam par erat, pœnis affecti, & de erratis apud provinciæ Præſidem delati fuiſſent. Horum non neſcius P. Blaſius, etſi nullo negotio ſiniſtram hanc de ſe opinionem eximere poſſet, alto tamen ſilentio eousque preſſit omnia, quoad providentia Numinis, cui ſe committere ſolebat, innocentiam ejus in aperto poſuiſſet. Hæc inſignis moderatio animi, & injuriarum tolerantia, frequenter alias etiam admirationi fuit. Dum Præſidis provinciæ Socium ageret, unus aliquis quam neſcio injuriam ab illo ſibi illatam commentus, aſperius eum appellavit, plura audacter commemorans, quæ ſui impotens animus ſuggeſſerat. Tacente P. Silva, de injuria aliunde certior redditus Præſes, effrænem hominis audaciam caſtigare, & exerrantem linguam in gyrum reducere apud animum conſtituerat. At cognita Præſidis voluntate, mox læſus ſupplex accidit, neque prius precibus agere deſtitit, quam reo veniam magna ſuæ virtutis commendatione impetraſſet. Præſidis deinde munere ornatus, ſtomachantem acerbius ſubditum ea patientia ſuſtinuit, ut is non multo poſt ſibi redditus, in ruborem totus abierit, veniamque temeritatis ſuæ genibus advolutus, inter lacrymas efflagitaverit. Eam obtinuit cum fœnore. Sanctum nimirum erat optimo Patri, injuriarum oblivisci, vel eorum ſæpius meminiſſe, non ut ulciſceretur eas, verum ut vinceret *in bono malum*, peculiari cum poſſet beneficio, offenſam compenſaret.

Quam eximius Angelici candoris cultor extiterit, illud ſit documento, quod nulla inordinata affectione pulſatus, vitam vixerit in carne Angelicam, atque adeo ipſum integritatis florem, nulla inquinatum labe, tumulo & cœlo intuliſſe perhibeatur. Quod pretioſum donum Virgini Matri in acceptis referre potuit, quam a prima pueritia ingenioſis pietatis officiis ſibi demeruit, & tanquam potentiſſimam gratiarum Matrem corollæ Marianæ recitatione quotidie veneratus eſt. His, aliisque virtutibus, geminam, eamque haud vulgarem charitatem junxit; alteram erga DEUM, erga proximum alteram. Illa omnes actiones ſuas ad unam Numinis majorem gloriam exemplo D. Ignatii referebat; hac inflammatus, ſalutem proximorum, quam totus ſpirabat, eousque promovit, donec in illuſtre utriusque virtutis hujus teſtimonium, vitam, & ſanguinem poſuit, meritisque ac ætate gravis ad capeſſenda æterna laborum ſuorum præmia, dum annum ætatis ſeptuageſimum, initæ Societatis quin-

quinquageſimum numeraret, vitæ hujus ærumnis exolutus, glorioſe evolavit.

P. JOSEPHUS MASSO VALENTINUS.

PLacuit hoc loco P. Joſephum Maſſo addere, qui eorundem Payaguarum manu, die, Patris Blaſii Silva mortem ſequente, id eſt: X. Septemb. anno MDCCXVII. pari crudelitate trucidatus eſt. Agebat P. Joſephus oppidi S. Ignatii majoris in Miſſionibus Paraquaricis Curatorem, maximo emolumento Neophytorum. Evocatus ad eadem comitia provincialia, ut Cordubæ adeſſet in tempore, ex Atingano portu, in comitatu duarum cimbarum, Itatum verſus feſtinavit. Sed incertum, quo fato, ejus cimba a duabus avulſa, Itatum prætervecta eſt, & quatuor inde leucas ſubſtitit, ſole jam in meridiem inclinante. Recreatis levi prandio viribus, navigationem proſecuturi nautæ, a ripa naviculam retruſerant, cum ex improviſo ſex lintribus contra ſe velociſſimo curſu ab adverſa ripa ferri conſpiciunt Payaguas, qui locorum ignaris facilius ut imponerent, ſe amicos ſimulant, corruptamque ex Hiſpano vocem *amico*, ſæpius, atque iterum repetunt. Nihil fraudis, aut periculi ſubeſſe rati Neophyti nautæ, remos retrahunt, amicos, ut incauti putabant, excepturi. Verum ubi propius acceſſere barbari, ingentem vim ſagittarum in P. Joſephi celocem excutiunt. Tum perterriti ea tempeſtate ferrea, ad arma conclamant Neophyti; at occupati a Payaguis breviſſimum intra temporis ſpatium plerique venenatis telis confoſſi occubuerunt. Pauculi, qui per denſum ſagittarum imbrem mortem evaſerant, ad P. Joſephum convolant, ſuam & illius vitam in hoc extremo diſcrimine defenſuri. At jam Payaguæ fluvio dominantes, celocem, in quam ſe receperant, undis merſerunt adeo, ut collotenus miſeri Neophyti aquis innatarent. Reſtitere tamen fortiter, & quantum licuit, vim vi retuderunt. In hoc iniquiſſimo certamine, parricidarum unus ſagittam in P. Joſephum evibravit, quæ penitus trajecta per pectus, lethale vulnus fecit. Deficiente vita, collegit utcunque ſpiritum, fractiſque vocibus ſuos hortatus eſt ad ſubeundam mortem illius amore, qui prior eam amore noſtri in crucis patibulo ſuſtinuit; rogavitque, ut omiſſo certamine, miſeram hanc vitam, ac perbrevi annorum ſpatio circumſcriptam, felici & in omne ævum dura-

duratura commutent. Plura dicere parantem barbarus occupat, ac prævalido ictu lanceæ vocem & vitam ademit.

Vixdum hac tragœdia peracta, alteram a longe adventare vident celocem, eamque propius accedentem, magnis animis invadunt, ſpe freti futurum, ut ea facilitate, qua paulo ante, hac etiam potirentur. Præter opinionem res accidit. In armatos etenim viros offenderunt, qui tanta fortitudine iniquis invaſoribus ſemet oppoſuerunt, ut extracto ultra horæ ſpatium cruento certamine, loco cedere barbarorum turbam coegerint. De his certior factus, qui Prætoris vices in Civitate Septemfluentina gerebat, absque mora cum militari manu advolavit, depulſisque Payaguis, cæſorum cadavera colligi & ſepulturæ mandari præcepit, eo potiſſime mæſtus, quod corpus P. Joſephi Maſſo, diu, multumque perquiſitum, omnem veſtigantium induſtriam luſerit; haud dubie barbarorum odio, quo in Magiſtros novæ legis, & Sacerdotes ardent, in flumen abjectum, vel certe ad crudelitatem paſcendam, in interiora ſilvarum abreptum. Vilior ejus ſupellex in cimba reperta eſt; at Sacerdotalem apparatum ſæviſſimi parricidæ diripuerunt, quo ſatis prodiderunt, & quantum ſacra omnia deteſtarentur, & non tam ſpe prædarum, quam odio Chriſtianæ Religionis ad hoc facinus patrandum ſe impulſos fuiſſe.

Natale ſolum Alcoram, regni Valentiæ in Hiſpaniis oppidum, habuit P. Joſephus Maſſo; ubi anno MDCLVIII. die XII. Januarii illuſtri genere in lucem editus, ac literis manſuetioribus Tarracone præclare inſtitutus, ibidem anno MDCLXXIX. die XVI. Maji aditum nactus eſt in Societatem noſtram. A tyrocinio, incredibili animarum deſiderio inflammatus, ad Americanas expeditiones animum appulit, quo etiam cum Procuratoribus Patre Grijalva, & Patre Donvidas navigavit. Diuturna & moleſta hæc navigatio tantopere valetudinem ejus attrivit, ut contracti ex ea morbi reliquiis per omnem deinceps vitam vexatus fuerit. Abſolutis non vulgari ingenii, & induſtriæ laude, diſciplinis ſeverioribus Cordubæ Tucumanorum, ſeptem continuis annis totum ſe Neophytorum ſaluti impendit, quo tempore ſolennia quatuor vota profiteri juſſus eſt. Inde revocatus in Boni aeris Collegium, Miſſionum Paraquaricarum rem familiarem procuravit. Tum eidem Collegio Vice-Rector quadriennio præfuit. Verum non optimo loco res ſuas arbitrabatur, niſi Miſſionibus, a quibus nuper per leges obedientiæ abſtractus erat, redderetur. Quare obtenta iteratis precibus abeundi poteſtate, ad Gvaranios lætus ſe contulit, quorum felicitati & procurandæ, & augendæ ita totum ſe conſecravit, ut nihil omnino prætermiſerit eorum, quæ optimum, ac filiorum ſuorum ſtudioſiſſimum Patrem commendare poſſunt.

Fidem profecto ſuperat, quas rerum difficultates vicerit, quas perſecutiones perpeſſus ſit, quos labores denique in eorum gratiam exhauſerit. Inter alia, quæ pro Gvaraniorum ſuorum commodo præſtiterat, id quoque ſolicite curabat, oppida illa, quorum adminiſtrationem ſuſtinebat,

ſacellis, templis ut ornarentur, atque horum nitore, & Sacramentorum ſolerti adminiſtratione ab aliis diſcernerentur. Ad iſta, & quamplurima alia, quæ ſigillatim recenſere longum foret, Chriſtianæ pietatis, charitatisque exercitia, ardentiſſima animarum ſitis, charitas adverſus DEUM, & ipſa jam aſſuetudine durata laborum tolerantia, vires illi ſufficiebat. Neque valetudo, qua fracta admodum & afflicta ſemper utebatur, impedimento fuit unquam, quo minus in procurandam illius gentis ſalutem ſolicitus incumberet. His exercitationibus aſſiduo occupatus, ad comitia provinciæ, ut nuper narravi, arceſſitur, ſed Cordubenſe cœlum valetudini ſuæ perinfenſum veritus, delatum ſibi honorem per literas deprecatur. Verum privata incommoda publico provinciæ emolumento poſtponere, & Cordubam properare eſt juſſus. Quo profecturus, dum imperatum iter peragit, in manus Payaguarum incidit, quorum furori barbaro, obedientiæ præmio coronanda victima cecidit; poſteaquam vir multarum palmarum annos ætatis LIX. Societatis XXXVIII. ſpectatæ ſanctimoniæ fama ſuperaſſet.

Finis Decadis Septimæ.

DECAS
OCTAVA.

P. ANTONIUS PARRA HISPANUS.
P. LAURUS NUNNEZ ARAGONIUS.
P. JOANNES BAPT. CEA HISPANUS.
F. ALBERTUS ROMERO HISPANUS.
P. FRANCISCUS HERBAS HISPANUS.
P. FRANCISCUS BURGES CATALAUNUS.
P. ANTONIUS SEP TYROLENSIS.
P. JOANNES ALFEREZ HISPANUS.
P. LUDOVICUS ROCCA NEAPOLIT.
P. JOSEPHUS IGNAT. DE LA MATA HISPANUS.

P. ANTONIUS PARRA
HISPANUS ROBLEDENSIS.

INter illuſtres Paraquaricæ provinciæ Viros, locum obtinuit præclaris ſuis virtutibus P. Antonius Parra. In Hiſpaniis ſeverioribus diſciplinis excultus, Americanas Miſſiones ambire cœpit. Dum Collegii Complutenſis Miniſtrum agit, voti fit compos, jubeturque ſubſidiarios Socios in Paraquariam deducere, quos Didacus Franciſcus Altamirano e domiciliis Europæis magno cum delectu collegerat. Vix in provinciam Paraquariæ pervenit, Cordubæ Tucumanorum quatuor vota profeſſus, noſtris Tyronibus informandis præficitur. Eo in munere tanta cum laude verſatus eſt, ut ad comitandum provinciæ Præſidem tantiſper abſtractus, ejusdem ſuffragio ad intermiſſum munus exercendum rediret. Rexit dein Collegium Aſſumptionis

in Paraquaria, tum Boni aeris, denique Cordubenſe; cujus in regimine ad æternitatem abiit. Reſeratis poſt obitum literis Romanis, univerſæ provinciæ Moderator deſignabatur, poſteaquam anno jam præterlapſo Patrum congregatorum votis nominatus fuiſſet, qui de rebus provinciæ ad Urbem referret. Sic Roma, ſic tota provincia, ad ornandum præcipuis muneribus Virum conſpirarunt, ne poſteri ambigerent, eum maximis quibusque præfecturis parem omnino fuiſſe.

Ut P. Antonii ſanctioris vitæ, virtutumque haud vulgarium, rudem quampiam imaginem animo poſſis deſcribere, juvat attuliſſe heroica illius propoſita, quæ hic pene ad verbum reddimus: *Domine JESU Chriſte Rex omnium! ego licet indigniſſimus mortalium, fretus miſericordia tua, deſidero me totum dare tuo obſequio, & ſubjicio totum me, meaque omnia tuæ Divinæ voluntati; teſtorque coram tua infinita bonitate, & glorioſa Virgine Matre tua, ac etiam mea, & coram univerſa cœleſti curia, iſtud eſſe animi mei firmum propoſitum, ut oſtentui omnium habitus, pro ſtulto, inſanoque irriſus, te ſequar amore mei contemptum, in laboribus & afflictionibus, mei cauſa laſſatum, & ſub crucis pondere fatiſcentem.* Alias hujusmodi ſibi leges ſcripſit: *Aſſidua Numinis præſentia, precatio accurata, pura & fervens. Mentis plena libertas ad agendum. Nunquam ſequi impetus animi repentinos; conſulta potius ratione opus inchoandum, perficiendumque. Oportet me eſſe affectionum Dominum. Vitare honorum titulos, ſplendida munia; præfocare omne deſiderium placendi hominibus, flocci facere vanos timores eis diſplicendi. Audere difficillima quæque ad extollendam Numinis gloriam. Fiduciam omnem in DEI auxilio locatam habere, ipſo ajente: Invoca me in die tribulationis, & eruam te.*

His, aliisque munitus, ivit per omnes virtutum gradus, & cum in apice eſſet, arbitrabatur ſe humi depreſſum & cœleſtium inanem jacere; ſuamque veluti ignaviam puniturus ad infima ſemet demiſit. Certe cum tyronibus præeſſet, ad peragenda in culina & triclinio abjecta quamvis officia alacer provolavit, tantaque accuratione & frequentia ollas, lances a ſordibus repurgavit, ut cum ipſis tyronibus de palma certare videretur. Atque hunc ſuum morem per omnem vitam altiſſime retinuit. Ergaſtula inviſebat frequens, & poſtquam vinctorum corpora cibariis recreavit, animos etiam pia dictione pavit. Rector Collegii Cordubenſis, faſſus eſt ingenue: *ſibi ne in mentem quidem venire potuiſſe, grave illud munus humeris ſuis impoſitum iri, ad quod cum dignitate illud ſuſtinendum, vires ſibi impares nemo ignoraret;* addiditque: *ſe malle famulitii noſtri gratia coquinam exercere, modo ab onere viribus ſuis longe ſuperiore liceret eſſe eximio.* Procurator ad Urbem principe loco delectus, Patribus congregatis ingenii tarditatem palam & pluribus expoſuit, utque ſe ab hac provincia immunem vellent, diſertiſſime peroravit; ſed animadverſo omnium conſenſu, non ultra obluctandum ratus, munus quidem admiſit, vereri tamen nunquam deſiit, ne detrimentum aliquod provincia pateretur.

Cum

Cum tam abjecte de ſe ſentiret, facile id ab ſe impetravit, nulla ut commodioris vitæ ratione habita, viliſſima non modo ſibi deberi exiſtimaret, ſed ultro etiam expeteret. Studio paupertatis, uno precum horariarum Sacerdotalium, & altero de contemptu mundi codice, ac detrito centone contentus, induſio goſſypino utebatur; quod æger lineo permutare juſſus, ad curatorem valetudinis verſus ajebat: *ſe eatenus ignoraſſe, inter medicinas locum habere induſium lineum.* Annis jam gravi, veſtem e panno Segovienſi Superior dari cum mandaſſet, fatebatur: *ſe viginti retro annis nunquam perinde ſplendide veſtitum fuiſſe.* Nempe hæc beatæ paupertatis ornamenta, velut illuſtres e triumphato mundo manubias ſancti aucupantur, & honori pariter & lucro apponunt, nihil ſibi deeſſe rati, cum DEUM habent. Tenuiori licet valetudine uſus, minimas Inſtituti noſtri regulas ſumma cuſtodivit cura. Obedientiæ adeo ſtudioſus erat, ut de ſuis rebus nec ſtatuere quidquam, nec deſignare auderet. In extremo morbo a Medici ductu, imperiisque unice pendebat. Lubet ex libello, qui poſt obitum ejus repertus fuit, unam alteramve formulam adnectere, qua ad æris campani ſignum ſe ad matutinam contemplationem excitabat: *Cogita Antoni! te nominatim vocari a Diviniſſimo ſponſo iis verbis cant. 2. v. 10. Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni;* vel Angelum tibi dicentem: *Surge velociter - - - circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me, Actor. 12.*

Pro conſervanda virginei pudoris integritate, nullam cenſebat ſupervacaneam curam. Non ignarus: theſaurum, cui multi hoſtes inſidiantur, multa cautione cuſtodiri debere; & in magno periculo ſapientem eſſe omnem omnino metum. Corpus ſetoſo, aut ferreo cingulo conſtrictum, acri flagellatione affligebat. Profeſtos Virginis Matris, & Divorum noſtræ Societatis dies, jejunus ac prope impaſtus exegit; certe ad panem & aquam adhibuit nihil. Reliquis vero diebus tanta uſus eſt parſimonia cibi, potusque, ut continuam jejunii legem ſibi poſuiſſe diceres. Condimenta cibis addidit nulla; quin maligna in febri, qua demum conſumptus eſt, cum lingua præ faucium ariditate finderetur, has tamen non niſi juſſus frigida eluere ſuſtinuit. Atque in hoc extremo, quem dixi, morbo luculenter patuit, quanto Angelicæ puritatis ſtudio teneretur, cum præciſe medentium imperio adigi potuerit, ut brachium ad purgandum canaliculum, evehendis noxiis humoribus opportunum, nudaret. A morte non mediocris in cadavere apparuit cicatrix, cujus ulcus nemini antea aperuit, ne ad illud conſanandum partem illam corporis alienis oculis ſubjicere cogeretur.

Pro ratione munerum, quæ geſſit, ut ſe in multa divideret, curam ſuaviſſimæ pietatis præcipuam habuit. Multum temporis quot diebus dedit piis commentationibus, longoque uſu magiſtro edoctus, quam bonum, quam jucundum ſit adhærere DEO, quo propius accedebat ad limen æternitatis, eo ardentius cupiebat *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.*

Poſt longam ægritudinem, cum melius habere videretur, ſpem ſalutis recuperandæ annunciantibus repoſuit: *Nihil triſtius hoc nuncio potuiſſe afferri, quo exilii ſui tempus prorogari intelligeret; interim ſperare, ſe ſalutem nullo unquam morbi genere infringendam conſecuturum die D. Ignatio ſacro;* quo etiam obiit, eventu prædictioni fidem faciente. Sacroſanctam Euchariſtiam adibat frequens cum maximo pietatis ſenſu. Ex hoc lucis & gratiæ fonte hauriebat ſaluberrima lumina, reficiebat vires morbo, tædiis, ætate imminutas. Eximius cultor Beatiſſimæ Virginis, Sabbata per annum omnia & profeſtos illius dies publica in triclinio verberatione ſolennes habuit, ac voto obſtrictus coronam Marianam diebus ſingulis recitavit. S. Ignatium, & conditam ab eo Societatem eximie venerabatur, cujus honoris tuendi cauſa, publicos ſubditorum nævos, ut ut quibusdam nimium rigidus videretur, nunquam ſivit impunitos. Eorum commoda providus Pater curare ſtuduit, partemque laborum in ſe fronte hilari derivavit. Intempeſta nocte ſæpius ipſe ad ægrotos procurrit, ne ſubditi quietem interrumpere cogerentur. Alienam calamitatem inſigni commiſeratione ſublevabat; nemini, qui ſtipem flagitaret, eam negari patiebatur, non ſine manifeſto cœli favore. Fama vulgaverat, crumenulam, qua nummi in egenorum turbam ſpargendi continebantur, nunquam fuiſſe imminutam. Ipſa domicilia, quibus P. Antonius præerat, hujus commiſerationis luculentam mercedem acceperunt, prædiis domiciliorum ſolitam ubertatem vincentibus. Nempe modum divinæ liberalitati noſtra fiducia, perinde ut eſt ampla, vel anguſta, ponit.

Hæc inter virtutum, ac regiminis exercitia, die ſecunda Julii morbo tentari cœpit. Credebatur peſtifera lue afflatus, quæ tum temporis Cordubam depaſcebatur. Bina aſceteria pro ſalute P. Antonii publicas preces ſuſcepere, ſed incaſſum. Malo ingraveſcente, inter ardentiſſima ſuſpiria die trigeſimo primo memorati menſis, hora ſexta matutina anno MDCCXVIII. ſui ſecurus, pie admodum exceſſit. Vixit annos ſexaginta; quorum quatuor ſupra quadraginta in Societate exegit. Mortuus venerandam ſpirabat majeſtatem, oris habitu non male referens Venerabilem P. Ludovicum de Ponte, quem, dum viveret, imitandum ſibi ante alios conſtituit. Domeſticos perinde atque externos magno dolore affecit Viri præſtantiſſimi mors, quod illi ſibi Parentem optimum, hi firmiſſimum Reipub. Chriſtianæ columen ereptum judicarent. Concurſus omnium ordinum ad honeſtandum funus fiebat. Multi ad figenda manibus, pedibusque oſcula properarunt, multi capillos & ungues pio furto deſecuerunt tanta aviditate, vix ut veſtibus, quibus indutus erat, audax pietas temperarit. Illuſtriſſimus Præſul Cordubenſis Eccleſiæ, qui funus curabat, non leve impenſi laboris pretium ſe retuliſſe affirmavit, quod catenam cuſpidibus armatam obtinuerit. Vivit etiamnum P. Antonii Parra memoria in animis Cordubenſium, quam is ſolum dies, qui nobiliſſimam hanc urbem, extinguet.

P. LAU-

P. LAURUS NUNNEZ
ARRAGONIUS.

SIngulari DEI nutu atque conſilio evenit, ut Juvenis annorum XIV. pulcherrimis naturæ, gratiæque donis inſtructus, poſt repetitas preces, in provincia Arragoniæ ab aditu Societatis prohiberetur. Quippe jam tum boni Superi provinciæ Paraquaricæ eum deſtinavere, cujus poſtea multiplici ſua doctrina, veterana prudentia, temperata gubernandi ratione, virtutumque non vulgarium exemplis, ornamentum, ac fulcrum evaſit. Venerat forte e Paraquaria P. Joannes Paſtor Procurator ad Urbem; quo cognito, Candidati animum pertentaturus Præceptor, quo utebatur in Dialectica, quærit: num in Indias proficiſci vellet Societatis conſequendæ cauſa? pollicitus ſe omnem collaturum operam, ut cum P. Procuratore eo deveheretur. Ille, etſi, quid, & ubi terrarum Indiæ forent, prorſus ignotum ſibi diceret, illud tamen ſibi perſuaſum repoſuit, victurum ſe apud *Garamantas & Indos* feliciſſimum, modo in Societate degere liceat. Tam prompta, tam candida indole delectatus Procurator, poſt dierum aliquot moram eum in Paraquariam avexit, nec tamen ante, quam provinciam attigit, Societatis adeundæ poteſtatem fecit.

Mores nulla inquinatos labe in Cordubenſem Tyronum domum intulit, & magnis virtutibus biennio excoluit. Inde ſtudiis admotus in eadem Academia, ea ſagacis, ac præcellentis ingenii laude omnem arenam Philoſophicam juxta, ac Theologicam decurrit, ut tertium probatus, illico in eadem arena alios, atque alios exercere ſit juſſus. Ariſtotelem annis quatuor explanavit; de D. Thoma paulum plus meruit; nam unum & viginti annos arcana Theologiæ diſcipulis tradidit, tam ſolidæ doctrinæ commendatione, ut primis Societatis noſtræ Theologis jure accenſendus videatur. Ipſe Antonius de Rada, Viſitator pene totius Americæ Meridianæ, ſapientiam Viri & eruditionem admiratus, non alium exiſtimarat aptiorem Lauro Nunnezio, ad explicandos ſacrarum legum nodos, ad evolvenda noſtri Inſtituti ac juris Pontificii ænigmata, aliasque difficultates, quæ in hujusmodi magiſtratu, pleno nonnunqnam agmine occurrere ſolent. Celebrabatur ergo Nunnezius velut oracu-

lum, etſi ætate juvenis; quidquid ille in rebus dubiis, controverſisque pronunciavit, id ratum, & ſanctum fuit.

Dum ſic in pulvere literarii ludi deſudat, Superiorum voluntate ad gubernacula admotus, poſtquam provinciæ Præſidis Socium egit, Collegium Saltenſe gubernavit; Tyrones ac Patres tertiæ probationis e diſciplina Societatis inſtituit annis quindecim, dein præfuit Cordubenſi Collegio, ac demum univerſæ provinciæ repetitis vicibus. Semel, atque iterum Procurator ad Urbem erat electus, ſed Romana deſignatio, qua provinciam moderari jubebatur, electionem irritam fecit. Vir ſingulari prudentia, & animo ſemper erecto, graviſſima negotia ſuſcepit tractanda, proſperoque ſucceſſu expedivit. Litem ab Illuſtr. Præſule Cordubenſi motam Collegio noſtro, apud Regium Senatum Chuquiſacenſem feliciter compoſuit. Monſerratenſe Regium Seminarium educandis juvenibus deſtinatum, illius potiſſimum opera aſſurrexit. Illud ut erigeretur pro Nobili Juventute Cordubenſis Athenæi, ubi videlicet a primis annis, cum bonis literis, mores ſuis natalibus dignos combiberet, plurimorum votum erat, & quidam etiam ultra vota progreſſi, rem omni Paraquariæ utiliſſimam pro viribus in Hiſpaniis urſerunt. P. Nunnezius perruptis obicibus, ſua agendi dexteritate effecit, ut illuſtris Vir Ignatius Duarte de Quiroga, ſive de Quiros, triginta ſcutorum argenteorum millia e prædiis colligenda Societati addixerit, cum onere excitandi Nobilium Adoleſcentum Seminarium. Poſteaquam illud interprete P. Franciſco Altamirano, Rex Catholicus ſuam in tutelam accepit, ſtatim nobili ſtructuræ manus admotæ, authore & operas urgente P. Nunnezio, commodi publici ſtudioſiſſimo. Stetit ædificium numeris perinde omnibus abſolutum, ac præſidiis ad vitæ uſus neceſſariis inſtructum, miraque gratulatione omnium ordinum, Senatus Regii Chuquiſacenſis, ipſius Antiſtitis Cordubenſis, ac Prætoris Tucumaniæ, anno nonageſimo quinto ſupra milleſimum ſexcenteſimum, Nobiles Adoleſcentes incolas accepit. Addidit Nunnezius leges excolendis moribus, virtutibus, & literarum ſtudiis condiſcendis adeo opportunas, ut domus ea jure optimo Nobile virtutis & literarum Seminarium audiat. Certe pars melior Cleri alienæ ſaluti addicti, Collegia Sacerdotum, Præſules quoque non minus vitæ integritate, atque ſapientiæ laude præſtantes, ſuam inſtitutionem illi Seminario debent. Impari ſucceſſu, ſed non minori exiſtimatione virtutum, ædificium alterum molitus eſt pro tyronibus noſtris. In Cordubenſi Collegio tyrones cum Scholaſticis commorabantur. Nunnezius in id omne ſuum ſtudium contulit, ſeparata in domo ut tyrones ex inſtituto Societatis informarentur; idque ad fovendam teneram illorum pietatem plurimum intereſſe rectiſſime cenſuit. Certe non ſine detrimento Religioſæ diſciplinæ didicimus, impreſſa tyronum animis prima perfectæ virtutis, & Religioſæ vitæ lineamenta facile deteri & obſoleſcere inter diſcentium conatus, niſi ea lineamenta alte inſculpſerit Magiſter virtutis, priusquam

libe-

liberiori quodamodo auræ exponantur. Nactus locupletes patronos Nunnezius, eorum venia, quorum intererat, domum ſat amplam ad culmen perduxit, tyronesque in eam tranſtulit. Jamque etiam ſacrarum ædium fundamenta jecerat, cum ædificium ſevero mandato Superiorum proſequi vetatur, novis incolis in veterem ſtationem remigrare juſſis. Nihil obmovit Vir ſapiens, nec deinceps pro ſua domo orare auditus eſt. Lætiore ſucceſſu ultima manus impoſita fuit Collegio Tarjienſi; cujus initia P. Nunnezius id temporis univerſæ provinciæ præfectus, conſilio & ære promovit. Miſſiones præterea Chiriguanorum & Chiquitorum non exiguis acceſſionibus amplificavit; Paraquaricas item ſaluberrimis conſiliis fovit, vectigalibus auxit, legibus ſtabilivit.

Quantum porro provinciæ commoda promovere geſtiebat, tantum ſuis religioſis virtutibus eandem illuſtravit, ſeu regeret alios, ſeu regeretur. Lenitate & clementia ſubditos moderari ſolitus, dum licebat, omni terrore pœnarum abſtinuit, ſapienter exiſtimans, jugum obedientiæ allevandum, ac quodam quaſi oleo charitatis molliendum. At animadverſo, errantes in viam minime flecti poſſe lenioribus, non dubitavit acriora admovere, ac ferro perpurgare, quod oleum reſpuebat. Non ceſſabat hortari Socios, ac ſtimulare ad ſedulitatem orandi, cœleſtium nempe bonorum fontem, & virtutum cæterarum nutricem, idque unum enixe commendandum Superioribus ajebat, ne quenquam ita diſtringi laboribus patiantur, ut ſuum orationi tempus deſit. Studia literarum Scholaſticis noſtris magnopere commendavit. Eos plurimi fecit, qui inſigni doctrinæ parem virtutem junxere. Fama præſtantis doctrinæ, & felici multorum annorum regimine nihil elatus, plaudentium murmur, auram popularem perpetuo ſprevit, & magnos, quibus docti plerumque tument, ſpiritus omni ſtudio compreſſit. Quam ex animo ſe, ſuaque contemptim haberet, illud ſit argumento, quod multiplicem ſuam eruditionem nuces eſſe diceret, quæ ſtrepitum tanto majorem excitare ſolent, quanto magis inanes, & caſſæ; quive totius pene Americæ, qua meridiem ſpectat, oraculum audiebat, identidem de ſe diceret: *ego vermis & non homo.* Andreas de Rada, antequam ad luſtrandam Chilenſem provinciam abiret, pro ſua ergo P. Nunnezium benevolentia, Sacramenti, quo ſe arctius Societati devincturus erat, excipiendi deſiderio tenebatur; verum cum ſtatum tempus nondum decurriſſet, monuit Cordubenſis Collegii Rectorem, ut ſubinde ſuas veluti partes in ea ſolennitate obiret. Tempus præterlapſum jam erat, longoque poſt intervallo Viſitator in provinciam redierat, nondum tamen P. Nunnezius ſolennem quatuor votorum profeſſionem edidit, quod is Rectorem commiſſi muneris prorſus oblitum commonefacere erubuiſſet; id quod olim Franciſco Soareſio, Eximio Doctori eveniſſe, noſtri annales memorant.

Votorum rigidus exactor, puritatem Angelicam modeſtia, omniumque ſenſuum accurata cuſtodia per omnem vitam conſervare enitebatur.

In adornanda domo DEI magnificus; & in pauperes cætera liberalis, ſtudio paupertatis teneris tyronum mentibus comparari meruit. Cum poteſtate provinciam gubernaret, cingula paulo elegantius elaborata, atque uſus in noſtra Societate fert, dono acceperat; ſed ut facultatem iis utendi ſibi eriperet, ſuis ille manibus in ignem injecit. Accuſatus apud Superiores, quod ſententiam in ſcholis noſtris vetitam docuiſſet, utut accuſationem, demonſtrato opinionis ſuæ a vetita diſcrimine, nullo negotio poſſet diluere, die tamen inſequente ſententiam illam e dictatis diſcipulos juſſit expungere. In nova ſtatuta Superiorum, pervigili cura inquirere, ac in memoriam ea revocare ſolebat, ne vel latum unguem ab eorum præſcripto diſcederet. Devexa jam ætate cum poſuiſſet magiſtratum, nihil quod imperantem ſaperet, retinebat; tam cereus ac docilis ad Præſidum nutus, quam, ſi omnem ætatem ſubditus contriviſſet in obedientia.

Validus juventa, viribusque, corpus affligabat aſſiduo. Refectione unica uſus per diem, extra triclinium nihil unquam deguſtavit, niſi dum ſenio confectus, ſat multo tempore in ſchola patientiæ exercitus, ſemet in cubiculo continuit. Vini uſum ſibi perpetuo interdixit, quemadmodum & potum herbæ Paraquaricæ adeo familiarem incolis, ut miſerrimi quique eo ſingulis diebus utantur. Itinera longinqua eo quoque nomine ſuſcepit lubentius, quo ampliorem materiam ſuppeditarunt patiendi. Cum æger, nauſeansque ſtomachus cibos fere omnes reſpueret, curatori valetudinis multum ſolicito, ecquid cupediarum vellet edere? in aurem dixit: *palato ſuo ſuaviſſimum fore obſonium e Turcico tritico præparatum.* Allato cibo etſi viliſſimo, in tantum mœrorem, pudoremque conjectus eſt, ut damnata animi ſui levitate in hæc verba prorupetit: *male componi JEſu Socium delicate adeo paſtum cum Chriſto in cruce felle, & aceto potato.* Intellexerat ſiniſtros ſermones a quibusdam rerum minus peritis ſpargi, veluti Collegium, ſeu Seminarium Monſerratenſe Nobilium Adoleſcentum, ſua authoritate & impendiis provinciæ erexiſſet, opinionem nullo ſubnixam fulcro facile exemit: petiit tamen majorem in modum, ut ſi quid reprehenſione dignum in omni eo negotio commiſiſſe videretur Admodum R. P. Noſtro Præpoſito Generali, juſta animadvertat pœna, nulla ætatis, nulla meritorum habita ratione; & quamvis jam in limine æternitatis ſtet, & deceſſurus ſit haud dubie ante, quam Roma reſcribat, objurgationem tamen non eſſe intermittendam, quo poſteri alieno periculo cautiores reddantur, ne limites ſuæ poteſtatis excedant.

Expertus eſt præterea poſtremis vitæ annis, Vir conſummatæ prudentiæ, conſilia ſua ne quidem in ſpeciem expeti; expertus, quos olim peculiari benevolentia complectebatur, fovebatque benignius, ſui neglectores; expertus ab iis etiam ſe contemptim haberi, a quibus conſulebatur ut oraculum. Tulit hæc omnia jucundo, pacatoque animo, nullo unquam verbulo queri auditus; quod videlicet Diviniore lumine

illu-

illuſtratus, inter cœleſtes delicias, quibus affluebat, ſui neglectu offendi neſciret. Ad extrema deductus, ea animi tranquillitate mortem excepit, ut paucis ante obitum momentis roganti Sacerdoti: numquid ſupereſſet, quod ipſius mentem perturbare poſſet? repoſuerit cum Apoſtolo: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Ad agonem rite præmunitus, poſt annum ætatis octavum ſupra octogeſimum animam Conditori ſuo inter actus Divini amoris reddidit. Ut primum ſibi ereptum videre Patrem Laurum Nunnezium Socii, ingemuerunt. Leniebat dolorem memoria pulcherrimarum virtutum, quarum recordatione omnibus perſuaſum erat, habere ſe in P. Lauro, inter Cœlites Patronum Paraquaricæ provinciæ. Obiit anno MDCCXIX. Cordubæ Tucumanorum. Parentarunt Patri optimo Regii Collegii ſeu Seminarii Monſerratenſis Nobiles incolæ, & ſuæ erga mortuum gratitudinis teſtimonium luctu publico ediderunt; tanto ſincerioribus animis, quanto remotiores a neceſſitate adulandi.

P. JOANNES BAPTISTA CEA

HISPANUS GOAZENENSIS.

PLacidum Apoſtolici laboris finem invenit Joannes Bapt. Cea Cordubæ Tucumanorum, cui ardor alienæ ſalutis, ſperata laurea cruentæ mortis, nullum otium, nullam quietem conceſſit. Ubi primum vitæ ſanctioris conſilium inivit, animum unice appulit ad propagandam lucem Evangelicam inter barbaros. Ad annum nonageſimum ſupra milleſimum ſexcenteſimum, vaſtum Paraquariæ campum ingreſſus, ardoris ſui Apoſtolici prima dedit ſpecimina apud Chiriguanos barbaros, quos cum P. Joſepho Arze melioribus vitæ præceptis imbuit. Anno inſequenti ſociam operam jungente P. Didaco Zenteno, coloniam, a Virgine Matre in templo præſentata dictam, novis incolis & civili Magiſtratu firmavit. Ad Chiquitos proficiſci juſſus, oppidum S. Raphaelis anno nonageſimo ſexto ejusdem ſeculi exeunte Decembri, commodiorem in locum tranſtulit, illudque Tabicarum, ac Tauſiorum familiis, cum opimis animarum ſpoliis auxit. Triennio poſt fundamenta jecit oppidi, quod a Joanne Baptiſta appellationem accepit. Auſpice DEO aream ſacelli & tuguriorum deſcribit; gentem Xamarorum ad communem, familiaremque vitam traductam aggregat, novellam Rempub. legibus communit; ac felici ſua induſtria eo provexit tenuia initia, ut cicuratis Tanipuicis, Curicis, & Se-

qui-

quicis, ac oppido concluſis, numeroſam omnino coloniam cum non mediocri acceſſione rei Chriſtianæ condiderit.

Translata in alterum cura oppidanorum, rexit Superior Miſſiones Paraquaricas magno commodo Neophytorum. Circa annum MDCCIII. adverſo flumine Paraquario majori animo, quam ſucceſſu navigavit. Inde redux conceſſit Cordubam, ubi primum in Collegio Spiritus Præfectum, tum Pro-Rectorem ſumma moderatione egit. Sed Vir Apoſtolicus ardua agendi, patiendique percupidus, veterem arenam rurſum ingredi ardebat. Ergo impetrata venia, anno MDCCVII. ad ſuos Chiquitos reviſit, præfectura Viſitatoris earum Miſſionum ornatus. Hoc in itinere, ut ne toties periculoſum, ac naufragiis infamem fluvium, Guapay ab incolis nominatum, trajicere cogeretur, per Chiriguanos ad Chiquitorum oppidum S. Joſephi breviorem viam detegere moliebatur. Hunc in finem monitus P. Philippus Soarezius memorati oppidi Curator, aſſumpto Neophytorum manipulo ad aperiendam per montium anfractus viam, multum operis impendit; ſed deficiente annona cum fames timeretur, re infecta diſceſſum eſt. Hoc intellecto, Viſitator Chiriguanos majorem in modum hortabatur, ut ipſi dejectis arboribus per denſiſſima nemora aditum aperirent ad Chiquitos. Negarunt ſe manum operi admoturos, quod non ex vano metuerent, Mamalucos eadem via irrupturos, ac omnia deinceps ferro & flamma, quemadmodum in apertis locis facere ſolent, pro ſua libidine hauſturos. Interim pollicebantur, ſe Patrem ad Chiquitorum provinciam deducturos, modo ſpem faceret largioris mercedis. Facta eſt. Vix in interiora ſylvarum proceſſerant, cum barbari atrox conſilium capiunt, Patrem Joannem trucidandi. Vox, vultus, oculi, incitatior greſſus meditatum facinus prodiderunt. Nec diu moratus inter perfidos ductores, cum ſuis Neophytis viam celeriter relegit ad Chiriguanorum coloniam. Hic illico aliquot parvulos jamjam animam agentes, cœleſti lavacro expiat, quorum e numero cum binos vix undis reſperſos emori ſuiſmet oculis ſpectaſſet, tædia ac labores in reditu devoratos, præclare impenſos fuiſſe lætus agnovit.

Chiriguanorum finibus contineri nequaquam potuit ardor Viri Apoſtolici. Via perdifficili inter ſexcenta hominum & ferarum pericula menſe Decembri ad Chiquitos eluctatur. In oppido D. Xaverii diu ei commorandum fuit; ob frequentiores pluvias, ac paludes ea tempeſtate peregrinis aquis nimium auctas. Ubi cœlo ſerenitas rediit, pro ſuo munere ſtationes Sociorum luſtravit. In pleriſque perpaucos reperit Neophytos, quod iis diebus more ſuo in latibula ſylvarum digreſſi ſint, ad perquirendos populares, quos nondum amor communis vitæ, & purioris doctrinæ tetigerat. Præter ſpem tantum barbarorum numerum collegere, quantum duo oppida ſat ampla vix poſſent capere; alterum appellari placuit a S. Ignatio, quod Boocis recens ad Chriſtiana ſacra traductis attributum, ac Patri Joſepho de la Mata commiſſum eſt; alterum a Conceptione

ne Virgineæ Matris, quod diverſæ nationis barbari tanta multitudine frequentarunt, ut inter reliquas Chiquitorum colonias facile emineret. Poſito Viſitatoris munere, ad Arupores & Tubaces, ignotas eatenus gentes, operam tranſtulit ſat læto eventu. Profligatam nimia virium contentione valetudinem refecturus, in oppidum S. Raphaelis migravit; ubi ſalubriori cœlo uſus, tumorem corporis, quo vexari cœpit, feliciter depulit. E morbo confirmatus, ad Cucutades, trucem ac ſanguinarium populum, diſceſſit. Morotocorum manipulo cinctus (neque enim tutum erat Chiquitos in viæ comites deligere, quibuscum Cucutades capitales inimicitias gerunt) in prima ſtatione Cucutadum, aliquot Zamucos reperit. Hos ſuavi ſermone permulcet, & munuſculis donat. Loci Caſiquius ſeu invidia ſtimulatus, ſeu fraude mali dæmonis impulſus, in Patrem furioſe involat, ac terræ allidere tentat. Apertum vitæ diſcrimen diſcuſſit Morotocorum Ductor, qui præferocem barbarum expeditis armis perterruit, & præconem legis Evangelicæ, longiore vita dignum morti eripuit. Mitigato Caſiquio, familiæ aliquot Evangelio victas manus dedere, quas coloniæ S. Raphaelis adjunxit. Multa ex his intellexerat de amplitudine provinciæ Zamuciæ, deque pacatis incolarum moribus, quæ Virum Apoſtolicum ſtudio rei Chriſtianæ flagrantem tantopere permoverunt, ut eam ſibi præcipue gentem omni ope ſublevandam ac Fidei rudimentis imbuendam ſuſceperit.

Sed antequam eo proficiſceretur, juſſus erat a Ludovico de la Rocca, qui Præſidis provinciæ vices obibat, aditum veſtigare ad fluvium Paraquarium, quo minoribus & impenſis & tædiis in Chiquitorum regionem pervenire poſſent Miſſionarii noſtri, quod opus magnis ſæpe animis tentatum, ut non uno loco in hac hiſtoria demonſtratum fuit, ſemper ſucceſſu caruit. Nec nunc felicioribus auſpiciis cœptum, aut perfectum. Nam terreſtri itinere Paraquarium verſus progreſſus, ut Patres Joſephum Arze & Bartholomæum Blende adverſo flumine navigantes in ripa, quemadmodum conventum erat, exciperet, poſteaquam incredibili labore juga montium, præaltas ſylvas, rupesque invias cum ſuis ſuperaſſet, neque tamen ſpes ulla affulgeret ad Paraquarium penetrandi, re infecta eodem itinere per eaſdem difficultates, unde venerat, rediit. Nec tamen debita laude fraudandus eſt, ſiquidem obedientiæ pretium non tam ab ipſo opere, quod perficiendum imponitur, quam a prompta voluntate illud perficiendi, pendet.

Haud multo lætiore eventu ad Zamucos aditum quæſivit. Ad annum MDCCXVI. menſe Julio, cum centum Neophytis ſe viæ committit. Paululum procedentibus fœdiſſimi imbres, paluſtria loca, torrentes præter morem minaces, fluvii ſuper ripas effuſi, moras identidem injecere, ut adeo ſpatio undeviginti dierum, vix quatuordecim leucas emenſi fuerint. Moras ſolabatur ſpolium triginta Tapiquiarum, quos victos Evangelica veritate, ad oppidum S. Joannis dimiſit. Plus laboris

& moleſtiæ ſylva dederat leucas propemodum decem protenſa. Per hanc Neophytorum opera, via perpurganda erat, niſi immenſo terrarum ſpatio ſylvam, & perpetuos montes, non ſine jactura temporis, circumire vellent. Ut ignavi & laborum inexperti ſunt earum regionum homines, primis fere diebus cœptum opus damnarunt, queſti laborem ſub manibus creſcere. Deſidiam excuſſit Miſſionarius, cum verbis, tum exemplo. Ipſe arrepta ſecuri obfirmato ad omne tædium animo, operi dies noctesque inſtitit, ſuisque Neophytis vires, atque animos ſuffecit. Poſtquam in planiora perventum eſt, culices plenis agminibus, fatigatos divexare cœperunt in paluſtri & ſterili ſolo. Acceſſit ciborum inopia, ut ſæpe præter vulſas radices, easque amari ſaporis, & poma ſylveſtria, nihil omnino ſuppeteret ad delicias quotidianarum menſarum. Iis locis tot calamitatum feracibus nomen *Purgatorii* impoſuit P. Cea. Tolerabat tamen hæc omnia incommoda, invicta patientia, ſpe uberrimæ meſſis apud Zamucos. Sed Neophyti tot malis feſſi, reditum urgebant, palam teſtati: ſe, relicto in ſolitudine Patre, ad Chiquitos populares quam primum reverſuros. Itaque defectu partim alimentorum, partim repetitis ſuorum minis adactus, flexo itinere ad Orerobates ac Morotocos accedit; ubi ſeptuaginta barbaros ſibi ac Evangelio devinctos ſecum abduxit.

Inſequenti anno cum duodecim probatæ fidei Neophytis longam & impeditam viam ingreſſus, ad Zamucos rurſum contendit. Diebus quadraginta medias inter aquas omne genus miſeriarum perpeſſus, cum ſuſceptæ expeditionis nullum exitum videret, ſpes ſuas, ſemel atque iterum interciſas, in aliud tempus differre debuit. Interea quietis impatiens ad componendam pacem Careras inter & Morotocos animum adjecit. Graves hi populi inimicitias alebant, in apertum haud dubie bellum erupturas, niſi prudentia Patris Cea deliniti, concordiam amplexi fuiſſent. Morotoci, quod legatos illorum contra jus gentium fœde trucidaverint, pœnas dederunt. Sublata diſcordia, omnes animi, corporisque nervos ad procurandam Zamucorum ſalutem convertit, tanto ac tam læto rerum curſu, ut DEI benignitate, magnam partem illius gentis una æſtate ad Chriſti imperium adjunxerit. Menſe Majo iter auſpicatus, die viceſima Zamucorum præcipui nominis vicum acceſſit. Nactus homines ingenio mites, ac dociles, cujus rei cauſa tam arduo itineri ſemet commiſerit, in corona barbarorum exponit; & quoniam pronis auribus audiebatur, de conditore rerum omnium, deque aliis Chriſtianæ Religionis myſteriis, ſat longum ſermonem habuit. Dici nequit, quanta humanitatis, & lætitiæ ſigna ediderit gens ſimplex, ſuæque ſalutis, accepta luce Evangelica, ſitientiſſima. Omnes viri dexteram Miſſionarii oſculo venerati ſunt; ſequior ſexus id genus venerationis iconi B. Virginis, quam ſpectandam propoſuit, inter pias lacrymas longo ordine præſtitit.

Hoc calore animorum utendum ratus, rurſum rudimenta, legesque Chriſtianæ vitæ explanare cœpit, quæſivitque ex iis: *num promiſſæ Chriſtianis*

ſtianis ſempiternæ felicitatis velint eſſe participes? cum omnes uno ore conclamarent: *ſe enim vero ex animo velle, cupereque*; parvulos eorum in conſpectu omnium luſtralibus undis intinxit; ſpe facta adultioribus hujus beneficii, quos notitia ſacrorum & conſtantia commendaverit. Porro ut periclitaretur eorum conſtantiam, delegit locum novo oppido condendo. Caſiquii, nomine totius gentis in unam Rempub. conſpirantes, ſe ſuosque P. Joannis voluntati permiſerunt. Igitur eminentiori in loco, magno Zamucorum concurſu, erecta primum imago Chriſti Servatoris cruci affixi; tum oppidi initium aperta in planitie factum; area ſuos in colonos diviſa; tecta propere excitata cum ſacello. Locus is D. Ignatio, ſumma qua potuit celebritate conſecratus, ſub ejusdem Sancti tutela, noſtra quoque tempeſtate ornamento eſt Chriſtianæ Religioni, ſeu civiles, ſacrasque leges inſtitutas, ſeu ipſos mores Neophytorum, veteris Eccleſiæ Chriſtianis non indignos, ſpectes. Quanquam mali dæmonis fraude impulſi, Fratrem Albertum Romero, ut paulo poſt narrabimus, furioſe interemerint. In hoc proſperrimo rerum ſucceſſu, unum dolebat optimo Patri, quod ad ornandum templum ſolito apparatu, aliisque rebus ad alliciendos barbaros deſtitutus, ad Chiquitos, præcipitante jam autumno diſcedere debuerit, ut videlicet numeroſæ coloniæ de opportunis ſubſidiis provideret. Data igitur Zamucis fide, ſe poſt aliquot menſes cum Magiſtris novæ doctrinæ, cæterisque ad confirmandam coloniam perneceſſariis adfuturum, reditum adornat. Neque iſte ſine ſpoliis erat. Centum e diverſis nationibus barbaros in itinere repertos, ſecum ad oppidum S. Joannis abduxit.

Dum omnia pro ſuo in gentem Zamucorum ſtudio, per ſe, per alios ſolicite curat in oppido S. Joannis, intelligit e Romanis literis, ſe Præſidem univerſæ provinciæ Paraquaricæ dictum, quæ res ipſius cœpta turbavit, ſpemque omnem Zamucos reviſendi præcidit. Aliorum igitur curæ commendata hac frequenti colonia, domicilia Paraquariæ prudentia plane ſingulari, ſtudioque ad leges noſtras accommodato, & pulcherrime temperato, luſtrare cœpit. Sed admodum breve gubernium nactus eſt. Namque redux Cordubam Tucumanorum, in morbum lethalem incidit. Creſcente malo curatorem valetudinis appellat, rogatque animo compoſito: *quam in arte medica ſpem vitæ reliquam poneret? ſi videretur vis morbi depelli non poſſe medicamentis, citra ambages ediceret; ſe in præſentiſſimis vitæ diſcriminibus annos complures verſatum, didiciſſe mortem ubique in inſidiis poſitam contemnere.* Tam promptus ad exitum animus erexit curatorem, ut aperte enunciaret: mortem præ foribus eſſe, vim morbi adeo jam invaluiſſe, nulla ut humana arte depelli, ægroque valetudo reparari poſſit. Ille actis curatori gratiis, magnam diei partem componendis provinciæ rebus impendit. Poſtea ad longum iter æternitatis ſemet comparat, acceptisque morientium Sacramentis eadem die, nempe IV. Junii, anni milleſimi ſeptingenteſimi undeviceſimi, in corona no-

noſtrorum vivendi finem fecit, natus quinque & ſexaginta annos. Funus deduxit Illuſtriſſimus loci Antiſtes, in præſentia Religioſorum Ordinum, ac univerſæ Nobilitatis.

Joanni Baptiſtæ Cea (aliis ſcribitur etiam Zea) genus Hiſpanum, patria Goaze fuit. Editus in lucem anno MDCLIV. die VIII. Martii, poſtquam politiores literas didiciſſet, Valliſoleti Philoſophiæ ſtadium tanta cum laude ingenii decurrit, ut eum P. Didacus a Fonte Hurtado provinciæ Caſtellanæ Præſes, in Societatem adlegerit. Poſito Villagarciæ tyrocinnio, in Collegio Salmantino arcana Theologiæ audiit. Abeuntem Gades, comitatus eſt P. Balthaſar Rubius in Philoſophicis Joannis Magiſter, dein Sereniſſimæ Hiſpaniarum Reginæ Mariæ Ludovicæ a ſacris confeſſionibus, quocum mutuum literarum commercium fovit, ſuasque Americanas delicias familiariter communicavit Joannes. E portu Boni aeris jam tertium probatus ex inſtituto noſtro, Cordubam Tucumaniæ petiit, ubi Miniſtrum Collegii egit; ſubinde ſocius datus Patri Thomæ Donvidas ad Collegium Tarijenſe (alias Tarixenſe) condendum deſtinato, ad Hiſpanos, vicinas valles inhabitantes, ſacros ſermones habuit, quoad mitteretur in vaſtiorem Paraquariæ campum. Paupertatis Religioſæ ſervantiſſimus, veſtes male ſartas recentibus & integris præferebat. Monitus a Socio, ingreſſurus urbem Boni aeris veſtem goſſypinam ut poneret, repoſuit: *ſe eam facere pluris, quam purpuram.* Petaſum pertuſum, ac partim vili corio conſutum, per omnem vitam in deliciis habuit. In cœleſti ſemine ſpargendo (ſi pauculos annos demas) inter barbaros ætatem contrivit. Itinera ſane ardua pedes, & ſarcina plerumque onuſtus, animarum cauſa conficiebat. Non illi ſermo gratior, ac de ſuperſtitione debellata. Hoc præcipuum literarum argumentum erat, quas ad Rubium, alioſque noſtræ Societatis homines dedit; adeo verum eſt: linguam & calamum animorum eſſe indices.

F. ALBERTUS ROMERO
HISPANUS.

ALbertus Romero profeſſione mercator, animo cumulandi divitias ex Hiſpaniis ad Americæ Auſtralis regionem, velis, non minus ſpe ingentium opum, quam vento tumidis pervenerat. Hic fortunam votis ſuis amicam expertus, a Regio Chuquiſacenſi Senatu & Archi-Præſule eam inivit gratiam, ut iterum ac ſæpius graviſſimis etiam negotiis adhiberetur, arcanorum

norum omnium conſcius & tranſactor. At ubi fortunæ in eum redactæ ſunt locum, ut e bene numato pauper fieret, neglectus ab omnibus, viſa rerum humanarum inconſtantia, ſapere didicit meliora. Angebat animum vita in tanta cæcitate, tanto tempore acta, ſtatuitque ea deinceps bona coacervare, quæ nullis fortunæ caſibus ſubjecta forent. Ergo paupere contentus ſorte, totum ſe Chriſtianæ perfectionis ſtudio dedit; cumque laboratum eſſet annonæ difficultate, domeſticam ſupellectilem, conſumptis cæteris ſubſidiis, ad ſublevandam pauperum inopiam divendidit. Cives Tarijenſes pro more ſuo miſſuri ſtipem annuam ad Miſſiones apud Chiquitos cœptas, perſpecta Romeri alacritate provehendi ſacra Chriſtiana, eum potiſſimum delegerunt, cujus opera in ea deferenda uti vellent. Nec is reluctatus, ſtipem detulit. Sed captus Neophytorum pietate, & noſtrorum hominum infinitis tædiis, reliquum vitæ cum Viris Apoſtolicis exigere animum induxit.

Cœpit illico militiæ Chriſtianæ recens adſcriptos, fabrilia edocere, ferrum fingere, domare præferoces boves, culturam agrorum, hortorumque ad leges artis agrariæ reducere, (quanquam ipſe hæc talia nunquam antea pertractaſſet) ægrotantibus ſumma charitate aſſiſtere, e vaſta ſolitudine pellectos barbaros Chriſto devincire, operariis denique ſedulam ubivis locorum operam præſtare. Neque tamen iſthæc præpediebant, quin orationem dulces inter lacrymas in plures horas protraheret, qua ſemet corroborabat adverſus erebi ſatellites, quos horrendis formis, uncis, fuſtibusque armatos ſæpe ſibi objectos vidit. Triennio toto avernales vexationes, ope Angeli ſui Tutelaris adjutus ſuſtinuit, neque unquam orationem, Chriſtianæ ſcilicet militiæ clypeum, dimiſit. Ea occaſione animum ad Societatem appulit. Verum ætas jam provectior deſideria morabatur. Illud homini conceſſum, ut *Donati* inſtar inter noſtros viveret, quoad Roma illius petitionem ratam haberet.

Interea temporis P. Michael de Yegros ad Zamucos mittitur. Albertus pro ea, qua ſemper flagrabat cupiditate ſalutis animarum, ſe comitem itineris adjungit. Senio perinde ac ſarcina gravis, viam multis difficultatibus obſitam emenſus, oppidum Zamucorum ingreditur, incolis fere vacuum. Patre annuente, cum duodecim Neophytis ad perveſtigandos vagos, profugosque diſcedit. Reperit illos in vicino nemore; at a vita civili, a Chriſtianis ſacris alienos; ſimulant tamen ſe ad oppidum redituros, unde præſtigiis dæmonum deluſi nuper fugerant. Adventante nocte ſtatuunt e medio tollere importunum hoſpitem. Nec mora: Neophytos nihil tale metuentes armati circumſtant, occiduntque. Caſiquius clavam ligneam Alberti fronti tam graviter incuſſit, ut ad terram mortuum afflixerit. Sic Albertus crudeli nece a Zamucis donatus, præmium ac rudem Religioſæ militiæ accepit, qui nondum in Tyronum numerum acceptus erat. P. Michael non diu iis in terris commoratus, ad ſuos rediit,

diit, ſpei plenus; ſolum Chriſtiano ſanguine rigatum meſſem uberrimam deinceps præbiturum.

P. FRANCISCUS HERBAS
HISPANUS OSUNENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus ſtudia literarum; navigatio in Americam; labores Apoſtolici apud Chiriguanos & Chiquitos.

APud eosdem Zamucos ſuam operam poſuit P. Franciſcus Herbas Hiſpanus, morboque inde contracto, incruentam mortem oppetiit poſt uberrima animarum lucra. Germanus is erat P. Antonii Herbas, qui in provincia Bætica pluribus Collegiis, & Domui primæ probationis maxima cum laude præfuit, totamque provinciam poteſtate Præſidis ſapienter gubernavit. Franciſcus a manſuetiore Pallade ad Societatem noſtram traductus, Hiſpali ad S. Ludovicum tyrocinium non invito DEO auſpicatus eſt anno MDCLXXIX. annum ſextum decimum ſupergreſſus. Philoſophiæ cognoſcendæ dum totum ſe tradit, cœleſti lumine colluſtratus, ſentiebat ſe impelli ad petendas Miſſiones Americanas. Petiit, & favente Didaco Franciſco Altamirano, Paraquariæ Procuratore, obtinuit. Alcalæ ſacris Theologorum imbutus myſteriis, & Sacerdotio inſignitus, plenis velis, votiſque, regente curſum navigii DEO, in Americam transmiſit. Cordubæ Tucumanorum functus munere Miniſtri Collegii, non ceſſabat precibus agere apud Superiores, liceret ingredi arenam, quam per tot pericula maris, obfirmata ad quodvis tædium mente animarum cauſa, quæſivit, nondum tamen reperiſſet privatos inter parietes concluſus.

Hoc ardore opitulandi barbaris delectati Superiores, ad annum milleſimum ſexcenteſimum nonageſimum ſecundum, in Chiriguanorum provinciam eum dimiſerunt. Iſtis cum aliquanto tempore utilem operam locaſſet, Patrem Joſephum Arze comitatus eſt ad oppidum S. Crucis ab Hiſpanis frequentatum; inde ad coloniam Chiquitorum D. Xaverio dicatam, futurus hujus coloniæ tertius ordine Curator. Ut primum gentis idioma edidicit, explicandis rectæ Fidei capitibus, & Chriſtianæ vitæ

præ-

præceptis, aliisque muneribus Apoſtolicis, diebus ſingulis aliquot horas dedit. Ea induſtria ſat uberem fructum collegit, & multo uberiorem ſibi polliceri poterat eo in loco, ſi rebus tranquillis frui licuiſſet. Sed turbas concivit gens ſæva Mamalucorum, quæ finitimas regiones pari & celeritate & crudelitate percurſabat, ubique triſtibus veſtigiis diræ populationis relictis, huicque coloniæ imminere idoneis nunciis ferebatur. Ergo ne colonia aliquid detrimenti caperet, etſi Chiquiti pro aris & focis arma animoſe induerent, mora omni abrupta, multitudinem Neophytorum cum omni ſupellectili ad locum oppido S. Crucis viciniorem traducit, novamque ſtationem terreis munimentis, adverſus repentinas invaſiones, communit. Loci opportunitate & Hiſpanorum præſidio allecti Chiquiti, qui ſparſim interiora regionis incoluere, coloniam iſtam multo frequentiorem reddiderunt. Non multo poſt præfecturam oppidi S. Raphaelis capeſſere juſſus, more ſuo ſe totum oppidanorum ſaluti impendit. Occupatus hac præfectura, mandatum accipit a Præſide provinciæ, ut coloniam S. Raphaelis deducat Paraquarium fluvium verſus, quo facilius commeatus, aliaque adminiſtrari poſſent Neophytis, quæ ad ſuſtentandam vitam, extruenda ædificia, & fovendum commercium cum Chiquitorum natione, neceſſaria videbantur; ſimulque ad Paraquarium aditum aperiat. Incredibile dictu eſt, quanto ſudore, & tædiis hæc demigratio ſteterit. DEO fretus, precando, ferendoque pervicit omnia: quatuor & viginti leucas progreſſus Orientem verſus, in campo patenti, ac paſcendis gregibus percommodo ſtationem fixit ad fluvium Gvabis: hic oppidum condidit, ſepſitque, novis legibus munivit, moribus ornavit, nullam denique de Chiquitis bene merendi occaſionem prætermiſit. Verum æſtivis menſibus, tum immodici calores, & culicum examina pecori perinde ac incolis infeſta, tum morbi vulgati, Chiquitos aliam ſtationem petere coegerunt.

Interea P. Herbas, quemadmodum imperatum fuit, ad perveſtigandum Paraquarium accingitur. Tenui viatico, uti Miſſionarii in more habent, inſtructus, in comitatu Chiquitorum iter ingreditur, atque ut prona in paludes ſunt ea loca, neque ripis altioribus coercentur fluvii; cum imbres ingruunt, adeo omnia ab aquis obtinentur, ut intuentibus illam planitiem, imago diffuſi maris objici non ex vano dicatur. Hac iter agebat cum ſuis, ſæpe collotenus merſus, ſæpe medias inter aquas noctem inſomnem traducens. Eluctatus in arenoſum & ſterile ſolum, incommoda & pericula mutavit, non effugit. Montes, ſylvæ, viperarum & tigridum rabie infames perrumpendæ erant. Perrupit ſcuto obedientiæ, & ope divini Numinis armatus, atque ad paludem potius, quam fluvium, eatenus Miſſionariis incognitam pervenit. Putaverat Vir bonus, ſe jam ad ripam Paraquarii fluminis conſiſtere (quemadmodum facile ea perſuademus nobis, quæ magnopere optamus) multumque ſibi, ac viarum comitibus gratulatus, prægrandem crucem eadem in ripa erigit,

ſignum

ſignum futurum adverſo Paraquario navigaturis, ex illa ripa Chiquitorum regionem, terreſtri itinere petendam eſſe. Id ipſum poſtea redux ad Chiquitos, ſignificavit Præſidi provinciæ, addens: paludes, quas ipſe ignarus itineris ſuperavit, viarum flexu evitari poſſe. Rumor tam ſecundæ expeditionis inſolita lætitia Socios affecit; verum ut paulo poſt videbimus, ea neutiquam diuturna erat.

Laborem ſervi ſui, etſi fruſtra ſuſceptum, prodigii teſtimonio comprobavit DEUS; apud quem non tam felix operis exitus, quam bona voluntas pretium habet. In reditu evitatis paluſtribus campis, dum per deſerta loca proficiſcitur, aquarum penuriam ſentire cœpit, calore æſtivi ſolis omnia torrente. Confecto tridui itinere ſub æſtuoſo & ſicco cœlo ſine omni humore, cum ſpes nulla adeſſet reperiendi vel fluvium, vel fontem, & cœlum innube imbrem nullum polliceri videretur, placuit ipſis Neophytis divinam implorare opem. Proſtrati in terram Patre Herbas præeunte, animo magis, quam aridis linguis a fonte miſericordiæ quidpiam humoris, quo vitam redimant, inter lacrymas poſcunt. Acceptas fuiſſe preces eventus docuit: mox enim tam copioſus imber decidit, ut large, liberaliterque potantibus, in reliquos etiam itineris dies ſuffecerit. Hoc beneficium, alterum excepit. Caſiquius Curuminarum, per quorum fines tranſeundum erat, in necem Patris, comitumque conſpiraverat cum ſuis; & patraſſet facinus, ni providus DEUS, *in medio nationis pravæ* excitaſſet alterum Caſiquium vindicem ſalutis, qui infeſtos, & cædem ſpirantes appoſita oratione lenivit. Ajebat iſte inter cætera: ſe a parente ſuo jamjam morituro eſſe admonitum, ſi novæ legis Magiſtri in Curuminarum agrum venirent, ne dubitaret eorum doctrinam amplecti, ſubque eorum auſpiciis ac ductu, quod reliquum vitæ erit, vivere; ſibi proinde fixum, ſtatutumque: Sacerdotem DEI ſequi, quamcunque in regionem juſſerit; certe non admiſſurum, innocentis ſanguine ut manus polluat, quin imo vim vi prohibiturum. Deliniti barbari, non tela modo & vim abſtinuerunt, ſed etiam permulti, relictis ſuis mapalibus, Patrem comitati ſunt, rem Hiſpanam pariter & Chriſtianam magnis aucturi incrementis.

CAPUT SECUNDUM.

Per Paraquarium viam fruſtra detegere nititur ad Chiquitos; ad Zamucos proficiſcitur; laboribus fractus e vivis migrat.

REdditus ſuis Chiquitis, ad Præſidem provinciæ evocatur. Emenſus mille & quingentas leucas, eum reperit in recognoſcendis Gvaranicis Miſſionibus. Tum explicato omni ſuo itinere, ac reperto, uti putabat, aditu e Chiquitorum provincia ad flumen Paraquarium, jubetur cum aliis quinque Miſſionariis adverſo flumine

ripam

ripam inveſtigare, in qua prælatam crucem ſe ſtatuiſſe narrabat. Anno tertio labentis ſeculi rem aggredi placuit. Octo menſium periculoſa navigatione incaſſum ſuſcepta, re infecta deſiſtendum erat, ut jam ſupra in vita P. Joannis Neuman, & alias commemoravi. Hoc unum interim e repetita navigatione capiebatur commodi, quod accolarum fluminis mores, & inſtituta cognoſcebantur. Tot itineribus feſſum, recreandum putarunt Superiores, delato clavo Tarijenſis domicilii; at deprecatus otium, apud Chiquitos maluit ſtipendia facere. Anno decimo ſupra milleſimum ſeptingeſimum, ejusdem Collegii habenas capeſſere juſſus, nondum evoluto triennio, venia Superiorum magiſtratum poſuit, atque in liberiorem campum procurrens, Chiquitorum ſaluti in oppido S. Joſephi deſudavit. Occupatus eo munere, jubetur anno MDCCXXI. per alpes Chiriguanorum viam aperire, qua Collegii Tarijenſis Socii, tuto commeare poſſent ad oppidum S. Joſephi. Avidus laborum, operam ſuam non libenter modo, ſed & feliciter contulit. Namque operarum frequentia & arbores dejecit, & ſaxa, quæ iter morari poſſent, complanavit, viamque nullis ad ea tempora veſtigiis tritam, maxima gratulatione Sociorum patefecit. Præmium negotioſæ obedientiæ tulit Vir Apoſtolicus, nempe herniam, doloresque inde ſecutos adeo acutos, ut ſe propediem moriturum putaret. Hoc malo (ſi tamen iſthoc nomine morbi appellari poſſunt, quibus benigniſſimus DEUS ſervos ſuos pro cœlo præparat) poſt paucorum dierum intercapedinem, comperit ſe liberatum, etſi nullo præſidio humano uſus fuerit; & quod mireris in iſta morbi ſpecie, nullum ab eo tempore mali veſtigium advertit.

Tam luculento cœleſtis Medici beneficio affectus, de ſalute animabus afferenda jam unice ſolicitus, retulit ſe ad Zamucos, qui nuper trucidato Alberto Romero, nondum omnes jugo Chriſti pervicacia colla ſubdidere. Adſcitis anno inſequenti in partem laboris, Patribus Jacobo Agvilar, & Auguſtino Caſtanneres, ad interiora regionis penetrat, ſementem Evangelicam pro locorum opportunitate jacere incipit, induſtriæ minime reſpondente fructu. Ergo vix ſalvis corporibus inde digreſſi, ad Chiquitos redeunt, gaviſi inprimis, quod conditionem loci, animorumque didiciſſent. Miſſionum Superior jam nuper nominatus, coloniam Aſſumptæ in cœlos DEIPARÆ dicatam, in ſalubriorem locum transfert; id quod antea agitatum, obtineri haud potuit ab indigenis, etſi funera funeribus accumularentur. Interea Zamuci belli, & peſtis calamitatibus fracti, ad frugem, melioraque conſilia adducti ſunt. Etenim Ugarani ethnici nulla injuria laceſſiti, Zamucorum pagum repente invadentes, cæde, & incendio omnia compleverunt, ſparſo armorum terrore in reliquos. Peſtilentia dein plerosque eorum pagos populata eſt. His malis compulſi, legatos miſere ad Patres in oppido S. Joannis commorantes, auxilium petitum adverſus vim morbi graſſantis, quem ajebant ab irato cœlo immiſſum ob patratam cædem, & repulſos doctrinæ cœleſtis

præcones. Præſeferebant ingens Religionis Chriſtianæ deſiderium, polliciti omnem gentem Zamucorum ſacra Chriſtiana amplexuram, ſi modo Sacerdotis Europæi fiat copia. Nihil cunctandum ratus P. Herbas, cum Auguſtino Caſtanneres ad Zamucos abit die XXX. Junii anni MDCC. XXIII. Verum fractus viarum difficultatibus iter relegere coactus fuit. Ad prædium oppidi S. Joannis ægerrime delatus, P. Joannem Bapt. Xandram ad ſe evocat. Peracta apud iſtum ſacra confeſſione, humeris Neophytorum in ipſum oppidum defertur, atque altero die, nempe XXIV. Auguſti extinguitur, magno ſui deſiderio relicto ob egregias plane virtutes, & inprimis exquiſitam illam charitatem, qua omne genus barbarorum complexus eſt. Hanc Chiquiti multo ſermone, multis lacrymis proſecuti ſunt. Numeravit ætatis annos LXI. initæ Societatis XLV. editæ ſolennis quatuor votorum profeſſionis XXVIII.

P. FRANCISCUS BURGES
CATALAUNUS URGELITANUS.

Caput Primum.

Ejus natales; educatio; navigatio in Americam; Theologiam docet Cordubæ, luſtrat provinciam Chilenſem; Procurator Romam mittitur.

Biennio poſt die XXIV. Aprilis extulit Academia Cordubenſis P. Franciſcum Burges, geſtis muneribus in provincia Paraquarica, & virtutum ſplendore clariſſimum. E nobili & prædivite domo natus anno MDCXLI. die XXX. Martii, in tenera adhuc ætate, utroque parente orbatur. In tutelam acceptus a fratre natu maximo, qui unus ex undecim ſuperſtes fuit, manſuetiores literas in ſcholis Urgelitanis addidicit; dein Barcinonem miſſus Philoſophiæ cognoſcendæ cauſa, tranſactore P. Thoma Munieſſa Theologiam profeſſo, a P. Hineſio Vital provinciæ Arragoniæ Præſide, Dialecticam deguſtans, in Societatem cooptatur anno MDCLVIII. die V. Septembris. Poſitis Gueſcæ in tyrocinio Religioſæ vitæ fundamentis, Philoſophorum placita excipere juſſus Bilbili, cœpit per otium evolvere P. Antonii Ruizii de Montoya, Miſſionarii in Paraquaria ſpectatæ virtutis, hiſtoriam, qua complectitur tum operariorum indefeſſos conatus

tus in excolendo agro Dominico, tum maturam in multis locis Paraquariæ uberrimam meſſem, at inopia operariorum nondum comportatam in horreum cœleſtis Patrisfamilias, ac incredibili cupiditate exarſit petendi Paraquariam, vitamque omnem in barbarorum obſequio traducendi. Conſulto Patre Franciſco Franco ſanctimonia vitæ, & dono prophetiæ per Hiſpanias noto, qui ejus regebat mores, illico literas dedit ad P. Dominicum Langa emeritum Aſſiſtentem Hiſpaniæ, id temporis Arragoniæ Provincialem, quibus adeo feliciter rem ſuam confecit, ut cum Franciſco Diaſtanno Procuratore Paraquariæ diſcedendi in Americam poteſtatem obtinuerit. Cœli, mariſque inclementiam expertus, menſe Julio anni MDCLXIII. votorum ſuorum metam attigit. Cordubæ Tucumanorum repetito Philoſophiæ ſtadio, Theologiæ, & Eccleſiaſtico Juri operam dedit, magna celebritate ingenii, majore virtutis. In eodem Athenæo Ariſtotelem ſexennio, moralem Theologiam annis aliquot explanavit, Divumque Thomam magna ſui, Societatisque commendatione interpretatus fuit.

Biennio functus Miniſtri officio in principe domicilio hujus provinciæ, ad gubernacula translatus, poſtquam Rioxano, & S. Jacobi Collegiis Rectoris nomine præfuiſſet, Socium egit P. Thomæ Donvidas, Chilenſis provinciæ Viſitatoris. Hanc eandem provinciam ſubinde poteſtate ſuprema luſtravit quadriennio, ac anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quinto, gubernandam ſuſcepit. Iſthoc in munere legum tenax, ac Inſtituti ſervantiſſimus fuit, ut adeo nonnulli de nimio rigore quererentur. Scholaſticum in Collegio S. Jacobi, cum fruſtra lenioribus remediis a liberiore vita revocare niteretur, e medio ſtudiorum curſu avocat, atque extra urbem in villa commorari jubet, ne videlicet ſuis moribus, ad caſtiſſimas Inſtituti noſtri regulas minus exactis, ſuos commilitones in via virtutum moraretur; nec ei in Collegium aditum permiſit ante, quam ſe ad frugem, ac officium recepit. Poſito Magiſtratu, Patres in tertia probatione Bucalemi inſtituit. Redditus Paraquaricæ provinciæ anno MDCC. in comitiis Cordubæ celebratis, Procurator Romanus deligitur. Interim dum tempus navigandi appeteret, juſſus eſt altiſſimarum de DEO, diviniſque rebus quæſtionum diſciplinam explicare Cordubæ; quod munus per ſexdecim annorum regimen interruptum, ſingulari laude eruditionis, anno integro ſuſtinuit. In urbe Boni aeris præter opinionem longiores moras trahere coactus, captivorum; nautarumque gregem per omnia pietatis, ac pœnitentiæ præſertim officia exercebat. Sic ille ad omnem obedientiæ auram, ſua vela vertere conſuevit.

Die VII. Auguſti anni tertii ſupra milleſimum ſeptingenteſimum, Europam petiturus navim conſcendit. Graviſſimis tempeſtatum periculis jactatus, poſtremis diebus ejusdem menſis, prope erat, ut naufragium faceret. Navis inimicis fluctibus diu obluctata, fatiſcere cœpit, ac ægerrime portum fluminis Januarii tenuit. Hic Luſitanam nactus, die duo-

devicesſima Februarii navigationem continuavit. In portum omnium Sanctorum inter cœli, marisque inclementiam delatus die XXVIII. Martii, tandem Ulyſſiponem pervenit die XXIX. Auguſti anno labentis ſeculi quarto, poſtquam horribiles, ac in perniciem navis conſpirantes ventos ope D. Xaverii, cui novem dies e veteri inſtituto cum nautis & vectoribus dicavit, ſuperaſſet.

Hæc quidem tempeſtas feliciter ſedata fuit, non item ea, quam in ipſo portu Ulyſſiponenſi expertus fuit. Hiſpanos inter & Luſitanos graves inimicitiæ exarſerant. Harum ſeu ignarus P. Burgeſius, ſeu ad ſe nullam earum partem pertinere ratus, ut primum portum attigit, omni ſua ſupellectili, veluti hoſtis Luſitani nominis ſpoliatur. Cum fruſtra imploraſſet opem Regii Senatus, retinendæ ſupellectilis obfirmati, relicto Ulyſſipone P. Nicolao Salas navigationis comite, Madritum contendit. Ad Hiſpalim ſingulari Numinis providentia Anglos evaſit, qui eodem tempore oppidum S. Barbaræ evaſtarunt. Nec in aula Madritenſi felicius rem egit, Miniſtris belli mole occupatis. Ad comitia univerſi Ordinis Romam profectus, in iisque renunciato Præpoſito Generale P. Michaele Angelo Tamburino die XXX. Januarii anni MDCCVI. retulit ſe Madritum, ubi inſequentibus annis apud Regios Miniſtros, transmarinarum Miſſionum commoda promovere ſatagebat. Plurimum valuit gratia apud Seniorem Comitem de Agvilar, Senatus Indici Præſidem; quocum deinceps ad extremam ſenectutem literarum commercium habuit. Triennio diverſatus Madriti, calumnias, quas malevoli de Miſſionariis illoto ore ſparſerant, coram Senatu Indico non minus modeſte, quam ſolide diluit, novasque immunitates pro Neophytis abſtulit.

CAPUT SECUNDUM.

Renavigat in Americam; cum Sociis capitur ab Hollandis; moritur, ejus virtutes.

Confectis, cum Romæ, tum Madriti graviſſimis negotiis, in Americam votis omnibus ferebatur. Verum effeta jam ætas, & gratia Procerum Hiſpanorum, fere regreſſum intercluſerant. Evicerant Patres Hiſpani Romæ, ut vir laboribus fractus in Madritenſi Collegio Imperiali reliquum ætatis in otio, in quiete agat, officio Monitoris functurus. Ille contra memor Paraquariæ, ultimos vitæ annos in medio barbarorum tranſigere apud animum ſtatuit dictitans: grave vulnus infligendum Paraquariæ, ſi ſuo exemplo, deinceps & alii arrepta quavis occaſione, Americanis neglectis, in ſinu Europæ ſegnes conquieſcerent; feſtinatisque idcirco crebrioribus literis Romam, veniam denique redeundi obtinuit. Confluxerant e diverſis Europæ provinciis in Hiſpanias, novi Præcones Evangelicæ veritatis. Cum his e portu

tu

tu Gaditano ſolvens anno MDCCX. die XX. Martii, altero die ab armatis Hollandorum navigiis, milite & tormentis probe inſtructis, cingitur. Hiſpanæ naves (nam plures ſimul eodem ex portu in Americam vela fecerunt) mercibus, turbaque inermi onuſtæ, minime repugnare auſæ, ſe captivas tradunt. Burgeſius cum magno numero Miſſionariorum, qui Chilenſi & Paraquaricæ provinciis deſtinabantur, in poteſtatem Hollandorum redactus, rebus omnibus exuitur, ac in littus Luſitanicum inter ſexcenta opprobria ejicitur, accepto perſevero mandato a Præfecto navium, homine perinfenſo nomini Hiſpano, & noſtræ Societati: *inpoſterum ne ipſe, Sociive tentarent in Americam navigare ad prava dogmata, ut ajebat, ſeminanda.* Omnium rerum inopes Ulyſſiponem delati, cum viderent Anglos, atque Hollandos infeſtis navibus mare percurſare, ſtatumque ſolvendi tempus præterlapſum eſſe, complures ad ſua domicilia, unde venerant, redierunt; ut adeo Miſſionariorum numerus vehementer imminutus fuerit. Iſtorum reliquias Burgeſius Hiſpalim deportavit, ac uno & fere altero anno, corrogato ære aluit, auxitque novis Sociis.

Interim obtento ab Angliæ Regina Anna commeatu, Burgeſius cum ſat numeroſo agmine in Americam abit die XXVI. Dec. anni MDCCXI. Poſt dierum aliquot proſperam navigationem, mutato repente vento, mare majorem in modum intumuit, & undarum montes in navigium effudit, quibus *cellula* Sanctæ Barbaræ, quam Miſſionarii occuparant, ita oppugnata erat, ut objectis Patrum culcitis, ſumma cum difficultate ſentinæ exhauriendæ, nautarum labor par fuerit. Sedata tempeſtate, tranquillo deinceps mari uſus, portum Boni aeris die VIII. Martii anni MDCCXII. ſubiit. Poſt novem annorum intervallum dulces inter lacrymas veteres ſuos amicos complexus, ſacrum manipulum provinciæ Præſidi conſignavit, ſeque quamprimum moli negotiorum ſubducere conatus, incolam egit ſat diuturnum Collegii Cordubenſis, donec XXIV. Aprilis anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum vigeſimo quinto e vita migraret.

Inter cæteras virtutes homine Religioſo dignas, eluxit animi demiſſio. Hanc ille ex vero vocitabat fundamentum & matrem omnium virtutum. In libello, quo referre ſolebat ſupernas illuſtrationes, legere licet: *Permagni faciam humilitatem, veluti ſumme neceſſariam ad refrænandam meam ſuperbiam, non ignarus, veniſſe Filium DEI in has terras, ut hanc virtutem nos doceat, animisque noſtris alte inſculpat. Conſtanter petam a DEO, virtutis tam neceſſariæ ut me participem reddat, ſine qua cæteræ virtutes perſiſtere nequeunt.* Illud identidem repetiit: *Nihil in me reperio, unde gloriari poſſim; plurima, unde erubeſcam: peccatorum ſordibus fœdatus, & quod miſerrimum eſt, etiam in operibus pietatis, nihil præter nævos reperio. Humilitas igitur, humilitas, mihi inprimis curanda.* Et vero cordi eam perpetuo habuit, ac exemplis ferme, quam bene de illa

ſentiret, oſtendit. Nunquam præfecturas ſeu in Paraquarica, ſeu Chilenſi provincia geſtas in familiari ſermone commemoravit, id quod Viri exactæ ætatis, & multo rerum uſu exercitati, ſæpe atque libenter faciunt, dum præteritæ vitæ memoriam læti refricant, & inde imitanda junioribus exempla promunt. Nullum unquam verbum ſibi elabi paſſus eſt, quo auram popularem, ſuique laudem captare videretur. E numeroſis Sociis, quos in agrum Paraquaricum deduxit, vix aliquis norat, quæ munia obierit Burgeſius? qua gratia floreret apud Miniſtros Regis Hiſpaniarum? quin immo dona naturæ, quibus liberaliter inſtructus erat, miro tegebat ſilentio. Didacus Salgero Epiſcopus Misquenſis, non mediocrem ruborem incuſſit Viro, dum coram Illuſtriſſimo Præſule Cordubenſis Eccleſiæ, ejus multiplicem doctrinam, modeſtiam animi, temperatam gubernandi rationem, curſim & velut aliud agens recenſeret. Illud pariter permoleſte tulit, quod in Athenæo Cordubenſi, a quodam Profeſſore laudatus fuerit tanquam author ſanioris doctrinæ.

Superior noſtris impoſitus, non modo erat *quaſi unus ex ipſis*, ſed quaſi omnium poſtremus. In memorato libello hæc notavit: *Neminem contemptim appellabo, nemini gravis ero. Fratribus meis ea præſtabo obſequia, quæ vires ſinent. Geram me ut viliſſimum domicilii mancipium; ardua, vilia miniſteria lubens exhauriam amore Servatoris mei, cujus aſpectu me fruiturum confido. Dum pro munere meo alios reprehenſurus ſum, deponam ſeveritatis odioſæ perſonam. Eſt oraculum Sapientum: lenitatis & clementiæ partes iis, qui præſunt, ſuſcipiendas, & quoad licet, retinendas eſſe. Satagam imprimis, ut ſibi perſuaſum habeant, ſe nihil æſtimationis amiſiſſe, modo errati pœnitentes ad meliorem frugem redeant. Omnem delicti memoriam oblivione ſepeliam, & ſepultam eſſe, verbis, beneficiis teſtabor. Idcirco ubi occaſio tulerit, eorum præclare acta referam, nominisque famam pro viribus tuebor.* Quo fiebat, ut ſuaviſſimis affectibus Socios ſibi omnes delinitos, ad quodvis imperium, nutumque alacres haberet, atque ad perfectionis ardua promptos & faciles duceret. Verum (ut & iſtud addam hoc loco) quam benignus & lenis erat in eos, quos errati pœniteret, tam acrem & ſeverum pervicacibus, protervisque ſe præbebat, quemadmodum liquet e libello laudato: *omnem,* inquiebat, *induſtriam adhibebo, ut diſciplinæ domeſticæ impatientes a corpore Societatis reſcindantur. Bonum Societatis matris meæ dulciſſimæ præ oculis unice habebo. Juverit crebro meminiſſe dicti S. Parentis noſtri Ignatii: falſam eſſe pietatem, & charitatem imprudentem, totum corpus præſenti periculo objicere, ne reſeces membrum vitiatum; & Joannis Pauli Olivæ, Societatis noſtræ Præpoſiti Generalis: dimittendi poteſtatem a ſummis Pontificibus Societati factam eſſe, ne in ea vitam viverent, qui DEO nollent vivere.*

Demiſſioni animi adjunxit affligandi ſui rigidum, ſeverumque ſtudium per ſeptem & ſexaginta vitæ Religioſæ annos. Ferreum cingulum cuſpi-

cuſpidibus horrentem, vix unquam, niſi cum ægro eſſet corpore, poſuit. Junior corpuſculum bis quotidie cedebat, quove magis illud animo obſequeretur, inedia, vigiliis edomare ſtuduit, quaſi ex ipſa corporis ſubjectione durior fieret. Triginta facile annos ab omni frigido, recentique potu abſtinuit. Ingraveſcente duntaxat ſenio, ad recreandas vires vino utebatur, eoque multum diluto. Lautiores cibos, fructus ſuaviores, mel, ſaccharum, medicamenta pretioſa conſtanter rejecit, deterrimis contentus. Nunquam obſervatus erat extra ſtata tempora bibiſſe, quamvis in itineribus, quæ ſane terra & mari multa ſuſcepit, frequenter verſaretur ſub cœlo calidiore. Rigente hyeme nunquam acceſſiſſe focum memoratur. Somni non minus parcus, nocturam quietem, ſi hæc quies fuit, quam in præduro aſſere ſine culcita cepit, paucis definivit horis; reliquum noctis piis contemplationibus, ſuaviſſimisque cum DEO colloquiis ducens. Aſperiorem ſuam indolem, ſtatim in aditu vitæ Religioſæ multa arte edomare aggreſſus, ita fregit, ſubegitque, ut impotentis animi motus ſeu Superior, ſeu ſubditus, ſua in poteſtate haberet, nulloque negotio in gyrum lenitatis flectere poſſet. Victor ſui adverſa perinde, ac proſpera eadem fronte, eodem animo excepit.

Quanta accuratione, Religioſa vota cuſtodierit, nihil attinet dicere. Ad hunc theſaurum integrum conſervandum omnia pietatis opera referebat. Adverterunt Socii, Patrem Franciſcum prorſus invitum cum ſequiore ſexu in colloquium veniſſe; neceſſitate huc adactum, vultu ad ſeveritatem compoſito, id potiſſimum curaſſe, ut pauciſſimis verbis negotium finiret, ſeque inde ſubduceret. Ulyſſipone Hiſpalim proficiſcentem, e publico hoſpitio fugam trepide arripuiſſe, interrupta nocturna quiete, quod verba minus pudica ganeones effutiviſſent. Archi-Epiſcopo Limano miranti, Virum id ætatis tam ancipitem, ac periculoſam navigationem ſuſcepiſſe, repoſuit: *ſe quidem terra & mari ſuperatis pluribus periculis Americam tenere, ſi tamen Superiores annuant, ventorum & maris inclementiæ ſeſe actutum commiſſurum, propagandæ Religionis, amplificandi Chriſtiani nominis, ac defendendæ Indicæ nationis gratia.* Paupertatis exquiſitæ ſtudium, illud commendat, quod a fatis in ejus cubiculo præter iconem chartaceam, & imaginem Chriſti cruci affixi nihil ſit repertum. Jam ſi his virtutibus addas modeſtiam, mores Angelicos, Euchariſtiæ, & Sanctiſſimæ Virginis ſingularem cultum, orandi, meditandique perpetuum ſtudium, minimarum legum cuſtodiam, & ſuavem illam gubernandi methodum (quæ P. Petrus Lozano in ſua Hiſtoria Paraquariæ, longiore narratione proſequitur) dices: Patrem Franciſcum Burges binas provincias Chilenſem & Paraquaricam illuſtribus virtutum exemplis & ornaſſe, & firmaſſe.

P. AN-

P. ANTONIUS SEP

TYROLENSIS CALTHERENENSIS.

ANnus milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus quintus P. Antonium Sep mundo, ſeptuageſimus quartus Societati dedit; cui in Provincia Superioris Germaniæ die XXVIII. Septembris adſcriptus, in eadem & diſcipuli & Magiſtri partes cum laude ſuſtinuit. In Paraquaricam inde provinciam, quam ardentiſſimis votis expetierat, anno ejusdem ſeculi nonageſimo primo translatus, omnem reliquam vitam in excolendis Gvaraniis poſuit, ea ſui commendatione, ut cum Coadjutorum, uti vocamus, Spiritualium gradu jam inſignitus illuc adveniſſet, dignus videretur Superioribus, qui hunc cum gradu quatuor vota profeſſorum commutaret. Quæ tamen res ut intra voluntatis duntaxat limites conſiſteret, incredibilis Viri modeſtia, animique demiſſio effecit.

Deſignatum ſibi Apoſtolicorum laborum ſtadium vix ingreſſus, cum alios compluribus in eodem annis verſatos haud magno intervallo conſequeretur, multas adverſum ſe, gravesque a dæmone, tantos animorum fructus non ferente, concitari tempeſtates vidit. Gravior cæteris fuit illa, qua Angelicæ ejus puritati labem adſpergere conati ſunt mortalium perditiſſimi, digni plane, quos furoris ſui miniſtros adſciſceret dæmon. Hoc authore ſcelus commenti, innocentem in crimen vocant; ſubornant teſtes; nec deſiſtunt, dum ex oppido, cui præerat, mira animorum conſpiratione ejiceretur. Tulit hæc, innumeraque alia forti animo Antonius, neque, ſeu id temporis, ſeu unquam poſtea de accuſatione hac iniquiſſima, cujus authores non ignorabat, vel verbo conqueri eſt auditus. Quin grates potius pro commodata adverſum ſe opera iis referre ſolitus, omnibus incedebat lætitiis, quod ſummo ſe ab iisdem beneficio ornatum exiſtimaret. Verum, quod fieri conſuevit, exulis defenſionem ſuſcepit Numen: patuit calumnia; quemque nuper turpiter adeo ſua ſtatione moverant oppidani, nunc tantum non ſuis exceptum humeris, in veterem poſſeſſionem læti reſtituerunt.

Suos exinde in vinea Domini labores eodem, quo cœperat, ardore proſecutus eſt, cum nihil non de ejus ſibi favore polliceretur, cujus tam præſentem opem in cauſa hac, & metus & periculi plena ſenſiſſet. Monitus perſæpe a nonnullis amicorum, fervori ut ſuo, qui apud malevolos quosdam, aut certe minus gnaros rerum æſtimatores tantum ipſi diſcri-

mi-

minis, tantum ſuſpicionis conflaſſet, modum denique ſtatueret, repoſuit identidem: *commiſſurum ſe nunquam, ut acerbiſſimi etiam ſupplicii metu omittat quidquam eorum, quæ eſſe Numini grata, quæque a ſe fieri & poſſe & debere perſpiceret.* Unde factum, ut difficillima quæque pro animarum ſalute nihil cunctatus ſuſciperet, cœpta felici plerumque exitu terminaret.

Quidquid interim ageret, referre ad DEUM unice; hujus in omnibus voluntatem ſolicite exquirere; exacteque adeo ad Divini amoris leges vitam componere omnem, ut morti jam proximus, adſtante ſibi Socio, in hæc verba erumperet: *ſint grates Superis, mi Pater! equidem non puto, quamdiu his me oppidis voluit præeſſe Numen, vel unam me tecto alicui impoſuiſſe tegulam, alio, atque Divini amoris impulſu.* Et hoc de ſe teſtari auſus eſt oppidi S. Joannis Conditor, pluriumque aliorum Inſtaurator; qui horum neceſſitatibus, quin & commodis tanta cura, vigilantia, ſolicitudine proſpexerat, ut licet incolarum numerus in dies accreſceret, hi tamen non modo non egerent unquam, verum etiam abundarent. Felicitatem nimirum ſuorum Neophytorum ſecum deferre videbatur; quorum animis ita noverat dominari, ut negotio pene nullo conſequeretur, quæcunque vellet; vellet vero, & noſſet id unice, quod cum eorum rationibus quam maxime conjunctum eſſe arbitrabatur. Tot tantisque cum eſſet ſuccurrendum, & frequentes ad vicinos etiam populos ſuſcipiendæ expeditiones, primas tamen ejus curas Gvaranii ſibi vindicarunt. Hos ille omni charitatis genere complecti; rudes ſanctioris doctrinæ elementis imbuere; teneros puerorum animos ad omnem vitæ morumque honeſtatem inſtituere; adultos ad crebriorem Sacramentorum uſum, quotidianis pene ſermonibus excitare; toto denique pectore ad vitia, ſeu extirpanda, ſeu præpedienda incumbere; non ignarus, haud aliud quidquam eſſe opportunius, ut ii in cæteris quoque propitium ſibi Numen experirentur.

Singulari cultu in Virgineam Matrem, & inter reliquos Cœli Indigetes, in Divum Antonium Patavinum, Divumque Aloyſium ferebatur; quorum ope complura etiam humanis viribus majora in commiſſi ſibi gregis commodum perpetravit. Dum ex oppido S. Michaelis ad viciniorem quemdam locum, deinceps a D. Joanne dictum, colonos deduxiſſet, accidit forte horum incuria, ut ingens aggeſti ſtraminis copia ignem conciperet, idemque fatum vicinæ reſectarum arborum ſtrui, ædificiis deſervituræ, comminaretur. Monetur de periculo Antonius; accurrit, deferens ſecum Ætinganæ Virginis ſimulacrum, quod e Germania attulerat. Fuſis coram hoc, quantum per graſſantis flammæ celeritatem licuit, precibus, ſpeque præcipua in DEIPARÆ meritis collocata, ſimul Crucis ſignum ſublata icone effingit in aere, ſimul reſtincto incendio omne ulterioris damni periculum a naſcente primum colonia avertit. Alias cum prædivitem umbellam, ſub qua decentius Numen Euchariſticum ad ægros de-

deportaretur, magnis impendiis curaſſet, velletque illam ornari fimbriis, quas domi hos in uſus habebat reconditas; protrahit has, at ſimul videt, tortuoſo umbellæ limbo neutiquam ſuffecturas. Pergit nihilominus ad regulam iterum, iterumque explorare fimbrias, Divi Antonii nomen ingeminans; & quas paulo ante, quam res exigeret, breviores doluit, admiratus eſt ſubito ad eam pertigiſſe longitudinem, ut menſuram, quam non æquaverant prius, jam ſuperarent. Quoties fuga elapſus oppidanorum quiſpiam, conquiſitorum induſtriam fefelliſſet, more ſuo ſupplex fiebat Antonius Divō huic, nominis ſui Tutelari, ſibi ut redderet hominem: mox eosdem relegere jubebat iter, ſcripto iis conſignans nomen loci, qui fugitivum tegeret. Evenitque non raro, ut cum easdem prius ſine fructu excuſſiſſent latebras, illuc reverſi, latitantem, jamque pene ſui ſecurum deprehenderent, deprehenſumque ad oppidum reducerent. Plures jam cum morte luctantes, atque hos inter pictorem in oppido S. Joſephi, implorato Divi Aloyſii auxilio, momento, ut ita dicam, temporis, ad priſtinam valetudinem revocavit.

Nec Divorum ſolum patrocinio Neophytis ſuis prodeſſe ſtuduit: ardentibus horum ipſorum precibus commoda eorum procuravit ſæpius, & precibus cumprimis parvulorum, quibus tantum deferebat, nihil ut eſſet, quod non, iis interpoſitis, ſeſe obtenturum plane confideret. Æſtivis ſolibus, immodicisque cœli ardoribus ſegetem pene omnem depaſcentibus, convocabat Matres Indas, easque alloquens, *Ite,* ajebat, *& pluviam, qua nobis opus eſt, exorate a DEO, precibus innocentum veſtrarum prolium. Advertetis in illas flagellulo, & monebitis: ferant patienter caſtigatiunculam, eamque DEO ac DEIPARÆ offerant pro pluvia arvis ſitientibus perneceſſaria.* Morem geſſere Matres; tantumque valuit pium hoc ſpectaculum ad placandum Numen, ut continuo undique cogerentur nubes, in largos mox imbres ſolvendæ. Atque hoc eveniſſe ſæpius, in comperto eſt. Iſtud, quod ſubjicio, duntaxat ſemel. Incolæ oppidi, quod cum vulgo a S. Cruce alii, alii rectius a Virgine in Cœlos aſſumpta nuncupant, ob pertinacem aeris ſerenitatem, non ex vano frugum inopiam metuentes, copioſi ſane ad efferendum parvuli funus confluxerant. Pompam deducebat Antonius, qui obitis ex Eccleſiæ inſtituto plerisque ritibus, priusquam terræ mandaretur tenellum corpus, illud utroque ſtringens brachio, ſic denique beatam ejus animam cœpit compellare: *Eja! eja felix animula, quæ duraturis æternum deliciis jam frueris in cœlis! noli oblíviſci hic relictorum; quibus noſti utique alimentis in vita hac mortali opus eſſe: reſpice hanc popularium ac propinquorum tuorum turbam: intuere puerulorum ac puellarum choros: intuere fraterculos tuos & ſororulas innocentes; opitulare tibi ſupplicibus. En! agris ſterilitatem, his famem minatur ſiccitas. Age, averte ab utrisque malum imminens, obtenta pluvia.* Quo minus diceret plura, obortis repente lacrymis impediebatur,

tur, quas ingens primum omnium, qui aderant, comploratio, tum nimbus præ quam alias opportunus excepit.

Muſicæ peritiſſimus, Neophytos quoque ſuos, quos ejus ſuavitate mirifice teneri adverterat, vocem ex hujus artis præſcripto nunc intendere, nunc remittere docuit, piasque ipſe in Lingua Gvaranica compoſuit cantiunculas, quæ muſicis dein illigatæ numeris, ad audientium animos majore Numinis, virtutisque amore inflammandos, mirum quantum valuere. Sic ſublatis prophanis & laſcivis cantionibus, caſtiſſimo verſu, legibus ſanctioris vitæ, ac ſalutaribus monitis dies, noctesque oppida & rura perſonabant. Sic Religionis integritati hoc ſuavi, jucundoque præſidio non in præſens modo, ſed in poſterum quoque egregie conſultum. Ut plures, qui fertilem hunc agrum magis excolerent, nanciſceretur operarios, epiſtolas aliquot de rebus nationis hujus ad Socios Europæos dedit. Vaſtiore ſubinde has volumine complexus, Heterodoxo Auguſtanæ urbis, in qua Rhetoricæ aliquando præcepta explanaverat, Senatui inſcripſit; ut hic ſcilicet perſpectis ſinceræ ac priſcæ Fidei inter ipſos barbaros incrementis, ſuos quoque errores erubeſceret, ac deteſtaretur. A tanta Viri Apoſtolici charitate, quæ una orbis parte ſeſe conſtringi minime paſſa eſt, abeſſe haud poterant virtutes cæteræ. Nemo illo ad obediendum promptior; nemo ab omni faſtu & arrogantia remotior; nemo amantior paupertatis. Demortui linea ſupellex reperta eſt tot adſcitis telæ particulis undique obſita, ut quid in illa novum, quid antiquum eſſet, nullus facile edicere potuerit. Duas quot diebus horas orationi, quæ mente peragitur; unam ſacrorum librorum lectioni impendebat, ut ne earum rationem ineam, quas & Miſſæ Sacrificium, & diurnum Sacerdotum penſum ſibi depopoſcit, quorum utrique eo internæ lætitiæ ſenſu immorabatur, ut vim ſibi quamdam inferri ſentiret, quoties aut ab ara diſcedendum, aut precibus finis imponendus eſſet. Sic *DEUS totius conſolationis* cœleſtes delicias largitur ſuis militibus, qui rerum caducarum oblectamenta, velut Ægyptias dapes aſpernantur. Neque tamen tot, tantaque privatæ pietatis exercitia prohibuere unquam, quo minus publicam ſuorum felicitatem procuraret: dum tandem ſecundo & quadrageſimo Apoſtolici ſui curſus anno, in oppido S. Joſephi morbo infeſtari cœpit. Ingraveſcente in dies malo, brevi ad extrema deductus, obſervatis, quas oportebat, Religionibus, die XIII. Januarii, anno MDCCXXIII. ad capeſſendam laborum ſuorum pleniorem mercedem abiit.

P. JOANNES ALFEREZ
HISPANUS CORDUBENSIS.

FOecunda magnorum ingeniorum Parens Corduba, in lucem dedit P. Joannem Alferez. Vix hic quintum decimum ætatis ſuæ annum attigerat, cum ingens in ſe non modo Societatis amplectendæ, ſed & ad Indos navigandi deſiderium enaſci ſenſit. Aderat opportune P. Hieronymus Herran Provinciæ Paraquariæ Procurator, qui minime vulgarem adoleſcentis perſpicaciam admiratus, hunc facile inter ſuos cooptatum, ad Hiſpalenſe tyrocinium transmiſit: ubi ea jecit eximiarum virtutum fundamenta, quibus omnis deinceps vita ſui ſecura inniti poſſet. Biennio ibidem exacto, Carmonam repetendarum manſuetiorum litterarum gratia migrare juſſus, ſub anni finem perpetua ſe voti religione DEO ac Societati addixit. Revocatus Hiſpalim, ſeverioribus diſciplinis inſtituendus, has nonniſi primoribus labris deguſtavit, opportuniore, quod ſe offerebat, navigationis tempore cœpta diſturbante.

Menſe Decembri anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi octavi Gadibus ſolvens, poſt innumera fere vitæ pericula, portum Boni aeris incolumis tenuit; gravi tamen mox implicitus morbo, ſive quod patrium cœlum requireret, ſive quod ob minus firmam corporis habitudinem mari ſuum debitum nunc demum perſoluturus eſſet. Nondum ex illo ſeſe collegerat, cum Cordubam Tucumaniæ terreſtri, eoque difficili itinere Superiorum imperio diſcedendum erat. Fecit imperata Joannes, alacriſque viam ingreſſus, id tulit obedientiæ pretium, ut paucis ab ſuſcepto itinere diebus, priſtinæ valetudini penitus reſtitueretur, valensque prorſus & vegetus Cordubam ingreſſus, integras ad audienda Philoſophiæ placita vires adferret. In litteraria hac palæſtra aliquamdiu ſingulari ſuæ & virtutis & ſcientiæ exiſtimatione verſatus, dum immodicæ animi contentioni par jungit affligendi corporis ſtudium, oneri ſuccubuit, atque in tantum amittendæ vitæ diſcrimen eſt adductus, ut ab omnibus pro depoſito haberetur. At placuit Divino Numini in difficilius certamen ſervare Juvenem, & has veluti umbratiles pugnas præmittere, quas mox graviores eſſent ſubſecuturæ. Namque cum vix ſaluti redditus, in gratiam quoque cum Ariſtotele ex gemino intervallo rediiſſet, nec de priore illa vitæ cultusque aſperitate remitteret quidquam, omne recruduit malum: conſiſtere primum ſanguis; tum humores ingeniti vitium contrahere;

ulcus denique in ſiniſtro brachio enaſci, per quod prorumpentes ii, vicinas etiam partes corrupere adeo, neceſſum ut fuerit ſæpius, reſecta vitioſa carne, bene magnas exeſorum oſſium particulas ferro a reliqua compage divellere, atque, quod unum licuit, noxiarum partium jactura vitam redimere. Cohorruere omnium animi cum igne ferroque admoverentur remedia malo atrociora, & vix a graviſſimo ſupplicio diſcrepantia, niſi ſpe ſalutis. Ipſe interim ceu nihil eorum, quæ agebantur, ad ſe attineret, oculis irretortis, ſerenæ impavidæque mentis teſtibus, & vidit & tulit omnia, nullo edito doloris ſigno. Integrum omnino annum hoc tenuit malum, quin tamen aut litterarias exercitationes abrumperet, aut de conquirendis ſibi remediis magnopere laboraret.

Excuſſis naturæ arcanis, ad Divinarum rerum ſcientiam gradum fecit, quæ quantum hominis doctrinam, tantum ejus quoque patientiam periclitari eſt viſa; vitioſis enim illis humoribus ad ſiniſtrum nunc genu delapſis, ſpes fere affulgebat nulla, fore, ut, quod tamen in votis habuerat unice, cœleſtem ſuo tempore hoſtiam poſſit immolare. Et vero dejecit ea cogitatio nonnihil Joannis animum, procul dubio in corporis etiam perniciem ceſſura, niſi, qui Provinciæ cum poteſtate præerat, homini tot adhuc morbis conflictato, ſolatii aliquid adhibendum ratus, ultro ei feciſſet copiam, ut altero Theologici ſui curſus anno, Sacerdotio inauguraretur. Quanquam & illud minime diuturnum fuit. Cum enim ſiniſtro pedi ægerrime cæteroquin innixus, aliquot forte hebdomadum ſpatio ad aram adreperet verius, quam accederet, viſum eſt Numini, omnem ejus uſum Joanni adimere, eaque illum ferire parte, qua maxime ſentiret; ſi tamen tot jam exhauſtis doloribus ſenſus etiamnum aliquis ſupereſſe poterat. Equidem ſpectavere Socii, cum lectulo affixus, aliorum opera aſſiduo egeret, adeo viguiſſe animo, ut mentis robur ex imbecillitate corporis incrementa capere videretur. Ad ſe inviſentes animi & oris hilaritate excipiebat ſuaviſſima; quive aliquod doloris oblectamentum præbituri advenerant, uberius, quam attuliſſent, ex ejus ſe alloquio reportaſſe ſolatium, ſunt experti. In Divina providentia penitus acquieſcens, nunquam incuſare auditus eſt conditionem ſuam, aut de cruciatuum vehementia conqueri; quos nihilominus immanes fuiſſe, iſtud argumento eſt, quod dum ab ejus obitu pedem miſere affectum erigere Sociorum conaretur aliquis, vicina popliti oſſa ſubito concidiſſe, & veluti in cineres reſediſſe fuerit compertum. Novum ad inveterata illa binis ante mortem diebus acceſſit malum, quod fervidæ, quam nactus fuerat, indoli non poterat non graviſſimum accidere. Namque omni pene memoriæ uſu deſtitutus, oppoſitas verbis ſubjiciebat notiones; cumque aquam petere vellet, petebat panem. Ignari primum hujus, qui ægro aderant, panem adferre: allatum reſpuere Joannes, indicans: ſe nequaquam iſtud, ſed panem petiiſſe; quem tamen, dum hæc diceret, ceu rem minime deſideratam repellebat. Adfuit hæc inter dies, eum Beato-

rum illatura ſedibus, qua, ſacris ante myſteriis rite procuratus, ad percipiendos heroæ prorſus patientiæ fructus evocatus eſt, anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum quarto & trigeſimo. Ita multiplici morborum exercitu, veluti quodam martyrii genere, videtur DEUS ſatiare voluiſſe ejus cupiditatem, qua flagrabat fundendi ſanguinis pro mortalium ſalute & gloria Divina.

Inerant in P. Joanne Alferezio ea & naturæ & virtutum decora, quæ ſpem omnibus affirmabant certiſſimam, ſummis eum, ſi vita ſuppeteret, Provinciæ muniis admotum iri. Diſciplinarum omnium avidiſſimus, amplam rerum humanarum, divinarumque cognitionem eſt aſſecutus; ſed earum cumprimis, quas ſeu veteres ſeu recentiores Annalium Eccleſiæ Scriptores monumentis conſignarunt. Literarum Sacrarum codicem, quem pene ad verbum memoria complectebatur, aſſidua verſabat manu; utque ſingularum vocum vim certius erueret, ſubciſivas horas Linguæ Græcæ perdiſcendæ impendit. Non ſinebat tamen tanto ſe ſcientiarum amore abripi, quin majore ſimul perfectæ cumulatæque virtutis deſiderio exardeſceret. Huc ille cœtera referebat omnia, nihil omnino eorum prætermittens, quæ ad illam ſeu comparandam, ſeu conſervandam facere quidquam poſſe cognovit. Perſequerer hic ego ſingula, niſi arbitrarer, haudquaquam ad illuſtrandum ejus nomen me amplius dicturum aliquid, atque ſi paucis addam: non alium ſua vivendi ratione Inſtituti noſtri leges felicius expreſſiſſe.

P. LUDOVICUS ROCCA

NEAPOLITANUS.

ILluſtri Roccarum genere ortus Ludovicus, exacta inter paternæ domus lautitias tenera ætate, ſanctiore quodam Numinis conſilio ſe impelli ſentiens, nihil non conatus adhibuit, quo aditum ſibi ad Societatem aperiret. Patuit hæc facile adoleſcenti a præcipuis naturæ ſubſidiis inſtructiſſimo, datumque id ardentibus ejus votis, ut in noſtrorum tyronum numerum quamprimum Neapoli adlegeretur. Quantos hujus tyrocinii ſui tempore in virtute, quantos deinceps ſeu Philoſophicis, ſeu Theologicis diſciplinis operam navaret, progreſſus fecerit, inde conjicias, quod tertiæ Probationis annum de more noſtræ Societatis vix emenſus,

dignus jam haberetur Superioribus, cujus virtutem juxta & ſcientiam Philoſophiæ, quam prælecturus erat, laurea condecoraret. Honores iſtos ſibi ultro oblatos non recuſantis ſpecie, ut aliqui; ſed candide & ſimpliciter ſuſcepit, quia non ignorabat, mentis & corporis tædia non parce allaturos. Neque ille, ut erat præcellentis ingenii, ſpes ingentes de ſe conceptas, niſi quod ſuperare viſus ſit, fefellit. Suſpicere omnes minime vulgarem mentis perſpicaciam; demirari ſingularem in enodandis impeditiſſimis quibusque rebus facilitatem; optare denique, ut Virum hunc de DEO quoque, & Divinis rebus diſceptantem audire liceret. Neque erat, quod diſcipulorum vota diutius moraretur, niſi aliud Ludovicus, utut Philoſophicis diſtentus curis, animo agitaſſet. Obverſabantur huic aſſidue ante oculos Aquavivæ, Maſtrilli, lectiſſima illa Neapolitanæ Societatis nomina, aliique complures, qui ampliſſimis Provinciæ ſuæ magiſtratibus gerendis nati, his inſuper habitis, maluere trajicere maria, ibique delitescere inter barbarorum greges, ut ultimis terris cæcæ ſuperſtitionis tenebris etiamtum involutis, Orthodoxæ Fidei lumen inferrent. Non poterat ad præclara adeo exempla, quæ magnis mentibus præ omni rationum pondere eſſe ſolent, ſemel iterumque animum advertere, quin æque nobili tantorum Heroum veſtigia legendi deſiderio accenſus, ad Superiores advolaret, infimisque ab iisdem contenderet precibus, in Paraquariam transmittendi ſibi ut copiam facerent. Generis claritudo, propinquorum conatus, ſumma, quam de ſe apud omnes concitaverat, expectatio, prope erat, ut conſilium tam ſanctum everterent; & evertiſſent profecto, niſi Ludovicus, cui certum erat in propoſito perſtare, conſtantia ſua aliorum denique pertinaciam expugnaſſet.

Itaque facta ſibi abeundi poteſtate lætus, ne quid iterum profectionem obturbaret, iter maturavit, ſuperatisque, quæ cum diuturna navigatione nunquam non conjuncta ſunt, & periculis & incommodis, ſoſpes in Paraquariam pervenit. Sed neque hic diu latere potuit Ludovicus. Quippe non ignari Superiores, quem quantumque Virum Neapoli accepiſſent, cenſuerunt e re futurum Provinciæ, ſi eum ad Cordubenſem Cathedram evocarent. Jamque in hoc bonarum artium Athenæo eruditionem ſuam inter diſcipulos cœperat diſpertiri, cum eum eodem plane anno, videlicet MDCXCII. P. Donvidas Provinciam Chilenſem cum poteſtate luſtraturus, anno vero quinto & nonageſimo P. Franciſcus Burges ejusdem Provinciæ Præſes ſibi Socium adjunxit. Utroque in munere ſuam Chilenſibus operam probavit Ludovicus; in altero cumprimis, dum mitem a natura ſortitus indolem, ſeverius Burgeſii, Viri cætera religioſiſſimi ingenium ſcite adeo noverat temperare, ut & ab illo ſummam iniret gratiam, & reliquorum quoque animos ſibi plurimum devinciret. Patuit poſtremum hoc tum potiſſimum, cum in Burgeſii locum ſuffectus ipſe, Chilenſis Provinciæ regimen adiiſſet: quo tempore nutu plus, quam repetito alii imperio, apud ſuos potuit, geſtientes ſcilicet Parentis Optimi

mi juſſa prævertere, quem ſuis ipſorum commodis intentum ſemper, ſemper ſui amantiſſimum fuiſſent experti. Optime de tota hac Provincia meritus, aliquot præterea annorum opera jam formandis tyronibus, jam tertiæ Probationis Patribus inſtituendis impenſa, anno demum duodecimo ſupra milleſimum ſeptingenteſimum, iter in Paraquariam eſt remenſus.

Huic ſimul redditus, ſimul vicaria cum poteſtate præeſſe juſſus, quinque admodum annos in hoc magiſtratu exegit; de quo iſtud ſane memoratu dignum, quod Præſidum primus ad obeundas Chiquitorum Miſſiones animum adjecerit, reditumque per Paraquarium flumen attentare ſit auſus. Quantæ in hac navigatione exhauriendæ Ludovico ærumnæ fuerint, haud vacat pluribus enarrare: viſæ ſunt certe tantæ Patri Joanni Baptiſtæ Cea, Viro maximis jam periculis defuncto, ut qua prece, qua hortatu Ludovicum urgere non deſtiterit, dum illum a cœptis, quæ citra temeritatem perfici non poſſent, avocaſſet. Cordubenſi ſubinde Collegio Rector datus, ſub triennii ſui finem ad Romana Procuratorum Comitia abiturus erat, cum adfuere ex Urbe literæ, quibus ei univerſæ iterum Provinciæ gubernacula committebantur. Tuitus eſt in hujus quoque adminiſtratione laudes jam ante partas, tantumque ſuavi illa cum ſuis agendi ratione, eorum provexit commoda, ut minime a vero aberraturum cenſeam, qui dixerit: noſtrorum eum Præſidum exemplar extitiſſe, ſuoque felici regimine luculenter docuiſſe: plurimum intereſſe ad perennem Societatis felicitatem, ejusdem alumnos ex manſuetudinis ſemper, paternique amoris legibus gubernari.

Debet Ludovico Paraquaria ſtabilitas in ſuis urbibus ſacras Divi Parentis Noſtri commentationes, quibus omne hominum genus quotannis a Sociis inſtitui præcepit. Debent Miſſiones Chiquitorum exactiorem regendi Neophytos rationem, qui enata inde emolumenta hodieque ſe experiri non ſine grati animi ſignificatione commemorant. Debent Paraquarii, & Chilenſes Socii fervorem ſpiritus, quem, ſive Provincias, aut ampliora domicilia, ſive noſtrorum in Cordubenſi Collegio conſcientias moderaretur, in ſingulorum animis occulta quadam vi noverat excitare. Sed inprimis eidem debent, raræ in retinendo communis vitæ inſtituto conſtantiæ exemplum. Ætate jam gravis, cum pedes officium ſuum prope negarent, ne in tempore deeſſet, præveniebat ſignum, quo reliqui ad verrendam ſcopis Eccleſiam convocari conſueverant. Nec niſi morbo impeditus, eorum immunitatem admiſit unquam, quæ ab aliis quoque præſtanda forent. Oſor ejus vivendi generis, quod ab hominum uſu non minus, quam ab eorum ſenſibus remotum ſectantur nonnulli, trita modo incedebat via; hancque inſiſtendo, brevi temporis intervallo & virtutem omnibus abſolutam numeris, & illuſtre (quanquam id non ageret) Viri Sancti nomen eſt conſecutus; longe illis diſſimilis, qui niſi aut in ſuſcepto vitæ cultu auſteri præferant aliquid, aut de cæte-

rorum

rorum conſuetudine, moribusve deflectant, omnem ſibi in Societate ad eximiam Sanctitatem eluctandi ſpem præciſum iri arbitrantur. Certe via plana multorumque veſtigiis ſignata expeditior, & ſecurior habetur; calles contra tortuoſi, & a paucis triti, erroribus & inſidiis opportuni.

Statum cum DEO agendi tempus, religioſe prorſus per omnem obſervabat vitam: non eum ab hoc viarum incommoda, non faciendæ ex urbanitatis lege amicorum, Procerumve ſalutationes, non graviſſima univerſæ Provinciæ negotia poterant prohibere. Matutinas horas pene omnes in ſacro tribunali exigebat, confitentibus de ſe reis operam indefeſſam impendens; nullumque a ſe dimittere eſt ſolitus, quem non ſaluberrimis antea monitis inſtruxiſſet. Graviſſimas inter occupationes, quibus diſtinebatur, ſervabat fixum quotidianæ vitæ ordinem, quod animi recte compoſiti certiſſimum argumentum eſt. In charitate erga Socios, adverſa valetudine proſtratos, nimium dixiſſes, niſi ſummam D. Conditor Noſter a Præſidibus depoſceret. Ad hos, cum pro more Provinciam obiret, in domicilium quodpiam delatus, ab adorato Euchariſtico Numine, continuo divertit, &, ut erat ingenio miti, atque humano, ex iis ſuavi ſolicitudine perquiſivit: num pro ea charitate, quam ægris Societas impenſam cupit, adhuc habiti fuiſſent? certus in ipſorum commodum vendere ſacros calices, ſi domicilii forte egeſtatem Superior cauſaretur. Tum demum ad inſpiciendum reliquæ domus ſtatum converſus, ſi delapſam nonnihil veterem diſciplinam cognoviſſet, non ante domo illa pedem extulit, quam eandem priſtino vigori reſtitutam intueretur. Tot jam laboribus, annisque fractum Ludovicum Roccam anno demum MDCCXXXIV. non tam ejus, quo paucis diebus ante tentari cœperat, morbi vehementia, quam natura ipſa, omni vigore, veluti pabulo nativo deſtituta, ad vitæ exitum perduxit. Hunc cum ſibi inſtare non ex vano ominaretur, omni alia dimiſſa cura, id egit unice, ut ad ſupremum illud certamen ſeſe pro viribus compararet. Aderat illud ipſa luce D. Patriarchæ Ignatio ſacra, qua ſupremum placidiſſime ſpiritum edidit.

P. JOSEPHUS IGNATIUS DE LA MATA

HISPANUS LOGRONIENSIS.

QUam in munerum ampliſſimorum ſplendore virtutem coluit Ludovicus Rocca, eandem in Miſſionum pulvere P. Joſephus Ignatius de la Mata exercuit. Inter domeſticos Præſulis Fortunatarum inſularum moribus, literiſque excultus, ſenſerat ſe ad Societatem vocari. Hujus adeundæ gratia, ſpreta maris, ventorumque inconſtantia, Hiſpalim petens, a P. Ignatio Frias, Procuratore Paraquariæ, tyronibus ejusdem provinciæ accenſetur die ſecunda Octobris anno MDCXCVII. Ex umbra nondum abſoluti tyrocinii in palæſtram Paraquariæ traductus, poſtquam duobus annis Theologiæ operam tribuit, Socius datur Patri Philippo Soarezio, qui Chiquitorum ſaluti totus quantus deſudavit. Iſte coloniam S. Joſephi, ſive ob crebras Mamalucorum invaſiones, ſive ob gravem, peſtilentemque cœli intemperiem, alium in locum eo ipſo tempore deducendam conſtituit, quo Pater Joſephus advenit. Ergo ambo rem barbaris plerumque ingratam aggreſſi, poſt multam tergiverſationem, oppidanos cum pecudum gregibus in planitiem quadraginta leucis diſſitam, lentis itineribus, uti fieri amat in hujusmodi migrationibus, transferunt; auſpice DEO novi oppidi aream, locum templi defigunt, operiſque acceleratis, mapalia ordine digeſto conſtituunt. Loci opportunitate allecti barbari, qui ferarum ritu vagari ſolebant, ultro ſocialem vitam amplexi, oppidanorum numerum in dies tantopere auxere, ut cæteras inter colonias facile emineret. Hanc ſtationem P. Joſephus excoluit inter ſexcentas ærumnas. In reti penſili ex arboribus, aut palis ſuſpenſo, ſomnum capiebat more incolarum. Etenim iſti hujusmodi retibus involuti cubant, anguium, aliarumque ferarum metu, quibus ea regio ſcatet. Sæpe palmarum tenerioribus foliis, vulſisque radicibus victitare debuit, dum barbaros per deſerta, & omni humano cultu vacua perquirebat. Ipſi incolæ nondum humanis moribus aſſueti, locupletem patiendi materiam Viro Apoſtolico quotidie dederunt. In hac ſtatione laborum, ærumnarumque feraciſſima, quinquennium exegit ingenti cum fructu rei Chriſtianæ, donec Superiorum juſſu Patri Lucæ Cavellero, de quo antea plura cum laude commemoravi, ſemet adjungeret.

Lo-

Locum duntaxat mutarat Joſephus, non item negotioſum munus Apoſtolicum. Ad cumulum præteritarum miſeriarum acceſſit oppidum, Virgini ſine labe conceptæ apud Chiquitos dicatum, ſolo paluſtri poſitum, & culicum agminibus infeſtum, cujus incolas procurandos ſuſcepit. Variis incommodis debilitatum, gravis morbus repente oppreſſit. Dum dolores nullo remedio, nulla medentium cura levatos, ſola patientia mitigatos, in medio Neophytorum tolerat, longumque æternitatis iter dies, noctesque animo volvit, claram, diſtinctamque vocem percipit: *Non decedes ex hac ægritudine. Multa ſuperſunt tibi perferenda.* Incredibili gaudio perfuſus, & ad quævis dura Religionis cauſa toleranda incitatus, lætus repoſuit: *Domine! ſi neceſſarius ſum, non recuſo laborem.* Certe vox ea tanta illum deinceps jucunditate affecit, ut cum inter adverſa, quibus identidem conflictabatur, eam memoria repeteret, una dejectum erigeret momento, ac conſtanter ſuſtentaret.

Ex eo tempore priſtinas vires paulatim recipiens, intermiſſo tantisper officio fungi cœpit, cumque pedibus minime inſiſtere poſſet, in reti penſili, Neophytorum opera deportatus, ad ægrotos inviſit, parvulos ſalutaribus undis abluit, morituris præſentem opem tulit, aliaque ſeduli operarii munia obivit. Sic omnibus fiebat omnia, commodis omnium & utilitatibus ſtudens, præterquam ſuis. Intellexerat in Chiquitorum regione ſupereſſe Aroporecas, nationem dæmonum cultui devotam. Eam ut tartareis laqueis expediret, nulli induſtriæ pepercit. Illuc profectus cum fido Neophytorum manipulo, Caſiquios, gentis principes, donis Europæis, quæ rudes oculos allicere poſſent, conciliare ſibi ſtuduit; dein iſtorum authoritate convocato populo, unius DEI legem, ac Religionem, ſexus utriusque mortalibus, nulla quiete interpoſita per plures dies, ſæpe immemor cibi, expoſuit. Reperit ſurdas ad ſalutarem doctrinam & obſtructas incolarum aures, minimeque idoneum ſationi Evangelicæ tempus propterea, quod ſacrificuli graviſſimas dæmonum inimicitias iis minarentur, qui relictis patriis, avitisque, nova & peregrina ſacra ſuſciperent. Cum multo tempore crudum, aridumque novale tractaſſet, ac, nullodum fructu Divinam ſementem jeciſſet, tandem e proſciſſo, ac ſæpius iterato ſolo, Chriſtianæ Fidei non modo germen emicuit, ſed maturi fructus, DEO incrementum largiente, ſubitò apparuere. Dum enim ad aras facit Joſephus in oppido Conceptionis, ac majorem in modum Divinæ miſericordiæ Aroporecas commendat, quos novitas rei in ſacras ædes attraxerat, enunciatis ſuper calicem iis verbis: *qui pro vobis & pro multis effundetur,* diſerta hæc verba audiit: *& pro iſtis;* quæ ille interpretatus de Aroporecis, poſt paucorum dierum intervallum, vidit omnem illam nationem, projectis idolis, & armis Hiſpano nomini inimicis, ſuaviſſimum Chriſti jugum accepiſſe.

Cumulavit lætitiam ſors fortunata parvuli recens nati. Barbari cujusdam conjux, geminam uno partu ediderat prolem. In rerum omnium

penuria, ne aucta familia augerentur paupertatis incommoda, alteram prolem clam terræ infoderunt parentes. Forte evenit, ut P. Joſephus pedem inferret in tugurium, ubi defoſſus paulo ante fuerat parvulus. Sciſcitatur ſolicite e domeſticis: an mortem obierit proles altera? ubi locorum eam condiderint? negantibus plures eſſe editas, dum ipſe intentis oculis omnes excutit latebras, videt humum recens egeſtam. Disjecta levi negotio terra, parvulum ſpirantem reperit, ac ſalutari lympha ablutum, e ſepulchro ad beatæ, æternæque vitæ gaudia feliciſſime tranſtulit.

Poſteaquam quinquennio pariter coloniam Conceptionis eximia cum laude moderatus fuiſſet, paterno prorſus animo, omnem Chiquitorum Miſſionem Superior rexit. Subinde oppido D. Xaverii præfectus, ad ſeram usque ætatem in ſalutem Chiquitorum incubuit. Cruda & viridi ſenecta uſus, non dubitavit poſtremis vitæ annis, Baures luce Evangelica nondum illuſtratos accedere. Centum facile leucis confectis per intacta nemora, ſiccitate omnem humorem abſorbente, ſiti graviſſima vexari cœpit. DEO miſerante reperit fructum arboris, melopeponi ſimillimum, quo deinceps & ſitim, & famem levavit. Ita cœleſtis Imperator ſuis militibus humano præſidio deſtitutis in tempore opem ferre ſolet. Baures natura præ cæteris barbaris mitiores, diſſerentem P. Joſephum de myſteriis noſtræ Religionis non modo pronis auribus audiverunt, verum etiam tanto ſtudio ſalutis æternæ inflammati ſunt, ut exuta ſuperſtione avita, & vitiis, cervices ſubmiſerint Evangelio, frugibusque raptim ex agro collectis, ſuum Magiſtrum comitati fuerint in oppidum D. Xaverii; ubi per otium ampliore doctrina imbuti, vitalibus aquis incredibili lætitia Patris Joſephi renati ſunt. Hac uberrima meſſe lætus, in corona Neophytorum Apoſtolicæ vitæ præmium accepit die XXXI. Auguſti anno MDCCXXXIV. natus annos ſeptuaginta, quorum ſeptem & triginta in Societate Religioni amplificandæ, firmandæque conſecravit.

FINIS DECADIS OCTAVÆ.

DECAS

DECAS
NONA.

P. JULIANUS LIZARDI CANTABER.
P. IGNATIUS ARTIAGA CANTABER.
P. MARTINUS LOPEZ ARRAGONIUS.
P. PAULUS RESTIVO SICULUS.
P. NICOLAUS DE LA ROCA SARDUS.
P. ANTONIUS RIBERA HISPANUS.
F. PETRUS QUINTELA GALECIUS.
F. JOANNES ELLIOT SCOTUS.
P. HIERONYMUS HERRAN HISPANUS.
P. AUGUSTINUS CASTANNARES TUCUMANUS.

P. JULIANUS LIZARDI
CANTABER ASTEAZUENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Ejus ingreſſus in Societatem, navigatio ad Indos; ſtudia; labores apud Gvaranios.

APoſtolici laboris præmium accepit P. Julianus Lizardi, cruenta morte ſublatus ab Ingrenſibus Chiriguanis anno MDCCXXXV. die XVII. menſis Maji. Ineuntem ætatem exegerat Villagarſiæ, ubi decurſa ſcholarum, ac politioris humanitatis palæſtra juvenili, numerum Tyronum Societatis noſtræ auxit anno MDCCXIII. die IV. Julii. In Compoſtellano Collegio ediſcendæ Philoſophiæ applicitus, dum Patres Bartholomæus Ximenezius, & Joſephus Agvirre provinciæ Paraquaricæ Procuratores, ſupplementa Sociorum

ciorum cogunt pro Paraquaria, favente P. Joſepho Felici Vargas, Caſtellanæ provinciæ Præſide, Americanis Miſſionariis accenſeri meruit. Cum uno & ſexaginta Sociis (vel ut placet aliis: ſeptuaginta) Gadibus ſolvens poſt menſium aliquot ſat proſperam navigationem, prope in ipſo portu naufragium fecit, furioſa admodum jactatus tempeſtate in vaſtiſſimo flumine Argenteo. Furentibus ventis, aquarum inſani montes undique minabantur exitium. In eo ancipiti periculo, juſſu Ximenezii Julianus e cereis agni cœleſtis imaginibus, quas Innocentius XI. ſummus Pontifex conſecraverat, partem in furentes undas cum veneratione immiſit. Lenitum ſubito flumen, navigio perfacilem curſum in portum Boni aeris præbuit.

Cordubæ Tucumanorum ſanctioribus diſciplinis probe exercitatus, Sacerdotio augetur anno MDCCXXI. die XV. Novembris. Grammaticam juſſus tradere in urbe Boni aeris, quo diſcipulorum animos ſibi obſtringeret, principem curam, ſpatio quatuordecim menſium, in id intendit, non ſolum ut in literis proficerent, ſed & proficere ſe ſentirent, ſimulque intelligerent, fore ejus operæ fructum deinceps uberrimum, ſeu in ſacra, ſeu profana Repub. ſtipendia facere mallent. Pietatis, & literarum ſtudium eisdem cum frequentibus monitis, tum multo magis exemplo inſpirabat. Sic ille munus docendi præclara cum laude ſuſtinuit; ſiquidem optime docet, qui exemplo ſimul & verbo docet. A tertia probatione in agrum Gvaranicum miſſus, ubi aliquot arces Religionis (ſic enim ſtationes Miſſionum appellare licet) poſitæ erant; in urbe S. Fidei intelligit: rebelles barbaros omne iter infeſtum reddere, omnemque aditum in Gvaraniæ provinciam intercepiſſe. Quapropter eadem in urbe quatuor menſium moram trahere coactus, poſteaquam barbari ad obſequium Hiſpanorum redierunt, oppidum Lauretanæ Virgini dicatum petiit, Socius futurus Patris Pauli Benitezii Veterani Operarii. Primus, ac præcipuus labor erat, Gvaraniorum idioma addiſcere, dein rem familiarem curare, Neophytos in ſacras ædes ſtatis temporibus deducere, diurnos labores ſive in oppido, ſive ruri inter eos partiri, pluraque hujusmodi tædia hilari vultu haurire, quæ numeroſi Neophyti, & nondum ad cultum humanum penitus ſubacti, plenis modiis ſuis Moderatoribus quotidie affundunt. Sermonis & locorum jam gnarus, dum ſementem Evangelicam nunc in felici, nunc ſterili ſolo citra ceſſationem ſpargit apud Gvaranios, in Collegium Boni aeris Divino prorſus conſilio evocatur. Namque numeroſi Indi, qui Parana & Uruguay fluviis devecti, in præſidio urbis ad opus faciendum detinebantur, peſtilenti morbo ad annum MDCCXXVII. afflati, in uno P. Juliano præſentem opem reperere. Nullam ille quidem prætermiſit induſtriæ partem, qua prodeſſe miſeris poſſet. Corrogata per urbem ſtipe, ſingulorum paupertatem levare, interdum etiam iisdem ſua manu condire, & coquere cibos, præbere medicatam potionem, ſternere lectos, & ſordes everrere; depoſitos ultimis Sacramen-

cramentis procurare, ad ultimum certamen inſtruere, nulla laboris intermiſſione, nulla ſuæ valetudinis ratione, ægrotantium ſaluti unice intentus.

Depulſo malo, geſtiebat Julianus ad ſuos Gvaranios proficiſci. Ut voti compos fieret, S. Euſtachii opem implorat; &, ut exitus docuit, non fruſtra. A Laurentio Rillo præpoſito Provinciali, eo feſtinare juſſus, medios inter fluctus Argentei fluminis, jam nuper Juliano admodum infeſti, prope naufragio periit. Dum enim in adverſam ripam vaſtiſſimi fluvii navicula contendit, coortus ſubito ferocior ventus, eam evertit, ipſeque cum vectoribus & ſarcinulis mergitur. Neophyti nando aſſueti, ac nudi, Julianum fluctibus abreptum, hauſtumque ad naviculam pertrahunt, ac hujus dorſo impoſitum, lenta duodecim horarum navigatione, vento obnitente, ad alteram ripam ægerrime devehunt. In hoc præſentiſſimo periculo votum edidit, ſe omnem vitam inter barbaros acturum, ſi cum vectoribus incolumis evadat. Sarcinulis, & annona celeriter comparatis, adverſo flumine Urugvay cœpto itineri inſtitit, & optato portu tandem potitus fuit, oppido nimirum a S. Angelo Tutelari nominato; cui magno emolumento incolarum præfectus, arctiori vinculo quatuor votorum ſe Societati devinxit anno MDCCXXX. die XV. Auguſti.

CAPUT SECUNDUM.

Ad Chiriguanos abit; mors illius glorioſa, & virtutum decora enarrantur.

FEracem plurium periculorum expeditionem procedente tempore adeptus fuit P. Julianus, quam multarum palmarum veterani Duces ambiverunt, ad Chiriguanos, ſive, ut aliis placet, Chiriguanas, de quibus non uno loco meminimus. Sunt ii e Paraquarica, & Paranenſi provincia oriundi, ad limites Peruviæ magno numero confidentes. Armorum periti ſecundo Marte multa prælia adverſus vicinos, longinquosque populos geſſerunt, victoriis inclyti, & Hiſpano formidoloſi. Narrant Scriptores: aliquot centena Indorum millia ab illis partim fœde trucidata, partim in captivitatem per intervalla abducta. Olim in more fuiſſe Chiriguanis, corporibus bello captorum veſci; poſtea vero hanc barbariem ſpe lucri paulatim exuiſſe, prædamque captivam mercibus permutaſſe, aut Europæis numerato ære vendidiſſe. Nec cæco impetu, ut prius, ſed conſilio & arte arma tractare jam ſolere, eoque majorem metum hoſtibus ſuis incutere. Hanc bellicoſam nationem Miſſionarii Societatis noſtræ excolendam ſuperiori ſeculo ſuſceperunt, ac aſpirante Divina gratia, multorum animis errores patrios exemerunt. Verum ad annum MDCCXXVII. ſeu odio Religionis Chriſtianæ, ſeu metu Hiſpanæ dominationis impulſi, in arma coorti, Miſſiona-

rios

rios e ſua provincia expulere, omni amicitia, ſiqua cum Hiſpanis interceſſerat, abrupta. Et quamvis aliquot præliis victi magis, quam victores e campo diſceſſerint, ardebant nihilominus odio pervicaces, ſuisque damnis animoſiores, majoribus animis, & majore apparatu bellum adverſus Hiſpanos continuaturi videbantur.

Tarijenſes Hiſpani, qui plerumque primi belli incommoda ſenſerant, feſſi tot malis, Peruviæ Proregem ſupplices orarunt: ut poſitis tantiſper armis, Chiriguanos mitiori via ad pacem, & Religionem flectere tentaret; uteretur in præſentia, opera Magiſtrorum Evangelicæ legis, quos conſtat ſæpe feliciores extitiſſe in expugnanda barbarorum ferocia, quam validiſſimos exercitus. Chiriguanos accipiendis, & inferendis cladibus fatigatos, jam proniores ad otium, & tranquillitatem, conſtantius permanſuros in amicitia, ſi eam ſponte ſua, nulla armorum vi adacti, amplectantur. Neque animos continuo miteſcere eorum, quorum corpora ferro domantur. Placuit Proregi, quod petebatur.

A Senatu Chuquiſacenſi admonitus hac ſuper re Hieronymus Herran Præſes provinciæ Paraquaricæ, Julianum tanto operi idoneum deſignat. Nihil erat moræ in eo; quod intelligeret, Religionis & Regis cauſam in iſta expeditione agi. Secundo fluvio Paraquario in urbem Boni aeris devectum, Prætor provinciæ Bruno Zavala, noſtræ Societatis perquam ſtudioſus, multa amoris ac benevolentiæ ſignificatione excepit. Captus ſuaviſſima indole Juliani, fertur in familiari ſermone dixiſſe: *mirari ſe, Patrem Julianum neglectis tot amicis in urbe Boni aeris; ad Chiriguanos, hominum carnifices, properare, a quibus poſt plurima beneficia data, nihil præter crudelem necem expectare poſſet.* Cui Julianus: *iis, qui legibus obediendi adſtricti ſunt, nefas eſſe ſeu locum, ſeu officia deligere; a Superiore, cujus nutum, voluntatem DEI interpretantur, hæc talia alacres accipere.* Addidit: *ſibi in votis dudum fuiſſe, ſanguinem & vitam dare pro Religione Chriſtiana; ſe feliciſſimum mortalium fore, ſi apud Chiriguanos Sociorum vitam ſua morte redimat.* Ita animatum Julianum, cum duobus Sociis P. Ignatio Chome, & P. Pons, ſive de Ponte, ad Chiriguanos abeuntem Cives Boni aeris fauſtis omnibus & pia prece proſecuti ſunt.

Tarijam diſcedens, e propinquo in difficultates, quæ expeditionem morari poſſent, ſedulus inquiſivit, easque emollire omni ſtudio contendit. Humanam induſtriam Divina bonitas ſingulari oſtento adjuviſſe eſt viſa. In *medio pravæ nationis* Chiriguanæ, e paucis Chriſtianis remanſerat Laurentius Aypoze, vir Fidei ſuſceptæ tenaciſſimus, & legis Evangelicæ obſervantiſſimus. Is integritate vitæ non vulgarem inter ſuos conſecutus authoritatem (nam & barbari virtutes venerantur in aliis, quas vitiorum capti dulcedine a ſe procul abigunt) diuturno morbo laborabat. Dum fere in limine æternitatis ſtat, ſubito a ſenſibus abſtractus, ac raptus in extaſim, vidit Chriſtum Judicem benigno vultu præſentem, &

prin-

principem tenebrarum, qui longam accuſationem orſus de Laurentii ſceleribus, quæ patria ſuperſtitione imbutus olim patraverat, confecit: tot ſcelerum reum æternis ignibus addicendum. Sed iniquo accuſatori Chriſtum miſericordiæ omnis fontem, virtutem baptiſmatis, qua prioris vitæ crimina abluta ſunt, oppoſuiſſe. Vidit præterea beatarum mentium delicias, ac inferorum cruciatus pertinacibus barbaris deſtinatos. Poſt ſex horarum ſpatium, velut e gravi ſomno ſibi redditus, domeſticam familiam arceſſit: narrat ex ordine, quæ viderit; ſimul hortatur, miſſo dæmonum cultu; Chriſtiana ſacra amplectantur, Europæis Sacerdotibus proxime adfuturis fidem habeant. Tum in lacrimas ſolutus, DEO ter optimo gratias egit, quod Chriſtianus vitam mortalem finiat, immortalem paulo poſt auſpicaturus, ac eadem, quam prædixerat, hora placide deceſſit.

Hæc Laurentii narratio longe, lateque didita, multos Chiriguanorum perterruit, multos ad ſpem felicioris vitæ erexit. Verum Arioli dæmonum furiis ſtimulati, circumcurſantes ſingulorum tuguria, melioris mentis ſemina, conſuetis ſuis fraudibus ſuffocarunt, atque ſex menſium decurſu, Miſſionarios omni aditu regionis prohibuere. Tandem Julianus accepta publica fide, Chiriguanos uno comitatus Socio, acceſſit. Diſſerentem de amicitia Hiſpanorum, de Religionis Chriſtianæ præſtantia etſi pacati audirent, utrumque tamen cum ſtomacho rejecere. Unus Barriere Cuyambuyenſis Caſiquius, cœleſti luce illuſtratus, Patribus inſtituendum ſe tradidit, eorumque ductum ſecutus cum omni ſua familia, felix initium dedit oppido a Salinis, ſubinde a ſanctiſſimo *Roſario* nominato, cui additi erant pauci Neophyti ex iis Chiriguanis, quibus P. Raphael Ximenezius ſingulari ſua induſtria omnem occaſionem eripuerat, in communi illa rebellione a fide deficiendi. In hac ſtatione, veluti præſidio adverſus ſuperſtitionem erecto, unde arma Religionis explicarent, quaterni Miſſionarii, ſtrenui cultores animarum, ſubſtiterunt; in omnem opportunitatem intenti ſacra Chriſtiana latius propagandi.

Sed inopinatus caſus Patribus, & ſtationi prope ultimum exitium attulit. Caſiquius Yagvaro armorum gloria inter Chiriguanos facile princeps, ab Hiſpanis interceptus, triſtiſſimam vitam in vinculis ſat diu egerat. Huic Ximenezius libertatem impetraverat, hocque beneficio vita ipſa chariore, usque adeo ſibi devinxit hominis animum, ut deteſtatus dæmonum cultus impios, ultro ſe perpetuum Socium itineris & ſtipatorem adjunxerit. Redux e Chiriguanorum interiore provincia, quo comitatus fuerat Miſſionarium, repentino morbo oppreſſus, incredibili Patrum dolore moritur. Illico fama vulgatur authoribus Ariolis: Caſiquium malis artibus Patrum, e vita proturbatum: id unum Miſſionarios moliri, ut interemptis potentioribus, inermem populum, Hiſpanorum ambitioni dedant. Res credita a perfidis Chiriguanis ingentem tumultum concivit. Jamque correptis armis ad demoliendum oppidum, ſuosque

populares in libertatem vindicandos conſpiraverant, cum ſubito Hiſpani Sancto-Crucenſes in campo apparuerunt, & Chiriguanos ad ſua potius defendenda, quam aliena invadenda coegerunt. Inſuper Patres per fidos Neophytos errorem de nece Caſiquii, deque intentata ſervitute ſparſum, dedocere conabantur credulos, palam teſtati: ſe in id potiſſimum omnem operam conferre, ne cui recepta Religio fraudi ſit. Sed paucis tum quidem exemptus error; vitio etiam humanæ mentis, deteriora de innocentibus ſparſa facilius credentis.

Diſpulſo periculo, Patres in interiores Chiriguanorum plagas, ope Divina freti, penetrarunt. Julianus in oppido Caraperi apud Caſiquium rei Chriſtianæ clam faventem ſtationem delegit, Ignatius Chame Cayſanis cicurandis operam dedit paucis admodum diebus. Quippe animadverſo ſibi necem parari, tacite ſemet recepit ad vicum Caraperi, quo etiam Pater de Ponte a Chiriguanis Taraeinenſibus male mulctatus, ſeminudus confugerat. Mutuo conſpectu exhilarati, dum de emollienda Chiriguanorum duritie capita conferunt, omnemque viam ſalutem iſtorum certius procurandi ſoliciti rimantur, novum vitæ periculum adierunt. Cayſani Patrem Chame fuga elapſum perſecuti, hora poſt mediam noctem tertia in oppidum Caraperinorum armati irrumpunt. Aberat tum temporis loci Caſiquius cum parte oppidanorum, idque exploratum habebant Cayſani. Verum ejus filius detecto jam antea parricidarum conſilio, Patres in tugurium paternum recepit, addito armatorum manipulo adverſus vim prædonum, ſiquam inferre auderent. Interim feſtinatis nunciis parentem ſuum certiorem facit de Cayſanorum irruptione; ni reditum maturet, tres Sacerdotes cum non paucis incolis haud dubie interimendos. Adfuit ille in tempore cum ſuis, oſtenſiſque cominus armis, invaſores metu repentino perculſos, ad pacem petendam adegit. Eam Patrum precibus obtinuerunt, appoſita conditione, ut relictis apud Caraperinos armis, & obſidibus, ſua mapalia inglorii repeterent.

Cum quotidie alia, atque alia vitæ diſcrimina imminerent Patribus, & inter infida ſemper, ac effera Chiriguanorum ingenia, Evangelii prædicatio minime procederet, agrum male pacatum, ſterilemque deſerendum putarunt; ne videlicet ſuper quotidianum diſcrimen capitis, & ſexcentas ærumnas, oleum quoque & operam perderent, felicioribus auſpiciis, ut quidem arbitrabantur, aliquando redituri. Itaque Caraperinis valere juſſis, ad veterem ſuam ſtationem redeunt. Nocturnis plerumque horis iter faciendum erat, ne barbaris Religioni juxta, atque Hiſpano perinfenſis occurrerent. Abruptis montium, vaſtis nemoribus ſuperatis, longo & difficili circuitu, rerum omnium egeni, in oppidum SS. Roſarii pervenere. Nec iſthic diu commorari auſi, Neophytos, quos nuper concluſerant laudato oppido, tutiorem in locum Tarijam verſus abduxerunt. Erectis tuguriis, atque Sacello, continuo aſſignatus ager, quem colerent & exercerent. Multi barbarorum, qui ſparſim vicinas ſylvas habi-

habitabant, viſa commodiore vita oppidanorum, ultro civilem ſocietatem amplexi, adeo auxerunt incolarum numerum, ut e conſilio Præſidis provinciæ, duas in colonias dividendi fuerint. Pars una oppidanorum, ſedes nuper deſertas juſſa eſt repetere, Duce Caſiquio Franciſco Xaverio Cyryari, manſitque loco prior appellatio a SS. Roſario; pars altera ſtationem recens delectam a Virgine ſine labe concepta nominatam retinuit, ſub Caſiquio Paulo Barrire. Hujus coloniæ præfectura Patri Didaco Ximenezio; alterius Patri de Ponte demandata fuit, Patre Juliano utrique præeſſe juſſo.

Dum Miſſionarii incredibili charitate gregem ſibi commiſſum amplectuntur, ac ſingulis prodeſſe ſtudent, metus a Chiriguanis, colonos oppidi Conceptionis fere in fugam compulit. Rumore ferebatur: Chiriguanos, quorum tuguria Hiſpani nuper vaſtaverant, edita hominum, pecorumque ſtrage, ultionis cupiditate conſpiraſſe ad delendam coloniam; jamque cædem anhelantes, ingenti numero in armis ſtare. Julianus, quo certiora cognoſceret, quid efferati molirentur, ipſe uno alterove Neophyto comitatus, exploratum ivit. Apud vicum Chimco dimoratus, duos Caſiquios munuſculis emollitos ſibi, ſuisque amicos reddidit. Ad flumen Pilcomayo progreſſus, dimiſſis hinc illinc idoneis exploratoribus, omnia pacata reperit. In regreſſu, ut erat in omnem occaſionem intentus, ethnicos imperio Chriſti ſubdendi, Caſiquium fama Religionis, & ſanctitate jam antea captum, cum numeroſa ſua familia a patriis inſtitutis ad Chriſtianam legem, & humanum, civilemque cultum nullo negotio traduxit. Senſit hominis egregiam fidem Julianus, dum ab Ingrenſibus Chiriguanis, quorum per fines tranſeundum erat, hoſtilem in modum impetitus, hujus præcipue in pugna conſtantia ſalvus evaſit.

Reſtitutus oppido Conceptionis, quod ipſe regere deinceps debebat, Ximenezio alia colonia attributa. Verum haud diuturnum regimen Juliani fuit. Quippe paucis poſt diebus a diſceſſu Patris Ximenezii, apud quem totius vitæ noxas depoſuerat, decima ſeptima Maji anno MDCCXXXV. fidei cauſa ab Ingrenſibus ſagittis confoſſus occubuit. Pridie laureatæ mortis, qua primum in provincia Paraquarica penſum Sacerdotale de Divo Joanne Nepomuceno, peculiari Societatis noſtræ Patrono, recitari cœptum eſt, ſomni alioquin parciſſimus, majorem partem noctis, orando exegit. Albeſcente die, dum ſacra litat hoſtia in publico ſacello Neophytis præſentibus, nuncii non ſane læti advolant: Ingrenſes agmine infeſto ad delendam coloniam properare. Oppidani nullo, aut exiguo ſepti munimento, & Chriſtiana lenitate magis, quam armis exercitati, protinus in avia fugam arripiunt. Extra ictum poſiti, ubi ſe ex timore collegere, animadvertunt Paſtorem ſuum deſertum, relictumque in hoſtium manibus. Ergo duce fœmina virilis prorſus animi, viginti circiter audaciores Neophyti, in oppidum ſumma fiducia regrediuntur, optimum Patrem adverſus vim furentium defenſuri. Sed jam

præ foribus Sacelli, Hiſpanum famulum, qui primus ad opem ferendam accurrerat, cæſum, ipſumque Julianum veſtibus nudatum, ac funibus conſtrictum vident.

Dum deliberant quid in hoc afflicto rerum ſtatu agendum? a numeroſis Ingrenſibus ſubito occupantur. Cum jam nemo adeſſet, qui hoſtium impetum moraretur, prædas per oppidum agunt, Sacellum incendunt, elegantem ſtatuam Virginis Matris ſine labe conceptæ comminuunt, tugurium verius, quam domum, P. Juliani evertunt, denique ferro & flamma late omnia barbarum in modum populantur. Congeſtis ſpoliis, inter gregem captivorum, Patrem Julianum abducunt. Caſiquius hujus tempeſtatis præcipuus author, viſo extenuato corpuſculo Viri Apoſtolici, miſeratione commotus, eum libertate donare conſtituit. Quo animadverſo cæteri barbari, ne tam nobili, diuque quæſita præda fraudarentur, mortem accelerant. Conſpicati eminentiori in loco ſaxum, eo nudum pertrahunt, jaculis configendum. Nec mora: delecti peritiores ſagittarii, triginta aliquot telis ægerrime ſpirantem perfodiunt. Corpus exanime eodem in loco relictum, Pater de Ponte die ſeptima Junii anni MDCCXXXV. ad oppidum SS. Roſarii deportavit; inde cives Tarijenſes non ſine ſolenniore pompa & publico Religionis triumpho ſacras exuvias, ſuam in civitatem intulerunt, urnam affabre elaboratam nobiliſſimis civibus humeris ſuis geſtantibus. In templo RR. PP. Ordinis D. Franciſci Seraphici, exuviis tantiſper depoſitis, e ſuperiore loco orator ex eodem ſacro ordine herois magnanimi glorioſum exitum, robuſta facundia celebravit, virtutesque Religioſo, & tanto Apoſtolo dignas, in frequenti civium corona non parce recenſuit. Inde ſublatæ, in templo Societatis ad altaris primarii dexterum latus conditæ fuere, loci Vicario inter ſymphoniacos concentus rem Divinam conficiente.

Hunc in modum Pater Julianus Lizardi, quatuor vota profeſſus, actis in Societate annis duobus & viginti, ætatis ſuæ trigeſimo octavo, debitam fidei propagatæ, defenſæque coronam adeptus eſt. Eam ſibi ardentiſſimis votis identidem optaverat, eo potiſſimum tempore, quo ex oppido SS. Roſarii ad viciniorem Tarijæ locum colonia deducta erat, & ipſe cum duobus duntaxat Neophytis, & Patre Ignatio Chome ad ſarcinas cuſtodiendas relictus. Tum enim crebrius ajebat: *O quam opportunum tempus Chiriguanis Ingrenſibus nos opprimendi! quam bella occaſio pro Chriſto moriendi! mihi fixum eſt, ſi res ferat, Religionis Chriſtianæ cauſa vitam, animamque ponere.* Intellecto, Chiriguanos mira animorum conſenſione ſtatuiſſe, ſe Europæos Sacerdotes Tobis barbaræ genti captivos tradituros, ſi rurſum in provinciam pedem inferrent, dicere auditus erat: *O Patres! beata ſors noſtra, ſi fidei cauſa, libertate amiſſa, in ſervitutem barbarorum redigamur.* Hæc meliora animi vota, precandi ſtudio, legum noſtrarum cuſtodia, puritate Angelica, hilari ac prompta in arduis obedientia, pietate erga Virginum Reginam, moribus deni-

que

que integerrimis, nullaque graviore labe contaminatis conſtanter aluit. P. Didacus Ximenezius, cui Julianus totius vitæ errata, ut nuper memini, retexuit, ſancte confirmavit: Julianum vitam gravioris noxæ expertem ad ea tempora vixiſſe. P. Hieronymus Herran Juliani noſtri in Collegio Boni aeris olim Rector, audita ejus laureata nece, anno MDCCXXXVI. in hunc modum ſcripſit: *Erat P. Julianus Religioſus, qualem S. Parens noſter Ignatius ſuis in Conſtitutionibus expingit. Normam vivendi eandem conſtans retinuit, quam profeſſus Grammaticam in iſto Collegio tenebat, ubi inſigni teſtificatione exterorum perinde, ac domeſticorum, ceu Angelus in carne vixiſſe perhibetur.* Hæc, ut compendii rationem haberem, breviter de tanto viro; cujus Apoſtolicos labores, virtutes omnino præcelſas, & necem a barbaris illatam, minutatim enarrat P. Petrus Lozano, Hiſtoricus provinciæ Paraquaricæ.

P. IGNATIUS ARTIAGA
CANTABER.

PAtris Ignatii Artiagæ natale ſolum Hiſpania fuit, qua montibus Pyrenæis prope clauditur; indigenæ Biſcajam & Guipiſcoam, priſci Cantabros dixere; quibus porro parentibus, quo anno & die ortus, qua inſtitutione adoleverit, ubi Societatem amplexus, aut ſeveriores diſciplinas didicerit? quemadmodum & plura alia, mihi prorſus incerta ſunt. Id conſtat: eum in tyrocinio, Alvarum Cienfuegos (Collegio Purpuratorum Patrum poſtea adlectum) habuiſſe æmulum virtutum, & ſubinde in condendis Hiſpanis verſibus cum hoc eodem de palma certaſſe. Confecto Theologiæ ſtadio inter ſecundas admurmurationes, tantam eruditionis famam collegerat, ut jam tum explanandis ſublimiorum ſcientiarum arcanis par haberetur. Sed ille ſpe literarii honoris, & nobilium præfecturarum abjecta, quibus ſine dubio Hiſpania ingenium ſagax cumulaſſet, deſiderio in Americam transmittendi flagrabat, ut indicant ejus ad Præpoſitum Generalem literæ, quibus eum majorem in modum obteſtatur, ſibi ut liceat in ultimum proficiſci orbem, ad gentes nondum veritatis luce colluſtratas inſtituendas, ubi omnibus ignotus & ab aura populari ſemotus, deliteſcere, ſeque offerre poſſit, ſi Superis placet, *hoſtiam, & oblationem DEO in odorem ſuavitatis.*

In America, tametſi invitus, partim ad pulpitum, partim ad clavum, ætatem pene omnem attrivit, dubio relicto, utrum ſolidiſſimæ do-

ctrinæ commendatione, an inſigni prudentia, & charitate in ſuos major. Annis provectior, cum munus docendi, regendique ferre amplius non poſſet, Cordubæ Tucumanorum Præfectum Spiritus egit, ſimulque Conſultorem provinciæ. Obteſtabatur vir laboris, tædiique patientiſſimus Superiores, ut reliquias exactæ ætatis, ſibi liceret impendere rudioribus Indis informandis, qui in prædio Cordubenſis Collegii opus faciebant. Hos quemadmodum & mancipia æthiopica, vinctos in cuſtodiis, ad publicos labores damnatos, ob inopiam & ſolitudinem deſpicatiſſimos, peculiari cura juvandos ſuſcepit. Cum licebat per ſeniles morbos in publicum prodire, puerili ætati non cunctabatur elementa fidei, pietatem Chriſtianam inſtillare; optime gnarus, ceream puerorum ætatem facile accipere melioris vitæ lineamenta; & Religionis firmitatem a fundamentis, hoc eſt: a juventute, ſana doctrina, & caſtis moribus inſtituenda, haberi. Sed multo frequentior erudiendis Æthiopibus, ut eſt hominum natio ingenio tarda, & hebes, operam navavit. Iſtis ſeu domi noſtræ, ſeu in publico foro, rudimenta ſalutaris doctrinæ propoſuit, repetitis vicibus eadem iterum, atque iterum recoxit, quoad tarditatem ipſorum, mira patientia vinceret, & imaginem myſteriorum animis eorum imprimeret. Nec contentus verbis explanare arcana Religionis, pictas tabellas, iconesque addidit; quæ nimirum apud imperitos & agreſtes, librorum vicem obtinent. Hæ dum explicantur, myſteria Religionis non auribus tantum, & animis, ſed oculis prope ipſis percipiuntur. Et oculis erudiendi erant Æthiopes, qui oculis & ſenſibus omnia fere metiebantur.

Cum hoc hominum genere jucundiſſimus egit, nunquam offenſus eorum ineptiis, diſtortis, & impolitis moribus. Quin imo miſeræ nationis imbecillitati ſerviendum ratus, ſepoſita illa gravitate morum, quam domi præferebat, familiariter, ceu unus ex eorum grege foret, colloquium protrahebat, captoſque familiari iſta agendi ratione, fidei principiis, & ſalutaribus monitis citra tædium imbuebat. Præter hanc in tradenda puerulis & mancipiis doctrina Chriſtiana hominis Apoſtolici præcipuam virtutem, atque induſtriam, eminebat in Patre Artiaga, non vulgaris caſtitatis amor. Fertur, ſenſus omnes incredibili auſteritate in officio continuiſſe, præcipue oculos, quos ab omni periculoſo obtutu remotos, & plurimum humi dejectos domi, foriſque habuit, ut adeo jam primis Religioſæ vitæ annis, flexa in terram cervice inceſſerit.

Hæc ipſa oris, morumque compoſitio, Artiagæ pudicitiæ hoſtes peperit. Florente ætate dum iter ageret, ab illuſtri, ſed procaci fœmina hoſpitio excipitur. Dilapſis famulis ad flagitium invitatus, tanto horrore perfuſus eſt, ut conſcenſo propere ſonipede, Collegium, veluti caſtitatis tutiſſimum portum, uno curſu repetierit. Puriſſimum hunc florem ut tumulo, cœloque inferret, corpus inedia, flagellis, cilicio, vigiliis affligans, formæ nitorem obſcuravit. Annis pluribus cum ad captandam quie-

quietem lecto nunquam uſus fuiſſet, in extrema etiam ægrotatione eo abſtinuit. Sæpe binas, aut ternas duntaxat horas ſomno conceſſit, noctis reliquum cœleſtium rerum commentationi, piæque lectioni dedit, collectis ſumma diligentia candelarum rejectaneis, ad lumen nocturnum alendum. Affectiones animi, longo exercitio fractas, ſua in poteſtate conſtanter habuit, ut ex vero nominari potuerit: *Ignatius Artiaga lædere, & lædi neſcius;* adeo veriſſimum eſt illud: *domito corpore, nunquam impatientem jugi animum eſſe.* Fato ſublatus in Collegio Cordubenſi die VIII. Julii, anni MDCCXXXV. pulcherrimarum virtutum documenta Sociis Paraquaricæ provinciæ reliquit.

P. MARTINUS LOPEZ
ARRAGONIUS HACENSIS.

ALtero anno diem ſuum obiit Pater Martinus Lopez, eo potiſſimum nomine inter Illuſtres Paraquariæ Viros commemorandus, quod potiorem ætatis partem in tradendis B. Ignatii ſacris commentationibus exegerit. Ob raram agendi cum Viris primariis facilitatem, excitus a provinciæ Præſide, ad jacienda fundamenta domicilii Societatis, quod cives Xuxujenſes ſumma voluntatum conſenſione meditabantur, cum obortis difficultatibus negotium ſine fine traheretur, ac tandem ſpes ædificii evaneſceret, in urbem S. Jacobi (vulgo *S. Tago del Eſtero* nominatam) Superiorum juſſu diſcedit, ut loci illius cives Ignatianis commentationibus pro veteri more, inſtitutoque Societatis excoleret. Amotis diuturna patientia, quæ hoſtis humani generis intulerat, impedimentis, utiliſſimum revocandæ, firmandæque pietatis Chriſtianæ opus aggreſſus, incredibile dictu, quam varios, quam uberes fructus in ea promiſcua hominum multitudine fecerit.

Iſtud gravi multorum pœnitentia, & ſubita morum, ac vitæ mutatione ſatis, ſuperque declaratum eſt. Unum torquebat Patris Lopezii animum, quod Prætor provinciæ, hoc adminiculum privatæ, publicæque pietatis, primis diebus nullo fere loco habuerit, infra dignitatem reputans, ſua præſentia accurrentis populi agmen augere. Officiis & charitate Lopezii ſuaviter expugnatus, oracula veritatis Evangelicæ, ſedata mente audit, expenditque; tum ſaluberrima meditatione vegetatus,

tus, illuſtria prorſus Chriſtiani hominis edidit exempla. Illud præ reliquis memorandum, quod tantum auri, argentique liberali prorſus animo contulerit, quantum impendendum erat in ædificium, quo cives S. Jacobi, turbis domeſticis expediti, ſemet poſſent recipere ad easdem exercitationes rite obeundas.

Nec hic ſtetit pietas Prætoris. Venerat in urbem S. Jacobi Petrus Echaſſaraga homo opulentus, & pius, qui cum Prætore vetus & arcta neceſſitudo intercedebat. Amicum, Lopezii curæ non vulgariter commendat, monetque: uti expoſita ſpiritualium, quæ vocamus, exercitiorum ratione, hominem in pium aliquot dierum ſeceſſum avocet, ac cœleſtium rerum meditationibus perpoliat. Nulla machina opus erat. Echaſſaraga ſuapte natura in omne genus pietatis pronus, invitantem Lopezium ſine mora ſecutus, in ea ſolitudine tanto Chriſtianæ perfectionis ſtudio exarſerat, ut pertæſus rerum mortalium, ſoli DEO, ſibique in poſterum vacare ſtatuerit. De inſtituto vitæ eligendo deliberanti, vetus conſuetudo in Societate, tradendi exteris ſacras commentationes, ita omnem dubitationem exemit, ut plane intelligeret, habueritque deinde perſuaſum, ſe ad eandem Societatem æterna Numinis deſtinatione vocatum. Ætate grandior inter adoleſcentes tyrunculos, prioris vitæ rationem vix viſus fuerat mutaſſe, adeo in primo tyrocinii aditu mores compoſitos præferebat, atque ad nutum aliorum ſe, ſuasque actiones flectebat. Mutavit tamen; & rei domeſticæ adminiſter in obſequiis viliſſimis (ſi quid vile dicendum, quo cœleſtem theſaurum mercamur) conſentaneam Divinæ vocationi vitam, & eximiis virtutibus ornatam, in provincia Paraquarica vixit. Opes, quas hæreditate adierat, Societati donavit pulcherrimum in finem, videlicet: ut domicilium erigeretur ad eorum commoditatem, qui vellent, publicis, privatisque curis exoluti, graviſſimum æternæ ſalutis negotium in tempore componere; vel certe illarum ſubſidio juvarentur ea Societatis domicilia, quæ hujusmodi hoſpites, frequentiori numero ſua ſub tecta reciperent, alerentque. Conſilio Patris Lopezii comparatum eſt prædium, quod ipſe annis pluribus cum inſigni acceſſione rei œconomicæ adminiſtravit, effecitque, ut quot annis e divendito fructu prædii, piiſſimæ menti Echaſſaragæ, noſtra quoque tempeſtate fiat ſatis.

Sed non ita patiebatur ſe abripi re agraria Lopezius, præcipui ſui muneris ut oblivisceretur. Convolabant in prædium primarii Viri ad Lopezium, tanquam peritiſſimum animorum tractandorum Magiſtrum, ſine pompa, ſine comitatu famulorum; & remoti ab omni rerum caducarum tumultu, eo promptiore animo de longa illa æternitate agebant, quo liberiores a conſpectu domeſticorum, a commercio civium. Diceres in Religioſum domicilium migraſſe prædium; tot, tantaque virtutum documenta intra anni decurſum ab iis dabantur, quos Lopezius bonorum cœleſtium cupiditate accendit. Feſtis diebus, atque dominicis ad publi-

publicam præterea concionem dixit. E vicinia in idem prædium confluere ſolebant mancipiorum greges, rudes Æthiopes. Hos ille omni benevolentia complexus, fidei præceptionibus, ſaluberrimis monitis inſtituebat; ad vitanda crimina, vel aperienda Sacerdotibus animorum vulnera excitabat. Illud mirum videri poterat, quod dictione in plures horas producta, Lopezium neque vox, neque vires defecerint, nec denique malum recruduerit, quo, nondum emenſus Theologiæ curriculum, ut paulo poſt referam, laborabat.

Neque ipſe parcius piiſſimas illas exercitationes mentis, aut ſegnius uſurpabat, quam tradebat aliis. Veritates e ſacris literis depromptas, ſecreto in conclavi tacitus ponderavit ante, quam auditoribus proponeret, ſeque ipſum prius igne Divini amoris inflammavit, quam ad ſpargendas, nutriendasque in aliorum animis caſtiores flammas egrederetur. Hoc adminiculo pervicaces, ſuique juris tenaciſſimos emollivit, ſuamque in ſententiam flexit, etſi impollita, nulloque eruditionis fuco ornata dictione uteretur. Plus ſcilicet momenti habent verba interiore igne, & dicentis virtute animata, quam eruditionis & eloquentiæ phalerata pompa. Quot diebus familiarem D. Parenti noſtro precationem: *Suſcipe Domine univerſam meam libertatem &c.* iteravit, omniaque ſua Divinæ voluntati permiſit. Amabat infra omnes abjici, fugitans ſplendidiores præfecturas, quas Roma offerebat; res a ſe præclare geſtas extenuare, vim dicendi, aliaque, unde nomini celebritas paratur, tegere; ſecundos rerum ſucceſſus ad DEUM, ad Socios laborum referre ſtuduit. Viribus florentem morbus jactare cœpit, quo, in prædio, aut ſi mavis, virtutum theatro, piiſſime obiit X. Novemb. anno MDCCXXXVI. eadem plane die, qua ante quinquaginta annos vivere cœpit.

Primos pueritiæ annos P. Martinus Lopez apud Hacenſes Arragoniæ populum tranſegit. Studiorum cauſa Cæſar-Auguſtam profectus, in nobili illo bonarum literarum emporio, doctrina & pietate multum profecit. Philoſophia percultus, animum Societatem adeundi P. Michaeli Hieronymo Monreal aperuit, eoque ſequeſtro & deprecatore, ſperavit ſe compotem votorum fore. Verum Præpoſitus Provincialis in aliud tempus diſtulit Martinum, quod difficillimis illis temporibus, quæ Hiſpanias exercuere, neminem Candidatorum in tyrocinium admittendum ſapienter exiſtimarit. Morarum pertæſus, & inſuper illuſtri facto Divi Stanislai, cujus vitam per eos dies evolverat, ſuccenſus, Romanam in urbem proficiſci ſtatuit, apud Adm. R. P. Præpoſitum Generalem rem ſuam felicius acturus. Peragrata Gallia Genuam devectus, inde Romam, ardente Italia bello, exeunte anno MDCCV. pervenit. Michael Angelus Tamburinus Præpoſitus Generalis, delectatus generoſa adoleſcentis indole, fecit poteſtatem petendi tyrocinium ſeu in provincia Romana, ſeu Arragonica. Iſtam prætulit; ſed nondum extinctis armorum incendiis, primum triennio poſt Tyronibus eſt additus. Altero tyrocinii anno cum

P. Franciſco Burgeſio in Americam trajecturus, in captivitatem Hollandorum venit. In Ulyſſiponenſem portum cum Sociis ejectus, ut alias narravi, in Bætica provincia Carmonæ politiores literas, & in Granatenſi Collegio Philoſophiam repetiit. Haud refrixit interim æſtus petendi Americam. Eo appulſus, Cordubæ Tucumanorum dum arcana Theologiæ ſolerti induſtria tractat, ſeque ad animorum culturam præparat, ſiniſtro caſu adeo valetudinem afflixit, ut cœptum ſtudiorum curſum interrumpere coactus fuerit. Namque in triclinio exercitii cauſa, more Miſſionariorum verba faciens, venam pectoris rupit, ſecuto tanto ſanguinis vomitu, ut e ſuggeſto ad tumulum fere elatus ſit. Annis duobus pulverem ſcholaſticum valetudinis cauſa vitare juſſus, veluti unus e curatoribus rei domeſticæ, viliſſima miniſteria, quantum per vires licuit, occupabat. Aureas commentationes, quas Pater Dieſtenius de ſacris Exercitiis D. Parentis noſtri Ignatii edidit, ſibi perquam familiares fecit. Ex eo fonte normam potiſſimum hauſit, qua poſtea cœleſtis doctrinæ pabulum, omni hominum generi ingenti cum fructu, ut vidimus, appoſuit.

P. PAULUS RESTIVO

SICULUS MAZARINENSIS.

PAulus Reſtivo natus Mazaræ, nobili urbe Siciliæ anno quinquageſimo octavo ultra milleſimum ſexcenteſimum, die trigeſimo menſis Auguſti, cum eſſet undeviginti annorum adoleſcens, Societatem expetiit. Conceſſa eſt. Poſt datam Philoſophiæ, & Theologiæ operam, in inſula Melita humaniores literas profeſſus, in orbem alterum tranſmiſit ad annum nonageſimum præterlapſi ſeculi, ubi Gvaranicam provinciam annis omnino viginti concurſavit, lucem veritatis Evangelicæ ubique diffundens; neque indigenas ſolum ejus regionis, verum etiam Hiſpanos advenas doctrina ſalutis inſtituens. Longo uſu Apoſtolici muneris exercitatus, ad luſtrandas Miſſiones Chiquitorum, quæ varia fortuna jactabantur ea tempeſtate, Superiorum voluntate Viſitator diſceſſit. Eo magiſtratu defunctus, Saltenſe Collegium moderari cœpit; verum cum per eos dies non modica ſpes foret, poſſe Chiriguanos in gratiam cum DEO & Hiſpanis revocari, jubebatur curſum ſecundi regiminis abrumpere, atque hunc populum toties rebellem, toties ludentem Miſſionariorum operam, ad obedientiam DEO, & Hiſpano Regi præſtandam, Apoſtolicæ induſtriæ artibus allectare.

Sed

Sed licet magno animo rem ſibi tantopere commendatam gereret, ſpem eventus fefellit. A Caſiquiis & populo, fucata & ſterili benevolentia ſuſceptus, auditusque, non dubitavit oppido (quod Virgini ſine labe conceptæ dicatum voluit) aream circumſcribere, atque ante omnia temporarium ſacellum e frondibus, & ramalibus excitare. Crevit numerus in dies incolarum, quos partim munuſcula, partim cerimoniæ ſacræ invitabant. Pater Reſtivo tanto alacrior cœpta urgebat, quanto plures familiæ acceſſere. Inprimis machinas omnes exprompſit, ut Caſiquios pertinaces Evangelio frangeret, a deliriis Ariolorum revocaret, ſanam inderet mentem, qua DEUM agnoſcerent verum conditorem, eum cultu debito venerarentur, ac judicem reformidarent. Fruſtra fuit. Mancipatis dæmonum cultui, patria inſtituta præplacuerunt. Perſeveravit tamen operam illis navare peræque laborioſam, ac ſterilem; niſi quod infantes proxime morituros, & aliquot grandes natu, ſalutari fonte aſperſerit.

Ex infelici agro revocatus, Gvaranios ſuos adiit; ſubinde Collegium Aſſumptionis regendum ſuſcepit, difficillimis ſane temporibus. Nam vix ad clavum ſederat, gravis admodum tempeſtas in Societatem Paraquaricam concitata erat. Urbs Aſſumptionis communi torrente abrepta, usque adeo Socios averſata fuit, ut eam anno MDCCXXIV. deſerendam judicarint. Præcipuarum actor partium in his turbis, multorum criminum reus, poſtea Limæ in Peruvia ſententiam mortis præmium tulit. Amiſſo gubernio, ſibi, munerique Apoſtolico redditus Paulus, ad ſuos Neophytos ſemet recepit, alii alio commigrarunt, ſedes benigniores quæſituri. Inter multiplices occupationes, quibus quotidie diſtinebatur, otium etiam ſcribendi, quod mireris, nactus eſt Vir Apoſtolicus, & uno in libello non ſuos oppidanos tantum, ſed omnem Gvaraniam docendi. Capita doctrinæ Chriſtianæ, idiomate Gvaranico typis eddidit in oppido Sanctæ MARIÆ Majoris, & copioſius in uſum adultiorum explanavit; ad calcem opuſculi addidit ſummam ejusdem doctrinæ, accommodatam puerili ætati. Hoc ſubſidio novelli Miſſionarii inſtructi, dici nequit, quantam ubertatem ſacrarum frugum, & copiam percipiant. Nam etſi Gvaranii, quemadmodum & cæteri Americani populi juris Hiſpani, præprimis pueri in ludis literariis, per Miſſionarios doceantur linguam Hiſpanam, patrii tamen idiomatis tenaciſſimi, & lubentius & facilius dogmata Chriſtianæ fidei addiſcunt, ſi proponantur eo, quo ipſi utuntur, idiomate. Vidit non ſine voluptate animi ipſe Paulus, puerulos eam doctrinam ſalutarem inter ſe ſe volutantes, quo altius inſideret animis; eandemque obtrudentes tardioribus, illis etiam horis, quibus vacatio a ſtudio, a literis conceſſa erat.

Eadem lingua in oppido Lauretano, jam olim publici juris fecit *Rituale*, ſive Inſtructionem ſacras cerimonias rite obeundi, in uſum Curatorum animarum Soc. Jeſu, e Romano & Toletano *Rituali* confectam.

Adnexuit huic operi præcipuos Chriſtianæ Religionis articulos cum perbrevi, at nitida, diſtinctaque explanatione; tum pias precationes, nervoſos aliquot ſermones ad excitandum dolorem de commiſſis peccatis, actus denique fidei, ſpei, charitatis addidit; quo facto plurimum allevamenti attulit Curatoribus, nondum expedite loquentibus Gvaranica lingua. Hiſce præluſerat majoris molis, & prope infiniti laboris operi, videlicet *Dictionario*, ſive Lexico, Gvaranicæ linguæ, quod tandem obfirmato ad quævis tædia animo, quæ de verborum ſignificatione in barbaro idiomate haud parce ſe ſe offerunt, ſecundo exitu perfecit. Sermones præterea *Panegyrico-Morales* Gvaranica lingua vulgavit. Demum, quod fidem prope ſuperat, idioma Chiquitorum, etſi illud non calleret, ad leges Grammaticæ revocavit, præferentibus facem Miſſionariis, qui multa de verborum, nominumque flexionibus, deque dialecto in ſua adverſaria retulerunt.

Hunc in modum dum P. Paulus literis conſignat prima barbararum linguarum rudimenta, & poſterorum laborem ſuo labore dies, noctesque continuato ſublevat, oculis ſenſim ambobus defluentibus, facultatem videndi imminutam, mox etiam penitus amiſſam ſenſit. Tulit cœcitatis moleſtias annis pluribus pacata prorſus, ac hilari mente, perſeveravitque uſque ad extremos vitæ dies in pulvere & campo Miſſionariorum. Illud primis diebus grave admodum accidit Viro Religioſiſſimo, quod ſacris operari non licuerit; verum ubi illud attentius animo volvit: DEUM ſervos ſuos pro cœleſtibus deliciis, rebus adverſis præparare, calleque arduo, atque aſpero, veſtigiis dilecti ſui Filii trito, ducere in regnum ſuum, animum compoſuit, atque patiendi materiam a DEO large, ac liberaliter oblatam, veluti inſignem favorem, ſuaviſſima oris & mentis jucunditate complexus eſt; nullam interim ab inſtitutione barbarorum, nullam a ſolertis operarii occupationibus, vacationem admittens. Sic ille præter morem aliorum Religioſorum, extremum etiam ætatis ſenio, cœcitate, & morbis gravatæ tempus, patiendo & agendo illuſtravit. Annis vegetior auſteritate vitæ, ſponteque ſuſceptis afflictationibus corporis, Socios ad tolerandam victus inopiam excitabat. Miſſiones Chiquitorum poteſtate Viſitatoris luſtrans, etſi fame, ſiti, aliiſque moleſtiis in tot itineribus premeretur, nunquam auditus fuit verbo conqueri. Vir priſcæ ſimplicitatis & aperti candoris, non faciles aures præbuit iis, qui alienos mores tetris coloribus pingerent. Diu, multumque inquirere ſolebat, ut, quid verum, quid falſum ſit? aſſequatur: memor illius: *Qui credit cito, levis corde eſt, & minorabitur.* Geſtis muneribus clarus, Superiorum nutum, non ſecus ac minimus tyro, pro imperio habuit. Matrem puritatis Angelicæ ad extremum ſpiritum coluit conſtanter. Hujus honori oppidum dicavit apud Chiquitos. Octogenario major, Sacramentis morientium rite munitus, in oppido Candelariæ

ad

ad Paranam fluvium, anno MDCCXL. animam cœlo reddidit, de Miſſionariis, & Miſſionibus Paraquaricis, ſi quis alter, optime meritus.

P. NICOLAUS IGNATIUS DE LA ROCA SARDUS SASSARITANUS.

Caput Primum.

Ejus natales, ingreſſus in Societatem, navigatio ad Americanos; primi labores.

Est urbs in ora ſeptentrionali Sardiniæ Saſſaris, ſive Saſſaria, inter inſulæ præcipuas. Hic Pater Nicolaus Ignatius Roca, ortum habuit anno MDCLXI. die IX. Martii, pariter e præcipua inter Saſſaritanas familia. A parentibus mores optimos & pietatem hauſit, quo incitatus eloquentiæ ſtudioſus, ambiit Societatem, in eamque receptus eſt die I. Februarii, anno ſeptuageſimo ſeptimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum; Fratris ſui Franciſci veſtigiis inſiſtens. Jam inde a principio initi tyrocinii, acres ad Americanam Miſſionem ſtimulos ſibi ſubjici ſentiebat, in eaque defixus cupiditate, ſtudia bonarum artium, ad hanc veluti metam dirigebat. Superiorum voluntate, poſt tertiam probationem, in Saſſaritana Univerſitate Philoſophorum placita explanare juſſus, indefeſſo omnino ſtudio collegit, quidquid ad errores ethnicorum detegendos idoneum exiſtimaret. Haud minori interim cura tenebatur, virtutes muneri Apoſtolico pares ſibi comparare; cum non ignoraret: ad labores Apoſtolicos parum eſſe momenti in doctrina, ſi virtutes abſint.

His inſtructus præſidiis, multo acrius ſua deſideria Romæ urgebat. Roma benignior in Franciſcum Nicolai Fratrem, huic poteſtatem dedit in Americam navigandi, dilato in tempus aliud Nicolao. Verum Franciſcus vario, tenacique morbo per eos dies, quibus in Americam transmittendum erat, graviter jactatus, jus ſuum, probante Roma, in Nicolaum Fratrem tranſtulit. Lætus miſſione, primam, &, ni fallor, difficilem victoriam obtinuit de amore, nobis a natura inſito erga conſanguineos.

Matrem adit, eamque ſupremum valere jubet, nullo verbulo de profectione Americana facto; ne videlicet precibus & lacrymis apud Superiores pugnaret, ad retinendum Chariſſimum filium. Maternis vinculis expeditus Calarim advolat. Hic, quod metuebat Saſſari, reperit. Frater natu minimus feſtinanti in orbem ultimum non moras modo injicere, ſed & omnem abitum intercludere moliebatur, credo matris imperio motus, quæ ſerius conſilium Nicolai odorata fuerat. Apud Sacrum Collegium Canonicorum, urbis Senatum, cæteramque nobilitatem, ſuam, matriſque cauſam ſtrenuus agit, ne Patri Nicolao e Sardinia diſcedendi facerent poteſtatem.

Verum ille meditata oratione apud ſapientes, & æqui, bonique amantes facile triumphavit, poſtquam luculenter oſtendit, ſe id conſilii nec temere, nec leviter, ſed DEO duce & auſpice cepiſſe, cui repugnare nefas ſit. Non diu moratus in patrio ſolo moras identidem nectente, Hiſpalim ſe contulit, ubi accepta poteſtate ab Archi-Præſule ſacras Miſſiones obeundi, cum Patre Hieronymo Herran ſocio ſuo, plurima oppida per eam diœceſim, illo quo pollebat dicendi nervo, ad amorem virtutum Chriſtianarum excitavit, quoad propitiis ventis in altum vocaretur.

Gadibus conſcenſa oneraria, Tyrones noſtri Ordinis, qui eadem vehebantur navi, e diſciplina Societatis inſtituendos ſuſcepit, magna utique felicitate, & omnium approbatione. Hiſce ſanctioribus curis dum tædia navigationis levat, ad Americam, ſuorum votorum metam, ſecundiſſimo curſu pervenit. Paucorum dierum hoſpes in urbe Boni aeris, ardebat procurrere ad Hiſpanos milites; quos per Paraquariam præſidiis impoſitos intellexerat ſenſim ſilveſcere, & inter barbaros licentius agere, atque Catholici Regis milites addeceret. Sed Cordubam accitus, parem ſuo ardori campum eſt nactus in adſitis pagis, & prædiis, quorum incolis, pluribus poſtea annis Miſſionarius ſuam operam impendit. Duobus præterea annis, tempore verni jejunii, Cordubæ in templo noſtro ad concionem dixit ſecunda admurmuratione totius civitatis. Tarijam translatus, eodem fervore, eodem ſucceſſu oppidanos excoluit. Verum unius urbis limitibus, ardor ille alienæ ſalutis, quo æſtuabat Vir Apoſtolicus, contineri non potuit; porrectis in pagos, in oppida curis, Neophytis perinde ac Hiſpanis prodeſſe ſtuduit. Quinquies alpium Lipenſium antra, perpetuo fere gelu rigentia, luſtravit; totidem vicibus evaſit ad vallem Chicharum cum periculo capitis, famem, ſitim, frigora, aliaque itinerum incommoda perpeſſus. Labores iſtos uberrima meſſis excepit. Quippe cum Europæis, qui turpi lucro inhiantes, aut cupiditate liberioris vitæ capti, hæc loca petierunt, de avaritiæ, de impudicitiæ turpitudine ſermones inſtituit ea ſoliditate doctrinæ, tam veris, gravibusque ſententiis, ut plurimos ad meliorem frugem revocarit. Illud optimæ mentis Tarijenſes cives, laudibus extulere, quod P. Nicolaus teterrimam illam Europæorum mercatorum peſtem, avaritiam nempe, & fœnebre

malum

malum ſuis nervoſis dictionibus exagitarit, vitiumque turpiſſimum, ipſis adeo barbaris execrandum profligarit.

CAPUT SECUNDUM.

Commemorantur munia, quæ geſſerit; fructus e commentationibus D. Ignatii; mors illius, & virtutes.

AD veterem ſtationem Cordubam redux, ſacri oratoris, & operarii indefeſſi munere fungi cœperat, cum Superiorum voluntate, quod dudum ambiverat, ad Chiquitorum populum proficiſci jubetur. In itinere apud urbem Tucumanam, quæ toti regioni nomen dedit, a Rectore Collegii Tucumani tantiſper detentus, more ſuo in vicinas plagas Evangelii cauſa excurrit; qua occaſione ultra progreſſus, eodem laborum curſu acceſſit urbem S. Ferdinandi in valle Catamarca poſitam. Cognita civium indole, ingenioque, vehementer doluit: Societatem noſtram ea in urbe nullum domicilium fixiſſe; adeo dociles, adeo cupidos rerum cœleſtium reperit cives. Interea adfertur epiſtola Viſitatoris provinciæ, qua Rector Collegii Saltenſis nominabatur, appoſita monitione, ut citra moram ſemet conferret Saltam, neve obtenderet voti religionem ad declinandos in Societate honores, qua jam ſolutus eſſet.

Inopinato hoc nuncio nonnihil turbatus, interrupto feliciſſimo curſu Evangelicæ legis, onus regendi noſtros ſibi impoſitum candide, ac ſimpliciter ſuſcepit. Præcipuæ in eo dotes, quæcunque ad recte gubernandum deſiderari poſſunt, ſpem optimam fecere; triennium ad votum domeſticorum, & exterorum ſine turbis, ſine querelis decurſurum. Spem iſtam multum imminuit ejusdem Collegii Religioſus incola, qui neſcio, quibus umbris agitatus, grave odium conflavit Superiori ſuo apud Prætorem provinciæ, dum quæpiam illius acta (quorum tamen ipſe præcipuus author, & ſuaſor erat) in ſiniſtram partem, veluti Prætoriæ dignitati injurioſa interpretatus, verbis & ſcriptis literis acerbe traducit. Prætor authoritatis non minus retinens, quam vindictæ cupidus, omnem occaſionem avide arripuit injuriam, ut falſo putaverat, ſibi illatam ulciſcendi. Inde turbæ, offenſiones, & lites enatæ, miniſteria noſtrorum operariorum retardarunt, ſimulque pacem domeſticam ruperunt. Sed detecto turbarum authore, qui tam funeſtos alebat ignes, patuit, Patrem Nicolaum ab omni culpa purum & vacuum, nihil attentaſſe adverſus Prætoris dignitatem, quem officii cauſa ſubinde conveniens, ſuavitate ſermonis ſic placavit, ut nullum præteritæ offenſionis veſtigium ſupereſſet.

Poſito magiſtratu, Cordubæ totius provinciæ res, Procuratoris poteſtate aliquamdiu, ſenili prudentia adminiſtravit. Tum in Collegium Boni aeris accitus, ſacras exercitationes S. Parentis Ignatii, utriusque

ſexus

ſexus civibus, per plures annos incredibili fructu animarum tradidit. Domum ſat amplam hunc in finem coemerat, ac piorum liberalitate eo apparatu inſtruxerat, ut percommode quatuor & viginti, rebus domeſticis exſoluti, de longa æternitate ſecum agere poſſent, ac ſinguli ſuum ſecretum conclave haberent. Poſtquam primi certo dierum ſpatio, negotium animæ ſuæ compoſuere, alii, atque alii continuo ſucceſſere, ſtimulante, ac animos addente exercitationum moderatore, qui nullo fractus tædio, negligentiores ſuæ ſalutis, ad excolendam pietatem, emendandosque mores ultro invitavit. Difficile dictu eſt, quam gravis multorum pœnitentia, quam conſtans morum, vitæque mutatio conſecuta ſit. E pluribus unum adferre lubet. Hiſpanus erat prædives, mammonæ laqueis dudum irretitus. Hic tempeſtivo aliquot dierum ſeceſſu, ſaluberrima meditatione excultus, opera Patris Nicolai, tanto æſtu ſalutis æternæ obtinendæ exarſit, ut rejectis omnibus, quæ morte finiuntur, ſibi, ſolique DEO deinceps vacare omnino ſanxerit. Mox male parta juſtis dominis reddere, aut, ubi iſti non apparerent, in pios uſus, in egenos ſpargere, facta nomina ad aſſem expungere, parcius cibum, ſomnumque capere, denique rebus compoſitis Gades renavigare. In hac ampliſſima urbe diſtributis in egentium turbam ſuis opibus, recepit ſe in cœnobium D. Franciſci Seraphici, pauperem vitam ducturus. Fama tam illuſtris exempli, in urbe Boni aeris didita, celebritatem nominis Patris Nicolai auxit, ejusque conatus apud cives multum provexit, qui tantam mutationem morum, aliosque felices eventus, illius ſanctimoniæ, ſecundum DEUM, tribuebant.

Pluribus annis in Collegio Boni aeris, maximo fructu, ſumma diligentia dum Ignatianis exercitationibus cives ad ſtudium pietatis, atque ſcelerum fugam incendit, id flagrantiſſimis votis identidem petiit, ut ſi e majore DEI gloria futurum eſſet, vitam omnem morbis, & cruciatibus corporis horridam, aſperamque inpoſterum haberet, quo propius accederet ad Chriſtum, quem velut unicum exemplum imitandum decrevit. Annuente clementiſſimo DEO, votorum compos eſt factus, quando utrumque oculorum lumen ad annum MDCCXXV. amiſit. Iſthoc lydio lapide P. Nicolai virtutes, maxime patiendi & acquieſcendi in Divina voluntate alacritas, ſpatio annorum XV. probata fuit, nempe usque ad ætatis nonum & ſeptuageſimum, quo vivere deſiit. Oculorum jacturam, quæve ex hoc fonte uberrimo promanant, moleſtias, non modo invicta patiendi conſtantia, verum etiam animi & oris inſolita hilaritate pertulit, aſſiduo intentus piis exercitationibus, aliisque conſuetis muniis. Hoc tali Martyrii genere videtur DEUS explere voluiſſe deſiderium, quo æſtuabat vitam ponendi inter Neophytos. Jam antea uſu unius auris, ſubinde alterius etiam ſpoliatus erat, id quod Viro pro ſacro tribunali dies noctesque aſſidere aſſueto permoleſtum erat; at, manu medica malum feliciter

citer depulſum fuit, ingenti gratulatione civium, qui numeroſi eo vitæ, morumque Magiſtro utebantur.

Captus luminibus, capi omnino non potuit illecebris caducarum rerum; a prima pueritia alioquin cœleſtium perpetuus ſectator aſpernabatur, quidquid DEUS, aut DEI non eſſet. Illud præciſe in votis jam ferebat, repentina ut morte ſublatus, iis perfrui liceret. Eum in finem e conſilio Divi Bernardi, certum diem præfigebat ſibi, veluti ultimam vitæ lineam. Sancti Stanislai Koſtkæ opem etiam, atque etiam imploraverat, ut ejus patrocinio, citra longiores mortis anguſtias, repente moreretur. Ita comparatum quotidie ad migrandum e tenebricoſo carcere ſui corporis, anno MDCCXL. die aſſumptæ in cœlum Virgini ſacro (quo olim Stanislaus obierat) apoplexia repentina oppreſſum a meridie reperit Æthiops ſervulus, cum mane poſt ſumptam Euchariſtiam, diſertis verbis vale ultimum ſuo amico dixiſſet.

Porro repertus eſt P. Nicolaus Ignatius de la Roca nixus genibus, ſpeciem orantis præferens. * Haud dubie familiarem ſibi precationem repetierit: *Domine! nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis. Hoc ipſo momento temporis, evoca animam meam e mortali corpore, ne in laqueos incidat leonis rugientis. Scio meo obitu nihil deceſſurum gloriæ tuæ. Vile ſum mancipium, inutile terræ pondus.* Hujusmodi Divino amore accenſa jacula, ſæpius iterare interdiu conſueverat, ad ſolicitandum ſupremum diem, poſtquam aſpectu amiſſo, putabat ſe oneri eſſe Sociorum, cum tamen obſequio Æthiopis contentus, obiret ſedulo miniſteria operarii, perinde ac ſi ſenſibus integer foret. Sodalitatem Virginis Sanctiſſimæ, & ſcholam, ut appellabatur, Chriſti, in Collegio Boni aeris ad priſtinum vigorem revocavit, Sodalium numerum auxit, ipſo Prætore provinciæ, ſcholam Chriſti adeunte. Extollendæ altius Divinæ gloriæ ardentiſſimus, in medio curſu felicium rerum, ad nutum Superiorum ceſſavit, aut vela ſua, uti jubebatur, alio vertit cum dicto: *Laudetur DEUS in cunctis.* Cruces a DEO impoſitas jucunda fronte toleravit; has ampliores reddidit ſervulus Æthiops, qui impatiens carceris domeſtici, protervitate ſua quotidianas moleſtias creavit. Sed P. Nicolaus mutuo ſimillimus, non queri, non indignari, non accuſare petulantiam ſervuli. Se, Sociosque ad fortiter agendum, & patiendum excitare ſolebat illa Venerab. P. Balthaſaris Alvarezii ſententia: *Non degeneremus a præcelſis cogitationibus filiorum DEI.*

P. ANTONIUS RIBERA
HISPANUS SALMANTICENSIS.

IN quem annum & diem incidat ſive ortus, ſive obitus Patris Antonii Ribera, mihi prorſus ignotum, cum Americana literaria inſtrumenta, e quibus illius res geſtas eruo, de his nusquam meminerint. Illud in comperto eſt: eum in Hiſpania Salmanticæ in lucem editum, a manſuetioribus Muſis, vixdum a limine ſalutatis, tranſiiſſe ad Martem, inde ad ſacram militiam Societatis, ac denique ſtrenuum curatorem animarum egiſſe in Paraquaria. Miſſis igitur incertis, ea, quæ comperta ſunt, lubet ſummatim adferre. Miles Regis Catholici, ſtipendia facturus in Paraquaria, apud urbem Boni aeris in ſtativis, vacuus a bellicis curis, dum hortatu piæ matronæ fluxarum rerum inanitatem contemplatur, mortalia ſapienter deſpexit, ut immortalia cœleſtis militiæ præmia ſequeretur. Nec mora: ad Collegium Societatis advolat; de propoſito ſuo iis, quorum intererat, ſignificat. Explorata Antonii indole, animi, corporisque dotibus, annuente Præpoſito Provinciale, in Tyronum numerum Cordubæ Tucumanorum recipitur. Poſt biennium ab ovo repetere juſſus humaniores literas, nimia contentione ſtudiorum, valetudinem afflixit adeo, ut per omnem vitam capitis doloribus vexatus fuerit. Ad Collegium S. Jacobi valetudinis cauſa translatus, ut erat Poeſeos non rudis, ſat culto latio carmine, laudes Virginis Matris celebravit, ac precationes, quas D. Bonaventura huic Virgini recitare conſueverat, in verſus redegit.

Cum nihil remitteret pertinax dolor, viſum eſt Superioribus, ut privatos inter parietes Theologiæ, quæ de moribus agit, principia condiſceret, ſeque aptum redderet ad rite obeundum curandarum animarum munus. Sacerdotio inauguratus, apud Gvaranios Neophytos potiorem vitæ partem tranſegit; quindecim poſtea annis in Collegio Aſſumptionis, pau-

paucioribus in Collegio Septemfluentino operarii partes ſuſtinuit, tum Neophytis in oppido S. Jacobi præfuit. Quocunque in loco verſaretur Ribera, otium fugitans, Neophytorum commoda provehere ſatagebat. Præcipuum ejus ſtudium, ac cura enituit in tradenda parvulis doctrina. Nullum intermittebat diem, quin ipſos unum in locum cogeret, ac erudiret. Ferociores munuſculis allicere ſolitus, dum in publicum procederet, puerorum corona cingebatur. Ad ejus tanquam parentis ſinum undique accurrebant; ejus admonitiones & ductum in omnibus ſequebantur: nimirum cerea puerorum ætas facile flectitur, modo ſit qui tædium laborioſæ ſcholæ non averſetur.

Placuit civibus Hiſpanis, ipſisque Neophytis ea peculiaris cura, & inſtitutio puerilis ætatis. Quippe reduces e ſchola Patris Antonii, omnem nutum ſuorum parentum obſervabant pueri, aut, ut levis eſt puerilis ætas, ſi paululum aura libertatis abrepti eſſent, ad nomen Patris Antonii in gyrum reducebantur. Quo fiebat, ut apud Hiſpanos ſumma gratia floreret tantus Magiſter, vulgoque Sanctus audiret; & apud Neophytos tantum amorem, ac venerationem conſequeretur, quantam optimo Parenti, & Paſtori lex ipſa naturæ præſtandam admonet. Sane dum Præſes provinciæ eum ab oppido S. Jacobi amovere vellet, audiebantur Neophytorum voces: *ſe actutum latibula petituros, ſi Patrem Antonium, alium in locum migrare juberet.* In ſacro tribunali frequens excubabat, nullumque a ſe abire patiebatur, quem ſalutis æternæ ac vitæ ſanctioris cupiditate non accenderet.

Altera illi pauperum cura, inprimis Neophytorum. His ille paterna prorſus charitate providere ſtudebat, ne quem neceſſaria corpori, animæque præſidia deficerent. Septuagenarius nullis rationibus permoveri potuit in oppido S. Jacobi, curam Neophytorum ut Socio committeret; quin imo intempeſta nocte, ſi quis ad Neophytum acciretur, ad januam ſeniles greſſus acceleravit. Orationi, quæ mente peragitur, horas duas ſingulis fere diebus dedit. Hoc æſtu Divini amoris præparabat animum, fortiter perferendi adverſa, quibus univerſam vitam exercitam habuit. Dolor ille capitis vix unquam inducias fecerat, ut ipſe jam ſenex & tumulo proximus aſſeruit. E Collegio Aſſumptionis cum Sociis abire compulſus, triſte exilium in rerum penuria circumtulit. Torminibus aliquando tam vehementer excruciabatur, ut jam pro depoſito haberetur. Collecto, quem ægre trahebat, ſpiritu, verſoque vultu in effigiem Servatoris noſtri, magno pietatis ſenſu: *Domine*, inquiebat, *vel dolores mitiga, vel vires doloribus pares largire.* Mirum dictu! momento dolor omnis abſterſus eſt.

In ſui contemptu gaudio triumphare viſus, nullam prætermiſit occaſionem ſemet infra omnes abjiciendi. In Paraquaria dum ſpectaret præferoces, & jugi impatientes boves edomari, vocem neſcio unde allapſam audire ſibi viſus eſt: *Antoni! te quoque DEUS jugi JESU Chriſti patien-*

tem fecit; quod ille deprimendi ſui cauſa perſæpe commemoravit. Leviſſimos nævos imbre lacrymarum eluere ſolebat. Senio & morbis fractum Superiores ex oppido S. Jacobi ad ſtationem Divi Caroli tranſtulere, ubi laborioſæ vitæ finem reperit, humore apoplectico proſtratus. Parentarunt ei ſinceris lacrymis Neophyti, qui ſe in uno Antonio Ribera Paſtorem, & Parentem optimum amiſiſſe triſtes ingemuerunt.

F. PETRUS QUINTELA GALECIUS.

PEtrus Quintela antequam iniret Societatem, operam navaverat Collegio Compoſtellano in provincia Caſtellana. Multum exercitatus in domeſticis obſequiis, cum perſeveraret, inſtaretque petere Religioſam veſtem, eam ea lege obtinuit, ut P. Didacum Altamirano Procuratorem provinciæ Paraquaricæ in Americam ſequeretur. Hiſpali ad S. Ludovicum tyrocinium auſpicatus anno MDCLXXXIV. die III. Decembris, ætatis ſuæ anno quarto, & viceſimo, inſequenti menſe in Americam navigavit. Portum Boni aeris attigit prima die menſis Maji, indeque recta profectus Cordubam, cœptam Religioſæ virtutis ſcholam tam ſolerti ſtudio continuavit, ut omnes omnino dotes Adjutoris rei domeſticæ, per omnem vitam ſibi domeſticas reddiderit.

Ædis ſacræ Cordubenſis quadraginta & amplius annos cuſtodem egit. Munditiem templi, nitorem veſtium Sacerdotalium, aliarumque rerum, quæ ad Divinum ſacrificium auguſtiori ritu perficiendum adhiberi moris eſt, exquiſita diligentia curabat. Hac munditie exteri Sacerdotes invitati, non alibi lubentius, atque in Cordubenſium Sociorum templo ſacris operari conſueverunt. In adornandis aris indefeſſus, piorum civium liberalitatem provocavit ad ornamenta alia, atque alia curanda, quibus ille ſcite, atque ordine digeſtis, novam faciem aris, ipſique templo indidit. Iſtis ille occupationibus mire delectatus, complures dies, ſæviente etiam hyeme, ornandis aris impendit, dum ſolennes & feſti dies inſtabant.

Tantam accurationem, qua cultum externum ſacræ ſupellectilis amplificare geſtiit, piæ contemplationis & orationis aſſiduitate nutrivit. Ad conſpectum Numinis Euchariſtici, toto pectore exarſit. In ſacrario genibus innixus, faciente ad aram Sacerdote, matutinas plerumque horas

tranſ-

tranſegit, mente in hoc adorando Sacramento defixa. Ex hoc uberrimo gratiarum fonte cœleſtes delicias, & illam *quæ omnem ſenſum exſuperat*, pacem animi quotidie deguſtavit. Fatiſcente ætate, Æditui officio decedere coactus, in oratorio, quo propior foret huic cœleſtium donorum fonti, ſuas preces perſolvit. Summa perfundebatur voluptate in ſumendo altaris myſterio. Felicem ea hebdomade ſe prædicabat, qua crebrius frui licebat hoc Angelorum pane. Sacerdotibus non niſi aperto capite adſtabat, hos tanquam *Diſpenſatores myſteriorum DEI* ſumme venerabatur, eo etiam argumento permotus, quod ſperaret ſe *pane fortium* ab iis reficiendum ante, quam iter æternitatis ingrederetur.

Secundum DEUM, præcipuus Quintelæ amor Virgo DEI Mater. Hanc parentis numero & loco habuit; hanc ut Parentem ſuaviſſimam in adverſis compellabat familiariter. Profeſtos illius dies jejunus, & prope impaſtus, dum viribus valuit, exegit; novem vero diebus ſemet præparabat ad ſolenniorem ejusdem lucem celebrandam. Hujus aram, & icones primis floribus ornare ſolebat. Divum Joſephum, Virginis ſanctiſſimæ Sponſum, etiam, atque etiam multiplici pietatis ſtudio, ſibi demereri adlaboravit. Alios pariter ad ejus cultum, amoremque inter familiarem ſermonem accendit. Sacerdotes promiſſo certarum precum penſo rogabat, rem Divinam ut ad aram Sancti hujus peragerent.

Quam acre corpori, & cupiditatibus bellum indixerit, aſſiduo pallore vultus prodidit. Præter afflictationes corporis, quas ultro ſuſcepit, non uno morbi genere ſenilibus annis affectus erat. Herniæ malum pluribus annis toleravit, nihil remittens a quotidianis laboribus. Dum meritam quietem ætas jam affecta flagitaret, rem domeſticam Collegii Cordubenſis curavit. In prædio meſſis tempore, æſtum, & imbres ſereno vultu pertulit; in id, ſeu domi, ſeu foris verſaretur, maxime intentus, ne per ſuam deſidiam res familiaris detrimento afficeretur. Eorum, quos ægra valetudo cogebat ceſſare, fungebatur vicibus, donec laboribus & morbis fractus, vi dolorum in lectulo affigeretur. Hos ille inter intenſos Theologicarum virtutum actus Sanctiſſimæ Triadi offerrebat. Medico nuncianti, perpaucas vitæ horas ſupereſſe, ore hilari gratias reddidit. Sumpta magno pietatis ſenſu ſacra Euchariſtia prima Novembris, eadem die ad Societatem Sanctorum, ut ſpes eſt, evolavit anno MDCCXLI. natus annos octoginta & unum, quorum ſeptem ſupra quinquaginta in Societate Paraquarica vixit.

* * *

F. JOANNES ELLIOT
SCOTUS SELKIRCHENSIS.

VIx cœptum curriculum vitæ Religioſæ, confecit F. Joannes Elliot in prædio S. Catharinæ ad Cordubam Tucumanorum, peſtilenti febre ſublatus. Sæviebat anno MDCCXLII. in memorato prædio peſtilens lues, multosque mortalium, ut erat ſat frequens, vis graſſantis morbi depaſcebatur. Ut prima erupere mali ſemina, reperti facile ſunt Socii in vicino Collegio Cordubenſi, quibus ſatis eſſet animorum, vitam in diſcrimen adducere, & malum, haud dubie plura funera cumulaturum, contemnere. Quini ſubinde arenam periculi plenam ingreſſi, quanta alacritate ſe miſerorum ſaluti addixerunt, tanta etiam induſtria charitatis officia exhibuerunt infectis, nullum emori paſſi, quem extremis myſteriis non procuraſſent. Sed jam quaterni contagione afflati, quam aliis alacres præſtitere, a Collegio Cordubenſi opem flagitabant, idque inprimis orabant; mitteretur artis Chirurgicæ peritus, qui in morbi originem inquirat, (nam non una ſpecies mali graſſabatur) quive in tempore ægrotantium venam incidat.

Miſſus eſt Joannes Elliot, de quo loquimur, e tyrocinio Cordubenſi, profeſſione olim Chirurgus, hoc nomine plane dignus. Supremum allocutus ſuos in eadem palæſtra virtutum commilitones, majorem in modum omnes & ſingulos obteſtabatur, uti ſe Auguſtæ Angelorum Reginæ, in ejusdem Sacello domeſtico quot diebus commendarent. Inter æmulorum pie invidentium amplexus, & lacrymas diſcedens, funeſtam, ubi mors & inopia dominabatur, ſtationem petiit; ſi ſors tulerit, prompte jacturam vitæ facturus. Quamquam jactura vitæ non eſt ulla ei, cui *vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Æſtu charitatis inflammatus, nullo vel tempore, vel loco ſedulitatem ſuam deſiderari eſt paſſus. Dum intrepidus dies, noctesque domos infectas percurſat, ac ſuam artem ſedulus exercet, nimia pietate erga ægros jacentes (ea ſunt præmia & merces hujusmodi obſequii) mortem acceleravit. Cum enim cujusdam mendicabuli venam pertundit, tanto pedore ſtagnantis ſanguinis ſubito oppreſſus fuit, ut ægrotum fere ad tumulum præiret. Senſit illico intra viſcera malum receptum, nec mori timuit. Id duntaxat mæſtus, & anxius orabat, ut liceret ſibi vota Religioſa edere, antequam animam efflaret. De ejus periculo, ac deſiderio admonitus Præſes provinciæ, facilis, quod

pete-

petebatur, indulſit. Igitur in præſentia Procuratoris provinciæ, nuncupatis Religioſis votis ſe DEO, & Societati conſecravit, acceptisque morientium Sacramentis victima charitatis cecidit, die duodevigeſima Decemb. anni MDCCXLII. poſtquam ſeptem & decem menſes partim Cordubam, partim prædium S. Catharinæ peſte correptum, dignum Ignatii milite tyrocinium habuiſſet.

Sed juvat anteactæ vitæ veſtigia Joannis Elliot relegere, ut penitius cognoſcamus, quam non communi & trito calle ſapiens Numinis providentia quoſdam homines ad ſui obſequium, vitæque ſanctioris inſtitutum ducat, aut potius impellat. Hæreſim Calvini profeſſus, quam cum lacte materno ſuxerat, primam ætatem in Scotia egit, ubi hortatu parentum arti Chirurgicæ perdiſcendæ ſemet applicuit. Inceſſit poſtea adoleſcentem cupido ſive luſtrandi orbem ultimum, ſive quæſtuoſam ſuam artem peregrinis in terris exercendi. Nec procul occaſio aberat. Mercatoribus Anglis ad coemendos Æthiopum greges in Americam navigaturis, ſuam operam addicit, & cum iis urbem Boni aeris petit ad annum MDCCXL. Hic tantiſper commoratus, accidit ſingulari Numinis providentia, ut quandam mulierem ulceribus obſitam, ſed a fortuna, ab amicis deſertam, curandam ſumeret. Poſt longam, eamque felicem curationem, cum miſeræ nihil æris ſuppeteret, quo ſe gratam præſtaret, corollam Marianam mercedis loco obtulit. Accepit munuſculum cum ſtomacho, ut ſolent hæretici, non quidem ſibi, quemadmodum putaverat, verum ſuo famulo apprime Catholico profuturum.

In ea maritima urbe, dum diverſarum nationum, mercandi ſtudio certatim illuc confluentium, ægrotos adit, ſuamque artem, avidus non minus gloriæ, quam numorum, incautus venditat, menſe Octobris memorati anni periculoſo morbo infeſtari cœpit. Vultum ſubinde repentinus tumor adeo occupaverat, ut fere dies utrique oculo fuerit ereptus; eo malo emerſit ardens febricula, qua diebus aliquot dirum in modum cruciabatur. Sed nihil moleſtius hominem everberavit, ac liberior vita in Scotia & Anglia inter errorum, ſcelerumque monſtra, tranſacta. Hæc identidem juſtiſſimi Judicis vindicem iram, menti terroribus concuſſæ objecit. Acceſſere inſomnia, & imagines teterrimæ, quæ corporis juxta ac animi vires, non lente afflixerunt. Tot, tantisque malis medelam ab arte medentium fruſtra petiit. Nam & corporis, & animi morbus, curationum frequentia augeri videbatur. Itaque rejectis humanis remediis, ſacra Calviniana, ſi Superis placet, in ſubſidium vocat: Sacroſancta Regii Vatis carmina, ſed erroribus adverſus ſinceram Religionem ſcatentia, flebili voce, quantum per tumorem oris licebat, crebrius decantat, aliaque præſidia e penu Calvini deprompta, ad pacandos conſcientiæ ſtimulos, angoresque, ſolicitus adhibet; at incaſſum.

Ergo humanis, ſacrisque Calvinianis remediis deſperatis, dum mæſtus & anxius ſe partem in omnem verſat, opportune in mentem venit

corolla

corolla Mariana, quam nuper dono acceperat. Non neſciebat miſer, quem in finem à Catholicis ea recitari ſoleat, nec ignorabat, quam potens præſidium, ſcelerati etiam in Virgine Matre repererint, quam multiplices gratias, ſeu animi, ſeu corporis morbo laborantes, ab ea gratiarum Matre abſtulerint. Hujusmodi cogitationibus incitatus, ſpei melioris plenus, corollam reverenter in manus ſumit, ſeque totum quantum patrocinio magnæ Matris commendat, atque inprimis ſalutem animæ ſuæ, ingenti fiducia in ſinu ejusdem deponit. Vix hæc mente conceperat, cum in cubile deformis Æthiops irrumpit, & ad pedem lecti horrendos inter mugitus locum occupat; famulum, qui ægrotanti aderat, inſolito terrore complet, inque fugam conjicit. Sed tartareum Æthiopem, in ſuppetias vocata Mater DEI, ſua præſentia fugavit, ſimulque depulſo tumore, ac æſtu febrili, tranquillitatem mentis ſuo jam clienti reſtituit. Inſatiabili gaudio delibutus Joannes, ad Collegium Societatis noſtræ feſtinato itinere contendit, rei totius ſeriem, quidve in votis habeat, decurrentibus ubertim lacrymis, enarrat. Poſt accuratam inſtructionem, ſarcinam peccatorum, & ſimul omnes angores conſcientiæ deponit. Hoc permoleſto onere levatus, die VIII. Decemb. Virgini Matri ſine labe conceptæ ſacra, Fidem Catholicam palam profitetur.

In ſinu Catholicæ Eccleſiæ, tanquam in portu tutiſſimo, tranquillus agebat, ſummaque animi pace fruebatur, cum rurſum die ſecunda Martii inſequentis anni, novos terrores novo militi incuſſit ſtygius hoſtis. Audiebantur in ejus cubili immanes ſtrepitus, taurorum mugitus, canum latratus. Sed hæc talia monſtra rurſum abegit cœli Regina, ſuumque clientem adverſus dæmonum inſidias Clementiſſima Patrona defendit. Ejus conſpectum & alloquium aliosque cœli favores ſibi conceſſos fuiſſe, conſcientiæ ſuæ moderatori candida prorſus mente aperuit. Tot inſolitis beneficiis cumulatus, cœpit ex animo faſtidire res fluxas, perituras que, in eo unice defigens curas, ut poſt reſtitutam ſæpe alienis corporibus valetudinem, ſuæ ipſius animæ ſaluti ſerio conſulat in Societate Jeſu; ad quam, ſimul ac Eccleſiæ Romanæ ſemet aggregavit, oculos adjecit; voto privatim edito (uti memoriæ proditum eſt) ſe eam omnibus viis, omni conatu ad extremam usque ſenectutem quæſiturum.

Opinione celerius, quod tantopere deſiderabat, locum obtinuit inter eos, qui Sacerdotii expertes domeſticæ rei miniſteriis occupantur. Nempe non vulgaris cognitio artis Chirurgicæ, nota toti urbi pietas, & morum compoſitio, tum nobilis ardor Romanam Religionem ubique gentium defendendi, non impeditam illi viam aperuere ad tyrocinium die VI. Julii, anni MDCCXLI. In ea palæſtra virtutum, ſupra modum vulgarem progeſſus fecit. Pietatis ardore, cœleſtium commentatione, amore in Virginem Matrem, oblivione rerum humanarum, contemptu ſui, alacritate obediendi, æmulis tyronibus antecelluiſſe videbatur. Corpus ſuum, ceu hoſtem apertum, multa ſagacitate affictare ſtuduit, ea etiam de

cauſa,

cauſa, quod inter hæreſeos contagia, ad pinguiores offas, citra diſcrimen temporum, accubuiſſet. Denique præſagiente animo paucitatem dierum, in arrepto propoſito auſterioris vitæ, *in brevi explere tempora multa* geſtiebat; & reapſe explevit, præmaturo fato, in obſequio peſte laborantium, uti nuper memini, in prædio S. Catharinæ ſublatus. Plane dignus, non multorum menſium Tyro, qui inter illuſtres Paraquaricæ provinciæ Viros locum obtineat.

P. HIERONYMUS HERRAN
HISPANUS BURGENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Patrocinio D. Xaverii curatus in Americam abit; in Gvarania Apoſtolice laborat; annis octo in caſtris verſatur cum Neophytis; fere naufragio perit; Procuratorem primum Miſſionum, dein totius provinciæ agit; Rector Collegii Boni aeris, deligitur in Romanum Procuratorem; in Europam renavigat.

PAtrem Hieronymum Herran, geſtis muneribus & virtutibus clarum, peculiaris favor Divi Xaverii, Paraquaricæ provinciæ dedit. Res ita evenit. In Salmanticenſi Collegio dum ſacratioribus ſtudiis operam navat, veſtigio fallente ex alto prolapſus, brachium fœde comminuit. Medici & Chirurgi, poſtquam vulnera novis vulneribus diu curarunt, trepidi manum removent, & ſuperante malo omnem curationem, actum eſſe de Hieronymo pronunciant. Cum remedii nihil pollicerentur humana præſidia, poſtremo in tutelam Divi Xaverii conceſſit Hieronymus. Votum conſciis Superioribus rite concipit: navigaturum ſe in Paraquariam, ſi ope magni Indiarum Apoſtoli ſanitatem, uſumque brachii reciperet. Voti reum ſe illico ſenſit, nec ullum ab eo die mali veſtigium advertit. Tam prodigioſo obſtrictus beneficio, votum ſolvere quamprimum conſtituit, ac Sacerdotio inſignis, annuente Roma iter Gades ſuſcepit, prius ad Hiſpalim Miſſionarii functus munere, ut nuper commemoravi in vita P. Nicolai Ignatii de la Roca.

Eodem, quo P. Hieronymus, navigio vehebatur Prætor provinciæ fluminis Argentei, hujusque uxor, ſpectatæ pietatis matrona. Hoc Nobiliſſimum par conjugum ſua comitate, morum compoſitione, ſanctimoniæ opinione, & aliis ornamentis, quæ hominem Religioſum commendant, adeo ſibi devinxit, ut apud eum in illo maritimo itinere conſcientiæ noxas, earum pœnitentes expiarent; & manſit ea fiducia etiam in America ſecuturis annis. Corduba Tucumanorum, quo pervenerat cum Sociis Europæis, in Gvaraniam, tot præſtantium Miſſionariorum ſudore rigatum agrum, dimiſſus, gentis idioma, ac normam cum Neophytis agendi, brevi temporis intervallo didicit. Spes ingentes de ſe excitavit, apud veteranos illius populi Apoſtolos, poſtquam linguæ notitiam nactus, animo ſoluto ac libero, manum Evangelico operi admovit. Acto tyrocinio ſub ducibus plurium palmarum, in oppidis S. Roſæ Limanæ & trium SS. Regum, ſolus & unicus omnem curarum molem ſuſtinuit. Promiſcuæ turbæ veritates Evangelicas ſtatis temporibus, methodo plana, nulloque verborum apparatu, quo facilius memoriæ mandarentur, propoſuit, ægros fovit, mortuos extulit, ariolos abegit, politicam juxta atque Chriſtianam vivendi rationem induxit. Sed puerili ætati plurimam impendit operam, ut videlicet a teneris, Religionis myſteria combiberent, & creſcentibus annis eadem firmiores radices eorum in animis figerent. Denique diu, noctuque multa perficere, multa perpeti, vigilias extrahere, prolixe orare, ſudare & algere, tenuiſſime victitare, rem cibariam in Neophytos elargiri, erant optimi Patris aſſidua exercitatio.

Certe in utraque colonia & medici, & agricolæ, & fabri partes dexteritate non vulgari egit; mirantibus Neophytis, tot rerum diverſarum notitiam in uno homine, & vires infinitis occupationibus pares. Ad cumulum laborum acceſſit expeditio bellica, ſuſcepta adverſus Minuanes, Gvenoes, Bohanes, & Hiares, Paraquariæ populos, Hiſpano nomini non minus, atque ſacris Chriſtianis infenſos. Etenim iſti, cum viderent Hiſpanorum potentiam in dies creſcere, & jam pleraſque Paraquariæ gentes, abjectis patriis cerimoniis, ſe Regi Catholico ſubdidiſſe, inito inter ſe conſilio, arma repente corripuerunt, invitatiſque finitimis barbaris in belli ſocietatem, municipiis Neophytorum excidium minabantur. Affluentibus barbaris, partim ſpe prædarum, partim amore libertatis (quo nihil eſt tam penitus mortalium animis inſitum) paucos intra dies in campo formidandus exercitus apparuit. Ferrea iſthæc tempeſtas imminebat potiſſimum iis coloniis, quibus P. Hieronymus Herran præerat. Ergo vim vi repreſſurus, implorato Hiſpanorum auxilio, ſuos quoque Neophytos arma ſumere permittit. Varia fortuna tumultuarium hoc bellum geſtum eſt. Barbari ſæpius victi, quam victores, ſuis cladibus pervicaciores, damna ſua, accitis undique ſuppetiis, reparare conati, in annum octavum adverſus Hiſpanos extraxere bellum. Tandem fracti, ſubactique, Hiſpanorum clementiæ ſemet dediderunt. Toto eo tempore

inter

inter quotidianas curas, multiplices ærumnas, & præſentiſſima capitis diſcrimina, Hieronymus in caſtris verſatus, operam impendit Neophytis armatis, quantam iis in provinciis hominibus Religioſis navare licet. Ipſe in ſua epiſtola, quam poſt plures annos dederat ad Pro-Regem Peruviæ Don Joſephum de Armandariz Marchionem de Caſtell Fuerte, & legere licet *Tomo IV. Itinerar. Miſſionar. Num. 551. pag. 4.* commemorat, ſe octo annorum ſpatio conſtanter belli fuiſſe cum ſuis Neophytis, mireque dilaudat eorum egregiam fidem in Regem Catholicum, imperterritos animos in præliis, dexteritatem arma tractandi, conſtantiam prorſus heroicam inter adverſa.

Verum & P. Hieronymus in ea permoleſta expeditione, laude digna plurima geſſit, parsque magna victoriæ fuit. Annonam, arma, cæteramque caſtrenſem ſupellectilem bello durante, tam ſtudioſe annis ſingulis curavit, ut Neophyti rebus omnibus in caſtris affluerent, & lautius victitarent in medio armorum ſtrepitu, quam domi in otio. Cum enim iſti ſuis plerumque ſtipendiis militent, Miſſionario rerum neceſſariarum procuratio incumbit, ne defectu annonæ, vel rei alterius, caſtris deſertis oppida ſua repetant. Præterea: in illo armorum tumultu, diſciplinam Chriſtianam exegit, conſervavitque integram. Inſtante prælio, eosdem expiatione noxarum, veluti depoſito onere expeditiores, in certamen emittere; publicis, & privatis alloquiis cœleſtem pugnaturis opem polliceri; in æſtu certaminis, periculo ſui capitis alienæ ſaluti poſthabito, ad ſaucios accurrere, atque in tempore delictorum veniam impertire in more habuit. Hæc, atque alia miniſteria, in illa decretoria æternitatis hora exhibita, mirum! quantum amorem, quantam venerationem conciliarint Patri Hieronymo per omnem Gvaraniam.

Forte accidit, ut barbarorum globus, odio ac pudore cladis irritatus, in Gvaranios ad ignes ſuos confidentes impetum faceret. Hieronymus clamore pugnantium accitus, dum immemor ſui ad opem ferendam accurrit, in hoſtes incidit. Jamque unus telum prægrande in illum emittere parabat, cum id conſpicatus Centurio Neophytus ex oppido S. Nicolai, continuo ſe objicit barbaro, telum excipit, ſuaque morte vitam P. Hieronymi lætus redimit. Sic Neophytus vitam mortalem poſuit, ut parentem omnium incolumem præſtet, cujus inſtitutione & ductu didicit, ſupereſſe multo beatiorem, nempe immortalem, coronam Chriſtianarum virtutum. Viget etiamnum apud Gvaranios hujus Centurionis illuſtre factum, vigebitque inpoſterum, dum honos habebitur tantæ virtuti. Quantum vero in diuturna iſta octo annorum expeditione perpeſſus fuerit æſtivis & hybernis menſibus, nihil attinet dicere. Id facile inde conjicias: quod e Miſſionariis in campo & ſole dudum exercitatis, qui in laborum ſocietatem ad P. Hieronymum advolarunt, nemo ultra biennium in caſtris perſtiterit; adeo aſſiduus labor vires fortium Virorum attrivit.

Barbaris pace compoſitis, in Luſitanos verſa ſunt Hiſpanorum arma. Coloniam S. Gabrielis vallo & delecto militum præſidio munitam ad ictum deſtinarunt Hiſpani. Neophyti quoque Indi, in hanc expeditionem evocati fuerunt e variis ſtationibus. Hieronymus ſuos comitatus, patientiæ, charitatis, & induſtriæ materiam tanto pulchriorem nactus eſt in caſtris, quanto moleſtior, diuturniorque extitit oppugnatio. Sed fruſtra conſumpta Hiſpanorum, Indorumque fortitudine, re infecta diſcedendum erat. Prætor provinciæ querelis quorundam (ut invidiæ onus in alios deponere uſitatum eſt) perſuaſus, ſiniſtrum eventum, perfidiæ Neophytorum attribuendum putavit, idque in aulam Madritenſem nunciare parabat, literis ea ſuper re confectis. At Hieronymus tuitus eſt famam & fidem ſuorum, & quidquid ab æmulis objectum erat, adeo nervoſe diluit, ut Prætor, retentis in America literis, aulæ ſignificarit: Neophytos proborum & fortium militum partes in memorata obſidione multa cum laude obiiſſe.

Finitis bellicis expeditionibus, e Gvarania Superiorum voluntate in Collegium Boni aeris abſceſſit, Procuratoris Miſſionum aditurus præfecturam, quo omnibus Neophytis ſua dexteritate agendi prodeſſet. Sed pene naufragus periit ante, quam munus aggrederetur. Lintre modico, quo genere navigiorum uti ſolent Paraquarii fluminum accolæ, vehebatur per fluvium Urugvay ſuis undis prætumidum. Seu nautarum incuria, ſeu nimio pondere fatiſcens linter, in medio flumine cum vectoribus mergitur. Hieronymus natandi rudis, ac ſubito fluctibus ſepultus, fundum fluvii petiit. Neophytus egregius natator, ſat diu quæſitum, tandem veſte prehenſum in ripam pertrahit. Narrare ſolebat: ſe in molli illo lectulo ſuaviter incepiſſe animam agere, atque animæ ſuæ ſalutem totis viribus DEO commendaſſe. Virum tanto periculo ereptum ſervavit DEUS gloriæ ſuæ, animarum ſaluti, Neophytorum commodis, Societatis & Paraquaricæ provinciæ bono, quam quidem multis, magniſque meritis ornavit. Pro-Rector Boni aeris, iiſdem fere diebus nominatus, fundamenta jecit amplioris domicilii pro noſtris, ſimulque ædificium cultiſſimi templi jam antea cœptum, feſtinatis operis altius eduxit, nullis nominibus factis, quod in iis rerum anguſtiis, mirum videri potuit. Poſtea Cordubæ totius provinciæ res adminiſtravit Procurator; nec multo poſt Collegii Boni aeris claves Rector accepit. Subinde in comitiis Provincialibus Procurator Romanus ſecundo loco dictus, cum Patri Ludovico Rocca, qui primo loco delectus erat ad id muneris obeundum, univerſæ provinciæ gubernacula committerentur, in Europam iter adornare debuit.

Navigio humaniſſimi Angli, hominis heterodoxi, Londinenſem ad portum appulſus, inde Hiſpanias, & Italiam petiit. Madritenſem aulam minutatim edocuit de rebus Paraquaricis, quorum erat apprime gnarus, & novos favores pro Neophytis abſtulit, lites eorum cauſa obmotas, partim ſopivit, partim extinxit. Romæ de iiſdem rebus, deque

ſtatu Paraquaricæ provinciæ, cum voluptate auditus ab Admodum R. P. N. Michaele Angelo Tamburino, parum abfuit, quin in Europa detineretur, Hiſpali Indiarum Procurator futurus; adeo ſuam prudentiam loquendo & agendo in illo orbis theatro probaverat. Evicit reditum, & Gades maximis itineribus properavit. Iſthic reperit Apoſtolicum agmen e ſeptuaginta Sociis conflatum, quos provinciæ Europeæ addixerunt circa annum MDCCXXVI.

CAPUT SECUNDUM.

Confectis feliciter rebus in Europa, in Americam Miſſionarios deportat; Præſes provinciæ nominatus Miſſiones luſtrat; adverſus perduellium conatus, Neophytorum colonias tuetur; perduelles urbe Aſſumptionis capta, Socios in exilium agunt; juſſu Pro-Regis Peruani, Neophyti caſtra faciunt.

EX ærario Regis Catholici accepto viatico, & ſedata controverſia, quam quidam moverant in portu Gaditano de navi conducta, cum ſuo agmine in altum vela fecit. Jactis anchoris ad inſulam Teneriffam, multa humanitate acceptus eſt P. Hieronymus, a binis filiis Conſulis nationis Gallicanæ, qui ſuo cum Præfecto & famulitio ad portum acceſſere officii cauſa, ac fructibus illius inſulæ miri ſaporis, tum illum, tum Socios, benevolentia prorſus ſingulari donarunt. Ea exquiſita humanitas cum feris fluctibus eatenus luctatis, & maritima jactatione feſſis gratiſſima accidit. Inſequenti die P. Hieronymus Conſulem adiit, a quo lautiori menſæ, triduo commorationis in inſula, admotus, Gallicanam humanitatem dilaudandi plura argumenta habuit cum ſuis ſeptuaginta Sociis, quibus etiam domi ſuæ ornatiſſimus Conſul opiparam cænam appoſuit. Refectis tantiſper corporibus, rurſum maritimum iter aggreſſi, cœlo, undisque in vota Miſſionariorum conſpirantibus, Boni aeris portum incolumes tenuere. Jam Roma aderant Præpoſiti Generalis literæ, quibus provinciæ Paraquaricæ Præſes P. Hieronymus nominabatur.

Ergo menſe Junio anni milleſimi ſeptingenteſimi viceſimi noni, auſpicatus regimen, viginti Miſſionarios Sacerdotes, & aliquot rei familiaris adminiſtros ex iis, quos ſecum ex Europa advexerat, deligit, eosque in Gvaraniam in ſocietatem laborum mittit; alios in Collegio Boni aeris ignotas linguas jubet condiſcere, alios ſecum Cordubam abducit. Hic paululum dimoratus, ad luſtrandas miſſiones, quas in animo, in oculis ſemper ferebat, Corduba diſceſſit. Bono Numine factum, quod feſtinatis terra, & aquis itineribus ad fluvium Paranam pervenerit, cujus in ripa rebus fere omnibus deſtitutos, Miſſionarios reperit, quos nuper in ſubſidium Gvaraniæ miſit. Nautæ morbo proſtrati, non remos tractare,

non alia munia ſuæ artis obire poterant ; alios vero mercede conducere in ignotis locis, tutum haud erat. Nec enim fidendum eſt barbaris, quos prædæ cupiditas & mentis inconſtantia ad quodvis flagitium allicit, impellitque. Arctiorem quoque annonam ſenſerant, tot diebus in ſterili ripa hærentes. Suo adventu Præſes provinciæ, mæſtos Socios erexit, nautas, commeatum, cæteraque continuandæ navigationi opportuna procuravit, ac ſuo ductu delectum illum Miſſionariorum manipulum Gvaraniæ intulit.

Mox ad luſtrandas Neophytorum colonias converſus, plurium menſium ſpatio triginta earundem (tot etenim numerat Societas Paraquarica ſub præfectura Boni aeris, ſive fluminis Argentei, uti meminit ſua in epiſtola nuper laudata, ipſe P. Hieronymus Herran) adivit. Ut præſentibus Neophytorum injuriis modum poneret, & futuras anteverteret, longo rerum uſu exercitatus, multa ſapienter conſtituit. Adverſus Payaguas piraticam facientes, miræ celeritatis cimbulas adornari juſſit. Patuit illico earum uſus, dum piratæ celeritate occupati, ſemel atque iterum cum ſuis celocibus in poteſtatem Neophytorum venere. Ita fluvii Paraquarius & Parana, depulſis ejusmodi prædonibus, tutum navigantibus curſum præbuere. Rem œconomicam Neophytorum, meliorem in ordinem redegit, agriculturam pluribus in locis inſtituit, viasque oſtendit Miſſionariis, quibus ſolum rei agrariæ, & pecuariæ, minus amicum obtigit, unde frumentum, unde veſtes, aliaque uſui humano neceſſaria petenda forent. In ſingulis ſtationibus animarum Curatoribus, majorem in modum commendavit, accuratam Sacramentorum adminiſtrationem, parvulorum quotidianam inſtitutionem, ſacrarum ædium nitorem. Ipſe, quantum negotia provinciæ ſinebant, ludos literarios inſpexit; teneram Religionis ſobolem, elementis Fidei imbuendo, adultiores Sacramentis procurando, ad officii Chriſtiani firmitatem roboravit.

Neque neglexit diſciplinam militarem apud Neophytos revocare, cujus uſus tum maxime poſcebatur. Quippe rumor percrebuerat, aliquot Paraquariæ populos elato rebellionis ſigno, in Hiſpanos, veteres ſuos dominos, arma parare, & vicinis quatuor coloniis Neophytorum S. Ignatii, Beatiſſimæ Virginis, S. Roſæ Limanæ, & S. Jacobi imminere; quo perculſus, Neophytos, ne ſubita hoſtium invaſione opprimerentur, ad ſua defendenda excubias agere juſſit. Flexit dein iter ad urbes Aſſumptionis, & S. Fidei, ubi ex inſtituto noſtro domicilia Sociorum luſtravit, quæve ad avertendas belli calamitates utilia fore arbitrabatur, celeriter diſpoſuit. Verum vix Cordubam Tucumanorum pervenerat, cum triſtis tota urbe diditur rumor: Aſſumptionis civitatem a rebellibus interceptam, Patres Societatis e Collegio ejectos, omnia ardere bello ad Paraquarium. Nec falſo diditus. Namque rebelles fugato Ludovico Bareyro provinciæ Præfecto, maxima celeritate ad Paraquarium delati, urbem Aſſumptionis per dolum & proditionem ceperant, occupatisque platea-

rum

rum capitibus, ad prædam verſi, civium domos, quos Regi Catholico fidos noverant, diripuerunt. Hoc ſucceſſu ferociores, verſo impetu ad carceres, conjurationis authores ad reſtim nuper damnatos, e cuſtodia velut in triumpho educunt, vinculis liberant. Iſtorum loco primarios Reipub. Viros in ergaſtula conjiciunt, novos ſibi Præfectos creant, novam Rempub. ordinant, ac partiti inter ſe urbana & caſtrenſia munia, omnia pro libidine agunt.

Subacta in hunc modum principe urbe, ad memoratas quatuor Neophytorum oculos adjiciunt, quas tanto acrius infeſtandas putarunt, quanto ſpes certior affulſit, ſe iis devictis latiſſime per Paraquariam dominaturos. Verum Neophyti pro aris & focis certaturi, in armis ſtabant, vimque omnem, & dolos perduellium cum egregia commendatione fidei erga Hiſpanos, eludebant. Rebelles ſupra quam credi poteſt, exacerbati, iram, quam conceperant adverſum Neophytos, in Patres Societatis, eorum Magiſtros, effundendam ſtatuunt. Die itaque XX. Februarii, anni trigeſimi tertii ſupra milleſimum ſeptingenteſimum, appetente jam meridie, bis mille equites edito ingenti clamore Collegium circumdant, fores occluſas nacti ſecuribus moliuntur, irrumpuntque in interiores Collegii partes equis vecti. Noſtri pars fugam circumſpectare, pars necem ingentibus animis opperiri. Nec fugere, nec mori conceſſum. E cubiculis protracti, in exilium proficiſci jubentur, idque tanta celeritate, ut nec ſuos libros horariarum precum Sacerdotalium ſecum aſportare, nec Sacroſanctam Euchariſtiam, tutiorem in locum recondere licuerit. Dein ad ſupellectilem domeſticam diripiendam effuſi, in apothecas penetrant, in cibaria involant, e cubilibus veſtes, libros ejiciunt, prædas denique inſano ardore conquirunt; metu ſuſpenſa civitate, ne rurſum furioſi prædones in civium domos impetum faciant. Sed pulſis Collegii incolis, direptaque ſupellectili, furor utcunque reſedit.

His triſtibus auditis P. Hieronymus Herran, ad Prætorem provinciæ fluminis Argentei, cujus curæ atque imperio dictæ coloniæ commiſſæ erant, accurrit; monet, quanto in periculo res Chriſtiana verſetur, niſi in tempore miles Hiſpanus auxilio mittatur. Collatis inter ſe conſiliis, quo potiſſimum vires vertendæ, P. Hieronymus ad colonias profectus, juſſu Pro-Regis Peruani, armatos Neophytos in campum eduxit, eodem fere tempore, quo Don Emanuel Auguſtinus de Ruiloba Calderon, Gubernator præſidii Callao, Hiſpanum militem in rebelles movit. Qua fortuna pugnatum? qua ratione domiti rebelles? non eſt mei inſtituti narrare. Id ſilentio minime prætereundum: Neophytos toto belli tempore ſumma fide Hiſpanis adhæſiſſe, Paranam & Tibiquari fluvios, ac paludem Neembucu ad plures leucas diffuſam, ſuo præſidio cuſtodiviſſe, hoſtibus ubique ingenti fortitudine occurriſſe, & ne finitima loca ad rebellionem concitare poſſent, omnes aditus terra & aquis cuſtodiis ſepſiſſe. Jam etſi coloniæ bello intactæ manſerint, nihilominus tamen non leve

detri-

detrimentum accepere, negleċta agrorum, hortorumque cultura; quo factum, ut res frumentaria aliunde comparari ære præſente debuerit. Impenſis præterea coloniarum, miles patrius in caſtris alebatur, cui tanto accuratius annona, & caſtrenſi ſupellectili ſubventum fuit, quanto majoris fortitudinis, conſtantiæ, fidei exempla ferreis illis temporibus edidere. Neque ignara iſtorum Madritenſis aula, honorificas dedit ad Præpoſitum Generalem literas, quibus Præſidis provinciæ curas, in communi illo naufragio Paraquariæ, non minus fortiter, quam proſpere ſuſceptas, mirifice probat.

CAPUT TERTIUM.

Ad Chiriguanos dimittit Miſſionarios; Socios Boni aeris tertium gubernat; valetudinem ſequeſtra D. Thereſia recuperat; Tyrones & PP. tertiæ probationis inſtituit; moritur; natales ejus, & virtutes eximiæ.

NOndum extincta hac armorum tempeſtate, admonetur per literas a Senatu Chuquiſacenſi, uti ad Chiriguanos, Magiſtros Divinæ legis, & Sacerdotes legaret, eo etiam conſilio, ne fortaſſis perduellium numerum augerent, ad quos in dies novi prædones acceſſere, aggregante paſſim ſeſe in ſpem rapinarum egentiſſimo quoque. Pro-Rex Peruviæ, DEI, & Regis cauſam per eosdem dies provinciæ Præſidi commendavit, & Miſſionarios emolliendæ Chiriguanorum pervicaciæ idoneos petiit immitti. Lætus voluntate Pro-Regis Hieronymus, tres multorum ſtipendiariorum Operarios, e Gvaranicis Miſſionibus deligit, eosque ipſe Tarijam deducit, ipſe Chiriguanorum municipium, cui noſter Sacerdos præerat, coram inſpicit, ipſe novos præcones in Chiriguanorum fines comitatus, multa ſuggeſſit ad frangendam gentis pervicaciam, quæ jam tot annis tot labores Sociorum luſiſſet. Evoluto gubernii univerſæ provinciæ triennio, redux Cordubam magiſtratu ſe abdicavit.

Juſſo regere Collegium Boni aeris jam tertium, gaudebant omnes, cum Socii, tum cives, Virum omnibus naturæ & gratiæ donis ornatum ſibi eſſe reſtitutum; gubernium felix, ac diuturnum precabantur illi, cujus prudentiam, comitatem, paternam charitatem ſæpe antea ſunt experti. Quo loco fuerit in civium animis, inde conjicias, quod publicas preces fuderint pro incolumitate illius, dum æger deſperata a Medicis ſalute decumberet; quippe vis morbi atrocius ſæviebat, quam humana ut arte depelli poſſet. Cœlum piiſſimas preces reſpexit, & ſequeſtra Diva Thereſia, cujus patrocinium æger implorabat, ſanitatem reſtituit. Tota urbe maximus civium plauſus & gratulatio. Multo uberiora lætitiæ ſigna dedere, cum P. Hieronymus, ingens publicæ, piæque lætitiæ ma-

teria,

teria, in templo noſtro concinentibus organis, ſacris operatus, DEO & ſoſpitatrici ſuæ ſe gratum ſtitit.

Cumulavit lætitiam per eosdem dies amicitia, inter Prætorem provinciæ, & navium bellicarum Præfectum, opera P. Hieronymi redintegrata. Cum enim atrox diſcordia inter hos exarſiſſet, Hieronymus cymbula vectus ſecundo flumine Argenteo, Præfectum convenit, ſuaque ſapientia diſcordiæ cauſas extinxit, & imminentem a mari tempeſtatem opinione celerius diſcuſſit. Ejusdem pariter induſtriæ in acceptis refert Paraquarica provincia, *Reſidentiam*, liberali ære Domini Ignatii Zevallos, in extrema parte urbis Boni aeris Auſtrum verſus extructam, ut videlicet cives eam partem incolentes, pluvio præſertim cœlo, ſacris citra graviorem moleſtiam intereſſe poſſent. Quadriennium exegit in regendis Boni aeris Sociis, Cordubæ poſtea tyrones, & tertiæ probationis Patres e diſciplina Societatis, ad perfectæ vitæ ſtudium, ad ardorem animarum curandarum non verbo magis, quam exemplo formavit. Hiſce ſacris laboribus intentum, ineunte menſe Decembri anni MDCCXLIII. difficillimus morbus languentem invaſit, ac omnium morientium Sacramentis præmunitum, die X. ejusdem menſis poſt horam quartam matutinam conſumpſit. Natus is erat Hiſpano genere, in montanis Burgenſibus S. Andreæ non ignobili urbe anno MDCLXXII. die XIII. Aprilis, & Sociis adnumeratus in tyrocinio Villagarcienſi anno MDCLXXXVII. die XXII. Auguſti.

Juſta funebria magno doloris ſenſu perſoluta ſunt, tum a Sociis Cordubæ, tum in urbe Boni aeris a nobili cive. Dolorem mitigavit recordatio eximiarum virtutum, quibus ornatum P. Hieronymum inter Cœlites, perennibus illis deliciis perfrui non ex vano exiſtimarunt. Eum refulgentem veſte Sacerdotali, eadem, qua obierat hora Cordubæ, conſpexit in urbe Boni aeris nobilis virgo, diuturnis morbis multum exercitata, & fama ſanctimoniæ meliori Americæ nota, quemadmodum jurata narravit Sacerdoti noſtro, quo moderatore conſcientiæ utebatur. Cæterum virum geſtis muneribus, rarisque animi dotibus illuſtrem, nemo e ſuperiore loco laudavit. Pro laudatore populus fuit. Celebrabatur inprimis omnium ore, ſalutis alienæ ardor, quo diu, noctuque æſtuare videbatur. Patria, commodis, & ſpebus ampliorum dignitatum deſertis, voluntarius exul florente ætate Americam petiit, ultimis nationibus rectum ad ſalutem æternam callem monſtraturus. Seu ſubditus, ſeu Superior, ſeu domi, ſeu in caſtris eſſet, pulcherrimum illum ardorem per omnem ætatem novis illiciis fovit, auxitque.

In Gvarania Neophytorum colonias partim ſua, partim ſuorum, quibus præerat, opera, incolis, & rebus ad vitam traducendam neceſſariis inſtruxit; oppidis fingendis, ſtabiliendis, ad opportuniora loca transferendis, iisque contra perduellium invaſiones defendendis indefeſſum contulit ſtudium. Id enitebatur maxime, ut Neophytorum numerum au-

geret, eorum inopiam quoquo modo relevaret, Socios in acerba illa temporum calamitate vitæ prodigos iis moderandis præficeret. Ipſe nullo detrectato vitæ periculo, per intacta juga montium, prægaltas ſilvas, vaſta flumina & maria, barbarorum ſalutem quæſivit. Vita, ſanguine paratus erat iſtorum animas mercari; non ignarus, quanti Chriſto Servatori noſtro conſtiterint. Paucitate operariorum in America conſpecta, mirabatur frigidos quorundam Europæorum animos, qui talenta divinitus accepta veluti habent in ſudario repoſita, ut Evangelicus ille ſervus, cum negotiari tam utiliter in ultimo orbe poſſent, & ſuo, Chriſtique lucro, multarum animarum ſalutem apponere.

Nunquam tamen gravi alienæ ſalutis procurandæ negotio ita diſtinebatur, ut vel minimam temporis particulam orationi deſtinatam decerperet; quin imo obſervatus fuit, quotidie indulgere dulci contemplationis ſanctæ otio ante Numen Euchariſticum. Inde fiduciam, vires, animum perferendis quibusvis adverſis parem hauſit. In calamitoſo illo Paraquariorum tumultu, intrepidus verſabatur inter armatorum cohortes, etſi hoſtes numero & ferocia multo præſtarent. Socios, quos ſecum ex Europa in Americam Romanus Procurator deportavit, octo & viginti menſium ſpatio Gadibus aluit, donec perruptis invicta conſtantia obicibus ad deſtinatam metam poſſet contendere. Nec defuere, qui ipſius conſtantiam, maxime in eo armorum ſtrepitu, pervicaciam appellarent, ſiniſtroque rumore aſpergerent. Sed conſtantia in tuendo, quod maturo conſilio deliberatum, apud vulgus & vecordes animas, ſpeciem & nomen pertinaciæ induit. Certe & Madritum & Roma ratum habuit, quidquid P. Hieronymus in illa armorum licentia conſtituit.

Vivebat præterea in omnium memoria ſingulare Viri Apoſtolici paupertatis ſtudium. Victus, veſtitus, cæteraque ſupellex domeſtica, quanto vilior, tanto charior erat. Cum ægrotanti ultimis annis in Cordubenſi Tyronum domo, certum pulmenti genus in urbe decoctum apponeretur, guſtare renuit, oravitque provinciæ Præſidem, ne quid delicatius ſui cauſa inpoſterum appararetur. Roma redux, imagines elegantiori penicillo pictas, ſacrarum reliquiarum ornatiores thecas, libros lautius compactos, atque alia rari pretii munuſcula attulerat. Omnia inter Socios partitus, particulam duntaxat Crucis Domini, ab Eminentiſſimo Purpurato Patre Alvaro Cienfuegos, olim Moderatore ſuo, ſibi donatam retinuit. Poſt fata in ejus cubiculo præter paucos libellos, nihil repertum. Tum nitor Angelicus, quem ipſis verbis, oris modeſtia, morum gravitate ſpirare videbatur. Raro cum ſequiore ſexu ſermonem miſcebat. Oderat blandum illum compellandi pœnitentes ſuas modum, quo nonnulli eas *filias ſpirituales* nominare aſſolent. Oculorum modeſtiam uti ſibi domeſticam fecit, ita Sociis magnopere commendavit Superior. Liberius agentes, ad modeſtiæ leges revocare contendit; vitiatos, a reliquo corpore implacabilis pro ſua poteſtate reſecuit.

Quam

Quam vero alacer fuerit ad imperia Superiorum exhaurienda, Socii læti commemorare ſolebant. Nempe obedientiæ radix, animi demiſſio eſt, qua P. Hieronymus plurimum enituit. Principes viros non facile adibat, niſi Neophytorum, aut Religionis Chriſtianæ cauſa; probe gnarus: multum deperdi temporis, parum emolumenti percipi, hominibus inviſendis ſolius urbanitatis cauſa. Dicere auditus fuit: *ſibi nunquam in mentem veniſſe, ut gubernio Sociorum admoveretur;* cum tamen variorum munerum Præfecti, in rebus difficillimis illius conſilia per Americam certatim expeterent. Negotia dubii exitus, multisque difficultatibus obſepta, feliciter evolvit. Nempe præſentiſſimi vis conſilii, tum ſolers & efficax in agendo prudentia, ibi exitum reperiunt, ubi clauſa omnia & obſtructa videbantur. Socios tam ſuavi, tam paterna charitate rexit, ut nimiæ indulgentiæ eum nonnulli arguerent. Verum ut vultus hominum varii, ita etiam ſententiæ; ſeveritatem, ubi res poſtulabat, adhibuit, etſi animo quodammodo reluctante; adeo mitem indolem non exaſperarunt caſtrorum fremitus. Hanc in eo moderationem pariebat cum cognitio ſui, qua ſe omnibus viliorem exiſtimabat, tum Divini illius oraculi attenta meditatio: *Rectorem te poſuerunt? noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis. Curam illorum habe.*

P. AUGUSTINUS CASTANNERES
TUCUMANUS SALTENSIS.

Caput Primum.

Educatio ejus in Collegio Regio Cordubæ; Societatem amplectitur; apud Zamucos fruſtra laborat.

COllegium Regium Cordubæ Tucumanorum, opera inprimis P. Lauri Nunnezii, impendiis Ignatii Duarte de Quiros, priſci moris & antiquæ probitatis Eccleſiaſtis, ac laurea Theologica, geſtisque muneribus clari, ad annum MDCXCV. aſſurrexit, honoribus B. V. a monte Serrato dicatum. Illuſtre hoc virtutis, & literarum Seminarium, Paraquariæ, imo Americæ etiam Auſtralis, Chilenſis & Peruani regni Nobiles Adoleſcentes accipit, alitque. Inſtituendi iſthoc domicilium cauſa fuerit, quod Juvenes in parentum ædibus laute ac indulgenter habiti, otio, deliciisque, citra

citra ſtudium bonarum artium, diffluerent, tranſactaque adoleſcentia parum utiles poſtea eſſent Reipublicæ, ſeu ſacræ, ſeu profanæ. In iſto domicilio Auguſtinus Caſtanneres ineuntem ætatem tanta probitatis commendatione peregit, ut, cum fuit in Societatem adlectus anno MDCCIV. nihil præter domum, & veſtem mutaviſſe crederetur. Sed ille, ut erat alta indole, viam iterum, non metam ſe inveniſſe arbitratus, rationem inivit, quæ recto calle duceret ad terminum, per ſolidam vitæ ſanctimoniam ad DEUM, principium & finem. Itaque facturus, quod menti alte impreſſerat in ea virtutum palæſtra, intra ſe manſit, curarum omnium vacuus, ſi unam excipias, ut videlicet fractum, ſubactumque animum, rectæ rationi ac DEO ſubjiceret, & animo cæteras res humanas. Hæc princeps cura Tyroni fuit, non ignaro, hanc victoriam tanto nobiliorem eſſe, quanto difficilius eſt, animum innocua etiam libertate privare, & ſub jugum alienæ voluntatis mittere. Et vero tyrocinii ſanctioris Magiſtri præclare docent, parcendum aliquando corpori, non item animo: hujus cupiditates nonnunquam remanere indomitas in corpore domito ac debilitato; in iis frangendis operam utilius poni ac ſanctius.

Decurſa omni arena Philoſophica, & ſanctiore ſtadio, geſtiebat ex umbra ſcholarum in campum & ſolem prodire, ad ſpolia animarum legenda. Biennio in Collegio S. Jacobi Hiſpanis civibus ſacra miniſtravit, materiam Apoſtolicis ſuis deſideriis ampliorem depoſcens a Præſide provinciæ. Ea poſt paulo oblata fuit. Ad Chiquitos abire juſſus, Neophytos, & Catechumenos, poſtquam eorum linguam belle dedicerat, aliquot annis ſedula cura adjuvit. Plus ſudoris impendit Zamucis, populo vago, & ſua tuguria metu ſervitutis circumferre ſolito. Poſt illatam F. Alberto Romero mortem, ſpem conceperant noſtri, Zamucorum agrum innocenti ſanguine rigatum, meſſem uberiorem deinceps daturum. Ergo anno MDCCXXI. P. Auguſtinus Caſtanneres, & P. Philippus Suarezius, Superiorum voluntate ad perveſtigandos Zamucos abeunt. Nonaginta leucarum iter emenſi, familiam ſat numeroſam reperiunt, ſed adeo pervicacem, adeo deditam patriis ſuperſtitionibus, ut re infecta omnino redeundum fuerit.

Altero anno, ardore novo cum P. Jacobo Agvilar eandem expeditionem ſuſcepit die XXIX. Aprilis. Repererunt ſtationem deſertam, quam anno præterlapſo a numeroſis inſeſſam fuiſſe diximus. Ultra progreſſi per vaſta nemora, in triginta familias tribus Caſiquiis ſubjectas incidunt. Cognita adventus cauſa, negarunt bini Caſiquii, ſe ſacra patria relicturos, aut novæ Religionis Sacerdotes inter ſuos paſſuros; nocte tranſacta relegerent iter ad Hiſpanos. Inexpectato reſponſo perculſi Patres, munuſculis ferocientes emollire nituntur. Mulieres donant gemmis vitreis aliiſque crepundiis; viros varii generis inſtrumentis ferreis, quæ chara nimium barbaris & pretioſa. Hac arte innocua capti, mitiorem conditionem poſuere: ſi tertius Caſiquius (inſignis præſtigiator is erat) e venatione

redux

redux probaret adventum, ſibi pergratam fore Patrum commorationem. Rediit ille ſtolide ferox, ac pro ſua ſtultitia Patribus nunciavit: dedecere, ut DEO prognatus ad homines peregrinos inviſat. Venirent ipſi; & poſt redditos divinos honores, ſua poſtulata proponerent. Hanc hominis tantam audaciam, impietatemque non ferens Caſtanneres, inſtitit illius dicta ſuperbiæ & vanitatis pleniſſima coram Zamucis refellere, & præſtigias, quibus eatenus illuſiſſet miſeris, palam detegere. Sed non propterea patriis cerimoniis innutritos, & longa aſſuetudine in promiſcuam venerem crapulamque effuſos, permovit; minus ab erroribus, & veneratione vaniſſimi Caſiquii abduxit. Edictum Patribus nomine Caſiquii: ſine mora finibus Zamucorum excederent, ne parvuli ipſorum per diuturniorem Patrum commorationem interimerentur. Invaluerat nempe popularis error: baptiſmum, certam ſuſcipientibus necem afferre, inde obortus, quod propter inconſtantiam barbarorum, & inſitam morum corruptelam, non impertiebatur, ſive parvulis, ſive adultis niſi graviter ægrotantibus, & in vitæ periculum adductis. Rebus itaque deſperatis, Miſſionarii ſterilem, & nondum patientem culturæ agrum deſeruere die XVI. Junii.

Caput Secundum.

Meliore ſucceſſu eosdem Zamucos ad Sacra Chriſtiana traducit, uti & Ugaranos; multa patitur; expeditionem ad quosdam barbaros fruſtra ſuſcipit; Chiquitis præeſt in oppido S. Raphaelis; populum Matagvayi Chriſto adjungit; a barbaris trucidatur; ejus virtutes ſummatim recenſentur.

Annus milleſimus ſeptingenteſimus trigeſimus tertius felicior decurrit Zamucis. Poſteaquam enim partim Ugaranorum armis, partim peſtifera lue attriti fuiſſent, Præconum Evangelicæ veritatis, quos toties rejecerant, præſidium imploravere. Duo & nonaginta, malis compulſi, die XXV. Febr. ad oppidum S. Joannis ſemet receperunt. Hujus manipuli ductores erant Soſiade, & Omate Caſiquii. Prior binos quoque ſuos Germanos, Fratris Alberti Romero parricidas, adduxit; poſterior ille ipſus fuit, qui Caſtannerem ſuo cum Socio e finibus Zamucorum abegit. Iſti omnes rejectis ſuperſtitionibus, pacem & obſequium Patribus obtulerunt, orantes ut miſererentur ſuorum popularium; irent ipſi, aut mitterent Europeæ Religionis Sacerdotes, qui reliquias afflictæ gentis colligant, ac Chriſtianis præceptionibus informent. Occaſionem tam præclaram minime negligendam ratus P. Franciſcus Herbas Miſſionum Superior, cum P. Caſtannere ad Zamucos omni feſtinatione properat. Confecto quadraginta dierum itinere, adeo viribus fractus erat P. Superior, ut interrupto itinere, oppidum Chiquitorum

S. Joannis repetere debuerit, ubi meliorem in vitam emigravit, recepturus mercedem Apoſtolici laboris, quemadmodum narravi in Decade Octava.

Amiſſo laborum Socio, P. Caſtanneres cœpto itineri, operique alacerrimus inſiſtit. Cinctus pauculis Chiquitis Neophytis, Zamucos non uno terrore in fugam abactos, poſt innumera tædia, tandem in latebris ſilvarum reperit. Faciles habuit in ſua vota, jam antea fame, aliisque ærumnis, in deſertis illis & omni humano cultu vacuis, ad mitiora conſilia adactos. Sic DEUS immiſſis liberali manu humanæ vitæ miſeriis, corpora & altos ſpiritus frangit, præparatque humili jugo Evangelicæ legis. Cum omnes pollicerentur, ſe imperata facturos, nondum confirmatos ex metu, ad oppidum S. Ignatii, quod P. Joannes Bapt. Cea molitus eſt, & alii ſubinde curarunt, deduxit. Jacet hoc oppidum Auſtrum verſus, a Chiquitorum *Reductionibus*, ſive Neophytorum coloniis, octoginta circiter leucis diſſitum, & immenſos Chaquenſium campos proſpectans. Ager circumſitus eſt admodum aridus, & niſi multo labore colatur, vix fruges reddit. Deligendus tamen erat, quod barbari, dulcedine ſoli patrii ducti, ægerrime alienas in terras migrare ſoleant.

Tam proſpero rerum ſucceſſu animatus Caſtanneres, Ugaranos, veteres hoſtes Zamucorum, ad vitam communem, Fidemque Chriſtianam allicere tentavit. Compoſita in oppido S. Ignatii republica, gentem bellicoſam adit, ſuavi ſermone, multis beneficiis Caſiquium expugnat, quo uno victo, omnes omnino vicit, & Chriſtiana in caſtra traduxit. Caſiquius viciniam late concurſans, utriusque ſexus mortales collegit, ac vicos, quibus moderabatur, ſubjectis facibus concremavit, atque ſe Ducem ad oppidum S. Ignatii ſequi juſſit. Neophyti Zamuci jam antea edocti, venturos Ugaranos, extincta omni inimicitia, odioque, ſi quod gliſcebat, novos hoſpites benigne excepere. Sic Caſtanneres ut verbi Divini ſementem liberaliter fecerat, ita etiam copioſe meſſuit. In hac, quam ad Ugaranos ſuſcepit, expeditione haud facile dictu eſt, quam multa fuerit perpeſſus. Regio eorum interdum nimio æſtu torretur, interdum pluviis aquis ita ſepulta jacet, ut incolæ humiliore ſitu loca deſerere cogantur. Utramque viciſſitudinem expertus erat. Nam, uti laborum Socii narraverant, tanta nonnunquam penuria aquæ laborabat, ut cupiditatem bibendi immodico æſtu accenſam, non alio potu expleverit, quam liquore e certis radicibus expreſſo, qui quantum aridas fauces recreavit, tantum ſtomachi dolores exacuit. Cibus illius quotidianus præter aliquot grana turcici tritici ſub cinere toſta, vel cruda, vulſæ radices, herbæ & poma ſilveſtria fuerunt. Solis caloribus adeo torrebatur, ut ſerpentis inſtar pellem mutarit. Adde moleſtiſſimos culicum & veſparum aculeos, viperas, tigrides diurnis & nocturnis horis viatoribus infeſtas, barbarosque omni fera ad nocendum paratiores. Denique ubi nubes largiores imbres effuderunt hybernis menſibus, iter agebat per incerta vada, nec alibi

in

in ſicco ſomnum capere concedebatur, quam in prælatis arboribus. Robur & ſolatium in hujusmodi adverſis hauriebat e lucro animarum, quarum pretium crebris meditationibus expendit, ſeque feliciſſimum reputavit, ſi vel unam poſt tot, tantosque ſudores ſuperſtitioni eripuit. Certe Evangelico Præconi ſatis magnum theatrum eſt ſpectator DEUS, & præmii ſatis habetur anima vel una, ſalutaribus præceptis informanda.

Minus e ſententia ceſſit procurſio altera ad barbaros ignoti nominis, qui non hominibus ſolum, ſed ipſi etiam humanitati ac pietati ferale bellum indixiſſe videbantur. Carne humana, qua nullum iis palato gratius edulium, ſe ingurgitare, ac tuguria ſua cæſorum oſſibus, exuviisque ornare in deliciis habuere. Capti bello, huic crudeli lanienæ ſervabantur. Cum paucis Neophytis ad eos delatus, pro ſalute, ſagittarum nubem, ſed innoxiam accepit. Triſti ſpectaculo tot cadaverum ſemiuſtorum perculſi Neophyti, citius multo, quam venerant, iter relegerunt, hortati ut & Caſtanneres crudeles terras ſine mora fugeret. DEO fretus perſtitit cum uno adoleſcente, vivere, ſeu mori parato. Barbari accenſa ſtrue lignorum, utrumque ſolennibus epulis deſtinant. Caſtanneres ſenſit ſe, comitemque ſuum ſignari oculis, & agitari conſilia de utriusque nece; videt vivum ſuum ſepulchrum, quo haud multo poſt condatur. In eo capitis diſcrimine ad ſubeundam fortiter necem, ſe, ac adoleſcentem tranquillus præparat. Mirum dictu! momento ferina illa cupiditas edendi in barbaris evanuit, & Caſtanneres revixit, qui poſteaquam barbaras mentes ad civiles & Chriſtianos mores fruſtra ſolicitaſſet, ſalvus & ſoſpes luce palam ad ſuos redivit.

Præfuit annis aliquot ſuis Zamucis & Ugaranis. Ex ea præfectura ad Chiquitos proficiſci juſſus, per uſitata Societatis miniſteria in oppido S. Raphaelis ampliſſimum fructum collegit. Venabatur more ſuo barbaros cum fido manipulo Neophytorum, tanta incuria valetudinis, ut a Superioribus omnino refrænandus fuerit. Rexit poſtmodum Superioris poteſtate Miſſiones Chiquitorum, quoad anno MDCCXL. arceſſeretur Cordubam, ad detegendam viam, qua per fluvium Pilcomayo facilius penetraretur ad Chiquitos. Anno inſequenti menſe Septembri, cum Salvatore Colon, familiaris rei adminiſtro, apud urbem Aſcenſionis conſcenſo navigio, ſtatuit inveſtigare ſuperius oſtium, quo Pilcomayo in Paraquarium præcipitat, ac adverſo Pilcomayo navigare. Nautæ ſeu locorum ignari, ſeu perfidi, dum pluribus diebus remis incumbunt, nullo facto operæ pretio, ſtationem urbis Aſcenſionis repetere ſunt coacti, incredibili dolore P. Caſtanneres.

Fruſtrato conatu, recepit ſe in Collegium Tarixenſe, ubi ardentis Operarii partes non vulgari cum laude ſuſtinuit. Interea gens Matagvayi, intellecto complures nationes pacem & æquitatem colere, atque Chriſtianos ritus ultro ſuſcepiſſe, ad memoratum Collegium legatos mittit, pacem & obſequium Hiſpano offert, Magiſtros, qui legem Evangelicam do-

doceant, ſibi concedi poſtulat. Lætus inexpectata legatione Rector Collegii, Patrem Caſtanneres, veteranum in hujusmodi ſacris expeditionibus militem, & linguam illius gentis callentem, in Chaquenſes campos, unde legati venerant, feſtinanter dimittit. Gens ea poſt illatum Evangelium in vicos, & oppida diſtributa, olim ad humanitatem, pietatemque magnis laboribus exculta fuit. Verum procedentibus annis, ſeu ob commercium finitimorum ethnicorum, ſeu omni Chriſtiano Paſtore deſtitutâ, tot, tantisque errorum monſtris involuta fuit, ut nullum fere veſtigium caſtæ Religionis apud eam reperires. Igitur Caſtanneres amplificandæ Religioni intentus, magnis animis rudimenta Fidei cœpit explanare adultis perinde, ac parvulis; tum idola evertere, & concremare, ut ſepulta ſuperſtitione unius DEI cultum facilius inſtillare poſſet. Religio pronis auribus, animisque accepta, in dies nova incrementa cepit, ut adeo circumſiti ethnici, viſa Neophytorum norma vivendi, animum appulerint ſacra eadem amplectendi. Non deerat ſuo muneri Vir Apoſtolicus: ad novellum gregem timido pede accedentes, paterna charitate amplexus eſt, & quotquot Religioni ſua nomina dare geſtiebant, Neophytis adnumeravit.

E remotioribus latebris Chaquenſium camporum, adfuere ſubinde aliquot barbari, quos malus dæmon, imperio ſuo male metuens, in necem Patris Caſtanneres ſtimulaverat. Orabant iſti in ſpeciem: ut relictis tantiſper Neophytis, procederet in interiores partes camporum; meſſem ibi tanto fertiliorem fore, quanto major numerus incolarum; ſe duces & ſocios itineris futuros. Caſtanneres facta ſpe ſui adventus, munuſculis large donatos a ſe dimiſit. Haud procul digreſſi, per exploratorem certiores fiunt: Neophytos lignationis cauſa ſilvas petiiſſe, Miſſionarium cum imbelli puerorum grege & ſenibus domi agere, inermem poſſe opprimi ſine certamine. Hoc intellecto, celerrime revertuntur in oppidum. Hiſpanus famulus, ut barbaros feſtinare vidit in oppidum, trepidus Patrem admonet: fugam capeſſeret ocyus; ni trucidari velit a barbaris. Repoſuit ille: *ſe non eſſe mercenarium, qui lupis appropinquantibus fugam arripiat, & oves medio in diſcrimine deſtituat.* Nec fortius dixit, ac egit. Parricidis obviam progreſſus, amice quærit: eccur rediiſſent? quo feſtinarent? illi turbidi plura volentem dicere, haſtarum cuſpidibus confodiunt, proſtratumque in terra *macanis*, ſeu clavis ligneis barbare trucidant. Viſo innocentis cruore magis accenſi, ſervulum Hiſpanum pari crudelitate conficiunt. Inde ad prædam verſi, ſupellectilem ſacram diripiunt, atque ad gratias pro felici ſucceſſu dæmoni agendas, cum truci clamore & tripudiis abſcedunt.

Occiſus eſt P. Auguſtinus Caſtanneres die XV. Septembris anno MDCCXLIV. numerans ætatis ſuæ LVII. initæ Societatis XL. Profeſſionis editæ XXII. annos. Vir fuit inſigni morum ſanctimonia, patien-

tientia corporis & animi invicta. Cibi parciſſimus, nec, quid ederet in deſertis, ac ſilveſtribus locis, ſui cauſa ſolicitus. Præter turcicum piper ad leniendos ſtomachi dolores, nihil commeatus accepit, etſi longe diſſitas nationes adiret. E præſentiſſimis vitæ periculis, DEI providentia ereptus, in eadem ſe rurſum induit animarum cauſa. Mortis ſuæ tempus præſciviſſe, e poſtrema epiſtola ad ſuum amicum data apparuit. Multa fertur prædixiſſe, certo poſtea eventu confirmata. DEIparæ cultor eximius, primam coloniam Neophytorum dedicaturus erat honoribus Virginis, a columna Cæſar-Auguſtana appellatæ; verum Divina bonitas ſtrenuum, probatumque Operarium ad glorioſam mercedem e medio curſu Apoſtolici laboris evocavit.

FINIS DECADIS NONÆ.

Quæ referuntur in Decadibus Virorum Illuſtrium Paraquariæ, de quorumcunque prodigiis, præſagiis futurorum, arcanorum manifeſtationibus, Martyrii laureola, & ſi quæ ſunt alia hujusmodi, ea Scriptor ita vult intelligi, ut a privata duntaxat auctoritate profecta, nec fidem humana majorem promerentia: quod Urbani VIII. decretis inſiſtens profitetur, ut S. R. Eccleſiæ, cujus eſt de his rebus judicium ferre, ſuum præſtet obſequium & reverentiam.

INDEX DECADUM

Virorum Illuſtrium Provinciæ Paraquariæ Societatis JESU.

DECAS SEXTA.

P. NICOLAUS DEL TECHO

INSULANUS BELGA.

CAp. I. Natales ejus, ſtudia, navigatio in Americam & labores Apoſtolici apud Gvaranios. *Pag.* 1

CAp. II. Noſtros gubernare jubetur in Collegio Aſſumptionis, tum Tyrones; redux ad Gvaranios moritur; ejus virtutes. 4

F. GONSALVUS JUSTE

GALLECIUS.

Miles in Americam transmittens, Societatem ingreditur; ejus virtutes. 4

In Collegio Saltenſi vivere deſiit. 5

P. BERNARDINUS TOLO

SARDUS CALARITANUS.

Cap. I. Ejus natales; ingreſſus in Societatem, navigatio ad Indos, ac inter hos Apoſtolici labores. 6

Cap. II. Cœcus exercet munia Operarii; exulat; redditus Collegio Aſſumptionis, Apoſtolico muneri inſiſtit. 8

Cap. III. Peſte afflatis rurſum inſervit; moritur; ejus virtutes recenſentur. 12

F. SEBASTIANUS DISCRETI

ITALUS FLORENTINUS.

Romæ Societatem amplexus, in Americam vela facit; fruitur cœli favoribus. 16

Pie moritur in Collegio Boni aeris. 17

P. CHRISTOPHORUS GOMEZ

HISPANUS ARDALENSIS.

Societatem ingreſſus, Paraquariam petiit. Cordubæ Philoſophiam & Theologiam tradit. *Pag.* 17

Noſtris præeſt in Tucumano & Cordubenſi Collegiis, ſubinde totam provinciam gubernat. Ibid.

Libros edit; ejus virtutes; Cordubæ apud Tucumanos obit. 18

P. JOAN. ANTONIUS SOLINAS

SARDUS OLIENENSIS.

Cap. I. Ejus in Societatem ingreſſus; navigatio in Paraquariam; Apoſtolici labores inter Gvaranios & Septemfluentinos. 19

Cap. II. Ad Chaquenſes abit; deſcriptio itineris; ab iis trucidatur; ejus virtutes breviter commemorantur. 21

P. MICHAEL ANGELUS SERRA

SARDUS ECCLESIENSIS.

Cap. I. Ejus pueritia; ingreſſus in Societatem; commoratio in Sardinia, navigatio in Paraquariam. 28

Cap. II. Quæ egerit, geſſeritque in Paraquaria? mittitur ad Chilenſem Societatis provinciam, ejus virtutes & mors. 31

P. ANTONIUS FIDELI

CALABER REGIENSIS.

Studia ejus Neapoli; Tyronibus noſtris adſcribitur; in Paraquariam contendit. 38

In

In una Heſperidum inſula a RR. PP. Ordinis Seraphici benigne habetur; ad Chiquitos miſſus præmaturo fato extinguitur. *Pag.* 39

P. JOAN. BAPT. NEUMAN

AUSTRIACUS VIENNENSIS.

Pragæ Societati nomen dat; in Paraquariam profectus, apud Gvaranios ſtrenue laborat. 40

Per fluvium Paraquarium aditum breviorem quærit ad Chiquitos; Payaguas munuſculis placat; difficultates in navigatione. 41

Morbo correptus ad urbem Aſſumptionis devehitur navigio, & moritur. *Pag.* 42

P. SIMON DE LEON

HISPANUS ANTEQUERENSIS.

Natales ejus, ſtudia, ingreſſus in Societatem, navigatio in Americam. 42

Philoſophiam & Theologiam Cordubæ Tucumanorum explanat; Socios Cordubenſes, ſubinde totam provinciam regit. ibid.

Poteſtate Viſitatoris Chilenſem provinciam luſtrat, eique præeſt. 44

Moritur; commemorantur illius virtutes. 45

DECAS SEPTIMA.

F. HENRICUS ADAMI

ITALUS.

E Romana provincia transfertur in Paraquaricam. 47

Apud Chiquitos rem domeſticam ſedulo adminiſtrat, ægrotis opitulatur. ibid.

Breviorem viam ad Chiquitos detegere incaſſum nititur; moleſtiæ itineris; contracto morbo ſupremum vixit in oppido S. Raphaelis. 48

P. FRANCISCUS ROXAS

HISPANUS MADRITENSIS.

Ejus natales, educatio; periculoſa navigatio Panormum ſuſcepta. 49

Apud Panormitanum Archi-Præſulem quid muneris geſſerit? Hiſpaniam repetit; mox Romam concedit. 50

Vocatio ejus ad Societatem; cui adſcriptus in Americam transmittit. 51

Varios labores ſubit apud Gvaranios; ejus virtutes, & mors. 52

P. LUCAS CAVELLERO

HISPANUS VILLAMEARIENSIS.

Cap. I. In Paraquaria munus Apoſtolicum apud varias nationes exercet, nempe Chiriguanos, Chiquitos, Puraxes, Arupores, Manacicas, Curucarecas, Zibacas, Quiriquicas &c. 53

Cap. II. Alios, atque alios populos adit; apud Bohocas quid indicent certi globuli præacutis ſpinis armati? 60

Punapæ, Unapes, Carababæ quibus moribus præditi? 61

Coloniam Conceptionis B. M. V. condit. 62

A Puyzocis barbaris occiditur. 63

Ejus natales, ſtudia, virtutes. 64

P. HIERONYMUS DELFIN

HISPANUS VALLISOLETANUS.

Annis XLVII. in Paraquaria Chriſtianam Religionem propagavit; ejus natales, literæ politiores; in Societatem cooptatur; in tyrocinio favores cœleſtes experitur. 65

Americam petit; in Gvarania Miſſionarium agit; oppidum nomine Jesu appellatum excitat. 66

Apoſtolico muneri intentus, e vivis migrat. 67

P. BARTHOLOMÆUS BLENDE

BELGA BRUGENSIS.

Ejus natales, ſtudia, ingreſſus in Societatem; in Paraquariam navigat; ab Hollandis capitur. 68

Libertati redditus, proſpero curſu portum Boni aeris intrat. 69

Apud Gvaranios Evangelicam ſementem jacit; Viam ad Chiquitos breviorem fruſtra explorat cum Sociis. 70

A Payaguis contrucidatur. 71

P. JOSEPHUS ARZE

CANARIUS PALMENSIS.

Natales ejus, ſtudia literarum, ingreſſus in Societatem. *Pag.* 71
In Americam ſolvit; Cordubæ Tucumanorum ſtudia interrupta continuat. 72
Docet Philoſophiam Cordubæ; patrocinio D. Xaverii, gravi morbo liberatur; ad accolas freti Magellanici cogitat, verum voluntate Superiorum Chiriguanos inſtituendos ſuſcipit. ibid.
Quid egerit ad fluvium Pilcomay? 73
Ad Chiquitos ſubinde inviſit, eorum mores deſcribuntur. 74
Peſtifera lue correptos omni ope adjuvat. ibid.
Oppidum condit D. Franciſco Xaverio dicatum. 76
Apud Chiriguanos oppidum Præſentationis B. V. regit. ibid.
Chiquitis opem fert adverſus Mamalucos. 77
Mamaluci profligantur. ibid.
Viam inveſtigat breviorem ad Chiquitos, & reperit; quantis moleſtiis vexatus fuerit? morbus ejusdem. 78
A Payaguis repetitis clavæ ictibus dirum in modum mactatur. 79

P. DID. FRANC. ALTAMIRANO

HISPANUS MADRITENSIS.

Ejus natales, ſtudia; in Americam abit; Theologiam annis XV. explanat. 79
Poſt varia officia, provinciæ Præſes nominatur; ſubinde Procurator ad urbem mittitur. 80
Proſpere confectis in Europa negotiis, in Americam renavigat. ibid.
Lites obortæ Carthagine. 81
Provinciam Novi regni in duas dividit. 82
Pro-Rex Peruviæ Altamirano parum benevolus. 83
Limanum Collegium S. Pauli gubernat. Moritur. *Pag.* ibid.
Ejus virtutes recenſentur. 84

P. BARTHOLOMÆUS XIMENEZ

HISPANUS OSUNENSIS.

Tyrocinium ingreditur Hiſpali ad S. Ludovicum. 85
In Americam navigat, ac Cordubæ Tucumanorum ſeveriores diſciplinas perdiſcit. ibid.
Apud Gvaranios laborat; breviorem viam ad Chiquitos quærit. 86
In Gvaraniam redit; in eum conſpirant barbari. ibid.
Jaroſios ethnicos Neophytorum agrum incurſantes compeſcit. 87
Ejus præfecturæ; Procurator Romanus electus; Madriti, & Romæ res provinciæ Paraquaricæ feliciter agit. ibid.
Virtutes illius commemorantur. 88

P. BLASIUS SILVA

PARAQUARIUS.

Ejus natales, ſtudia, ingreſſus in Societatem; ſacras Miſſiones apud Paraquarios aliaque munia obit. 88
A Payaguis occiditur. 89
Religioſæ illius virtutes deſcribuntur. 90

P. JOSEPHUS MASSO

VALENTINUS.

Payaguarum fraude circumventus trucidatur. 92
Corpus ejus non eſt repertum. 93
Natales, literarum ſtudia, ingreſſus in Societatem, Americam petit. ibid.
Cordubæ Tucumanorum ſtudiis abſolutis, Neophytos annis VII. inſtituit. ibid.
Apud Gvaranios ſtrenue laborat. 94

DECAS

DECAS OCTAVA.

P. ANTONIUS PARRA

HISPANUS ROBLEDENSIS.

Excultus Theologiæ ſtudiis Paraquariam petit. Cordubæ noſtros Tyrones informat. *Pag.* 95
Regit Collegia Aſſumptionis, Boni aeris, & Cordubenſe. ibid.
Virtutes illius, & mors. 96

P. LAURUS NUNNEZ

ARRAGONIUS.

Societatis amore in Americam ſolvit. 99
Cordubæ Tucumaniæ Tyronibus adlegitur; eadem in urbe Philoſophiæ & Theologiæ navat operam. ibid.
Docet Philoſophiam annis IV. Theologiam XX. Famam ſolidæ doctrinæ conſequitur. ibid.
Tyrones & PP. tertiæ probationis inſtituit. 100
Ut Collegium Monſerratenſe pro nobili juventute erigeretur, plurimum confert. Aliud ædificium molitur impari ſucceſſu. ibid.
Ejus virtutes, & mors. 101

P. JOANNES BAPT. CEA

HISPANUS GOAZENENSIS.

Apud Chiriguanos laborat; præeſt oppido S. Raphaelis apud Chiquitos. 103
Fundamenta ponit oppidi S. Joannis Bapt. ibid.
Fit Superior Miſſionum. 104
Chiquitos ſuos reviſit; Viſitator Miſſionum a Chiriguanis fere perimitur. ibid.
Colonias Chiquitorum luſtrat. ibid.
Varias gentes Evangelii cauſa adit. 105
Explorat iter in provinciam Chiquitorum nullo ſucceſſu. ibid.
Zamucos inter ſexcenta pericula adire fruſtra conatur. 106
Repetit viam feliciori eventu; rem Chriſtianam apud Zamucos provehit. *Pag.* ibid.
Præſes provinciæ nominatus Cordubæ vivere deſiit. 107
Ejus natales, ſtudia, navigatio ad Indos, & virtutes compendio recitantur. ibid.

F. ALBERTUS ROMERO

HISPANUS.

Mercandi ſtudio Americam petit. 108
Qua fortuna uſus fuerit? 109
Miſſionariis noſtris ſemet applicat, & Neophytis inſervit. ibid.
Ad Zamucos profectus, ab iisdem occiditur. ibid.

P. FRANCISCUS HERBAS

HISPANUS OSUNENSIS.

Cap. I. Ejus ſtudia literarum; navigatio in Americam, labores Apoſtolici apud Chiriguanos & Chiquitos. 110
Miram DEI providentiam experitur in itinere. 112
Cap. II. Per fluvium Paraquarium viam detegere fruſtra nititur ad Chiquitos; ad Zamucos proficiſcitur; laboribus fractus e vivis migrat. ibid.

P. FRANCISCUS BURGES

CATALAUNUS URGELITANUS.

Cap. I. Ejus natales; educatio; navigatio in Americam; Theologiam docet Cordubæ; luſtrat provinciam Chilenſem; Procurator Romam mittitur. 114
Cap. II. Renavigat in Americam; cum Sociis capitur ab Hollandis; moritur Cordubæ Tucumanorum; ejus virtutes. 116

P. ANTONIUS SEP

TYROLENSIS CALTHERENENSIS.

Ejus natales; ingreſſus in Societatem; in Americam navigatio. *Pag.* 120
Apud Gvaranios munia Apoſtolica exercet. ibid.
Oppidum S. Joannis condit, alia Neophytorum loca inſtaurat. 121
Cœleſtes favores accipit. 122
Pias cantiones in Gvairania inſtituit. 123
Virtutes illius, & mores. ibid.

P. JOANNES ALFEREZ

HISPANUS CORDUBENSIS.

Ingreſſus ejus in Societatem; literarum ſtudia; navigatio ad Indos. 124
Cordubæ Tucumanorum Philoſophiam, & Theologiam inter graviſſimos morbos condiſcit. ibid.
Sacerdotio inauguratus, multiplici morbo exercetur. 125
Moritur, memoria virtutum apud poſteros relicta. 126

P. LUDOVICUS ROCCA

NEAPOLITANUS.

Natales ejus; tyrocinium vitæ Religioſæ; ſtudia literarum. 126
Philoſophiam diſcipulis Neapoli tradit. *Pag.* 127
In Americam transmittit; Socius nominatur Viſitatoris provinciæ Chilenſis; dein eandem provinciam poteſtate Præſidis gubernat. ibid.
Provinciam Paraquaricam poteſtate Vicaria adminiſtrat annis V. Miſſiones Chiquitorum luſtrat. 128
Cordubenſe Collegium regit, & ſubinde provinciam Paraquaricam. ibid.
Quid commodi præſtiterit Paraquariæ? ibid.
Ejus virtutes, & mors. 129

P. JOSEPHUS IGNATIUS DE LA MATA

HISPANUS LOGRONIENSIS.

Educatio illius; in Societatem ingreſſus; navigatio in Paraquariam. 130
Ad Chiquitos miſſus, multa patitur in migratione Neophytorum. ibid.
E morbo recreatus Aroporecas adit. 131
Crudelitas barbarorum in defodiendis parvulis. 132
E vita migrat. ibid.

DECAS NONA.

P. JULIANUS LIZARDI

CANTABER ASTEAZUENSIS.

Cap. I. Ejus ingreſſus in Societatem, navigatio ad Indos; ſtudia, labores apud Gvaranios 133
Cap. II. Ad Chiriguanos abit; iſtorum mores; mors Juliani Lizardi glorioſa, & virtutum decora enarrantur. 135

P. IGNATIUS ARTIAGA

CANTABER.

Patria illius, tyrocinium vitæ Religioſæ, ſtudia, in Americam navigatio. 141
Vitam omnem partim ad pulpitum, partim ad clavum traducit. ibid.
Æthiopes rudes Chriſtiana lege imbuit. ibid.
Virtutes eximiæ, & mors ejus narrantur. 142

P. MARTINUS LOPEZ

ARRAGONIUS HACENSIS.

In urbe S. Jacobi exercitia Ignatiana tradit ingenti cum emolumento. 143
Fructus exercitiorum. 144
Prædium comparat in uſum piarum exercitationum. ibid.

Ad prædium convolant exteri pietatis cauſa. *Pag.* 144
Mors illius. 145
Ejus natales, ſtudia, admiſſio in Societatem, navigatio in Americam, venam pectoris rumpit. 146

P. PAULUS RESTIVO

SICULUS MAZARINENSIS.

Natales ejus, ingreſſus in Societatem, navigatio ad Indos. 146
In Gvarania Apoſtolico muneri inſudat, viſitat Chiquitorum Miſſiones, dein præeſt Collegio Saltenſi. Ibid.
Apud Chiriguanos incaſſum laborat. 147
Gvaranios adjuvat; ſubinde Collegium Aſſumptionis moderatur. Ibid.
Urbe Aſſumptionis depulſus ad Gvaranios ſe recipit; libros edit idiomate Gvaranico. Ibid.
Oculorum uſu captus ſtrenue laborat in vinea Domini. 148
Virtutes ejus eximiæ; moritur in oppido Candelariæ. 149

P. NICOLAUS IGNATIUS DE LA ROCA

SARDUS SASSARITANUS.

Cap. I. Ejus natale ſolum; educatio; ingreſſus in Societatem; ſtudia, navigatio ad Americanos; obices navigationis, primi labores. 149
Cap. II. Commemorantur munia, quæ geſſerit in Paraquaria; fructus e commentationibus D. Ignatii; mors illius, & virtutes. 151

P. ANTONIUS RIBERA

HISPANUS SALMANTICENSIS.

Miles Hiſpani Regis in Americam transmittit; Cordubæ Tucumanorum Tyronibus noſtræ Societatis adlegitur. 154
Sacerdos Gvaraniis perutilem operam impendit. Ibid.
In Collegiis Aſſumptionis & Septemfluentino Operarii partes egregie ſuſtinet. *Pag.* 155
Puerilis ætatis præcipuam curam gerit, uti & pauperum. Ibid.
Virtutes illius Religioſæ, & mors. Ibid.

F. PETRUS QUINTELA

GALLECIUS.

Societatem noſtram amplexus, in Americam abit. 156
Ædituus munditiem curat in ſacra æde Cordubenſi, multus in aris ornandis. Ibid.
Virtutes illius, & mors. 157

F. JOANNES ELLIOT

SCOTUS SELKIRCHENSIS.

Peſte correptus extinguitur ad Cordubam Tucumanorum. 158
Vita illius in hæreſi acta. 159
A dæmone vexatus fidem Catholicam profitetur. Ibid.
In Societatem adlectus, Cordubæ tyrocinium inchoat. 160

P. HIERONYMUS HERRAN

HISPANUS BURGENSIS.

Cap. I. Patrocinio D. Xaverii curatus in Americam abit; in Gvarania Apoſtolice laborat; annis octo in caſtris verſatur cum Neophytis; fere naufragio perit; Procuratorem primum Miſſionum, dein totius provinciæ agit; Rector Collegii Boni aeris deligitur in Romanum Procuratorem; in Europam renavigat. 161
Cap. II. Confectis feliciter rebus in Europa, in Americam Miſſionarios deportat; Præſes provinciæ nominatus Miſſiones luſtrat; adverſus perduellium conatus, Neophytorum colonias tuetur; perduelles urbe Aſſumptionis capta, Socios in exilium agunt; juſſu Pro-Regis Peruani, Neophyti caſtra faciunt. 165

Cap.

66-205
18 March 1966
H. P. Kraus

Cap. III. Ad Chiriguanos dimittit Miſſionarios; Socios Boni aeris tertium gubernat; valetudinem ſequeſtra D. Thereſia recuperat; Tyrones & PP. tertiæ probationis inſtituit; moritur; natales ejus & virtutes eximiæ. 168

P. AUGUSTIN. CASTANNERES
TUCUMANUS SALTENSIS.

Cap. I. Educatio ejus in Collegio Regio Cordubæ; Societatem amplectitur; apud Zamucos fruſtra laborat. 171

Cap. II. Meliore ſucceſſu eosdem Zamucos ad ſacra Chriſtiana traducit, uti & Ugaranos; multa patitur; expeditionem ad quosdam barbaros fruſtra ſuſcipit; Chiquitis præeſt in oppido S. Raphaelis; populum Matagvayi Chriſto adjungit; a barbaris trucidatur; ejus virtutes ſummatim recenſentur. 173

F I N I S.

126

BA 759
T255d
1-size

I: frontisp., 2 ll., 375, (9) pp.
II: 2 ll., 177, (7) pp.

Coll. cpl. L

IX/65

8894